Pl. 6.

37
33 D
12

-MAG 4470

Digitized by Google

Digitized by Google

P. VIRGILII

MARONIS

OPERA

Digitized by Google

P. VIRGILII

MARONIS

OPERA

EX RECENSIONE

CHR. GOTTL. HEYNE

RECENTIORIBVS

WVNDERLICHII ET RVHKOPFII

CVRIS ILLVSTRATA

TOMVS TERTIVS.



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS IOSEPHI POMBA
ANNO MDCCCXXXII.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER SEXTVS.

ARGVMENTVM

Cumas advectus Aeneas antrum Sibyllae petit, peractoque de more sacrificio Phoebi oraculum consulit. Ibi et instantia pericula et futuri belli eventum discit 1—106. *Miseni cadaver in litore inventum comburit reliquiasque sub proximo monte sepelit, qui Miseni nomen ab illo obtinuit* — 235. *Inde columbarum ductu ad aureum ramum pervenit, quo decerpto mactatisque hostiis deos inferos veneratus Sibylla duce per Averni fauces ad inferos tendit* — 336. *Palinurum, quod sepulcri honore careret, circa Stygiam paludem oberrantem invenit eumque una in ulteriorem ripam traiicere cupientem Sibylla prohibet cenotaphiique et exsequiarum spe consolatur* — 383. *Post haec Stygem traiectus Aeneas Cerberoque medicatis offis sopito per loca infantium eorumque, qui falso crimine damnati capite supplicium luerant, iter faciens pervenit ad sedem eorum, qui amoris impatientia manus sibi conciverant* — 449. *Ibi Elisam conspicatus quum ei se purgare vellet, illa indignabunda conspectum eius effugit* — 476: *inde progressus Deiphobum in sedibus eorum, qui bello aliquando claruerant, multis vulneribus lacerum conspicit necisque eius indignum modum ab ipso edocetur* — 534. *Relicto deinde ad laevam Tartaro sceleratorumque poenas a Sibylla edoctus* — 627 *ad Ditis ipsius moenia contendit aureumque ramum in ipso regiae limine defigit* — 636. *Post haec ad fortunatorum sedes iter instituit et a Musaeo ad patrem suum perducitur* — 678. *Ibi Anchises Aeneam animarum originem, purgationem et consummationem edocet, Albanorum Romanorumque regum recensum facit nobiliumque aliquot Romanorum nomina percurrens ad Iulii Caesaris et Augusti laudes descendit* — 860, *Marcellumque Octaviae filium immatura morte ereptum miris in coelum laudibus effert* — 888. *Inde per eburneam portam ad Superos egressus socios revisit relictisque Cumis Caietam petit.*

Sic fatur lacrimans classique immittit habenas
Et tandem Euboïcis Cumarum adlabitur oris.
Obvertunt pelago proras; tum dente tenaci

Etiam hoc episodium libri sexti ab argumenti Aeneidis summa alienum paulloque longius petitum esse et in magna suavitate, tamen narrationis et quam illa habeat delectationis cursum sistere, impetum inhibere Homius censebat. Hoc vero est poëtam in ordinem cogere, ad annalium formulam revocare et omnes ingenii vires infringere. Est enim hoc inter poëtae epici artes, cum in una actione detexenda carmen epicum coërceatur, ut variandae narrationis depellendique fastidii causa ad alia ornamenta, etiam ad seriores historias descendere possit et debeat. Animadvertendum porro est, primum Aeneae ad Italiam aditum hac narratione dignitatis et maiestatis religiosae vim et honorem accipere nec alienum ab Aeneidis argumento posteritatis recensum haberi posse, inprimis ex Romanorum, quibus Aeneidem condebat poëta, animis et iudiciis. Videntur autem Homeri in Odyssea exemplo Necyiae a multis passim poëtis epicis fuisse frequentatae; haa enim narrationes magnam debent habere vim ad animos mirarum rerum specie tenendos. Vidit praeterea Virgilius pro heroibus, quos Homerus commemorat, se Platonicis commentis de animabus, antequam hanc vitam ingrederentur, in alio loco degentibus commode uti posse, ut Aeneae posteros et res Romanas carmini intexeret. Neque vero nihil, quod ad hunc descensum ad inferos duceret aut eius exspectationem fieeret, antecessit. Annon meminimus ab Anchisae umbra hunc descensum filio fuisse mandato et monitu iniunctum? (lib. V, 731 sqq.) Et aditum ad Sibyllam multo ante iam Heleni monitu lib. III, 441 sqq.? Cum autem totum poëma et dignitatis epicae plurimum et gratiae ac delectationis ex vaticiniis habeat, quae, ut alio loco (Disq. II. *de rerum* in Aen. tract. invent. §. 6. pag. 154 T.) observatum, ab obscurioribus ambagibus progressa mox ad disertiora et clariora effata procedunt, praeparatur etiam hoc libro legentis animus ad casus et res mox in Latio eventum habituras, primum Sibyllae responso, 84—97, tum Anchisae oratione et recensu animarum, quae progenies Aeneae esset futura.

1—9. Ὡς φάτο δακρυχέων Homericum. — Novum clavum ei, quem Palinurus in mare praeceps secum avellerat (sup. V, 858, 859), substitutum fuisse non dubito; sed hoc non est *classi immisit habenas*; verum excepto velis expansis vento cursum urgebat classis Aeneas. Nota metaphora ab aurigatione, ut sup. V, 662 de flamma vidimus: *furit immissis Volcanus habenis*. — 2. *Euboicis Cumarum oris*, ad litus Cumanum. Liv. VIII, 22, *Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt*. V. Cluver. Ital. ant. lib. IV, p. 1102. De conditoribus locus classicus ap. Strabon. V. p. 243. Vrbis origines antecessisse videntur colonias Ionicas et Aeolicas, v. Vellei. Paterc. I, 4 A seriore certe tempore Cumas a Chalcidensibus conditas ad Aeneae aetatem retraxit Virgilius. Conf Gell. X, 16. 3. (*Obvertunt — proras*: puppis quippe litori obversa,

Ancora fundabat navis, et litora curvae
Praetexunt puppes; iuvenum manus emicat ardens 5
Litus in Hesperium: quaerit pars semina flammae
Abstrusa in venis silicis; pars densa ferarum
Tecta rapit, silvas, inventaque flumina monstrat.
At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Praesidet, horrendaeque procul secreta Sibyllae, 10
Antrum inmane, petit, magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates aperitque futura.
Iam subeunt Triviae lucos atque aurea tecta.
Daedalus, ut fama est, fugiens Minoïa regna,

ibi enim gubernaculum fuit (conf. Grotius et Elsner ad Act. Apost. 27, 40), et remis inhibitis puppis appellitur. Remiges proram post se habebant (Plut. Vol. XIV, pag. 199 Hutten.): quare plerumque puppi appellebatur, inprimis tempore heroico: prora in mare spectabat, ut facilior esset abitus. Plura sunt petenda e Gronov. Obss. IV, 26, cui Hemsterhus. ad Lucian. I. p. 239 sq. hip. aliique assensi sunt, cf. III, 549. R.) *denti tenaci.* sup. I, 169, *uncо non adligat ancora morsu.* — *fundabat* exquisitius quam: firmabat, tenebat. — 5. *praetexunt*, tegunt litora, quia curvae. — 6. 7. Cf. I, 174 sqq. et Ge. I, 135. σπέρμα φλογός ap. Homer. — *pars densa ferarum Tecta rapit, silvas.* Quid est *rapit?* si *corripit*, colligit, comportat, nihil potest ieiunius dici grandibus istis et turgidis verbis: *densa ferarum tecta.* Igitur poëta necessario ita accepit: *rapit* cursu, rapido cursu perlustrant silvas, ut vel fontem aquae investigent vel ferarum praedam ad epulas exquirant, ut lib. I, 192 sqq. Sic *campum rapere* dicitur equus, et *aequora rapere* navis. Ita eadem est sententia, quae infra v. 179: *Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum.*

9—12. Ad templum Apollinis, quod antiquissimum fuit in monte ad Cumas, et inde ad subiacens Sibyllae antrum tendit Aeneas. Id autem facit ex Heleni (III, 441 sqq.) et umbrae Anchisae monitu V, 734 sqq. — *arces*; erat templum in montium iugis; hinc *Apollo altus* et *praesidet* templum et urbem tuens, πολιοῦχος. Porro *Sibylla horrenda* dicitur, epitheto translato; erant *secreta* (h. e. secretum) horrenda. Cf. VII, 172. — *mentem animumque* Homerico more κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν: *inspirat*, indit ei, *mentem magnam*, commotam et ἐνθουσιῶσαν, aut, quod malim, *magnam* eius mentem afflat, incitat, movet, *inspirat.* — 13. Iter ad Apollinis templum (*aurea tecta*) erat per lucum, quo illud ambiebatur ex more vetere. *Hecatae* autem ille lucus cum toto Averno sacer vel, ut loquuntur alii, Proserpinae.

14—19. Apparet fuisse famam antiquam, templum Apollinis Cumanum a Daedalo esse exstructum. Videntur Siculi et Itali, quicquid apud eos mirae vel praeclarae artis erat, ad Dae-

Praepetibus pennis ausus se credere coelo, 15
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos
Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.
Redditus his primum terris tibi, Phoebe, sacravit
Remigium alarum posuitque inmania templa.
In foribus letum Androgei; tum pendere poenas 20
Cecropidae iussi miserum! septena quot annis
Corpora natorum; stat ductis sortibus urna:

dalum retulisse. Colligas hoc vel ex Diodori lib. IV, 78. Horum igitur populorum ars aedificandi et sculpendi originem suam e Creta habuisse videtur. Communis saltem narratio est Daedalum ex Creta profugum in Sicilia a Minoë fuisse oppressum. At poëta, aliam famam sequutus, Daedalum ex Sicilia quoque fuga evasisse statuit. Praeclare Servius: *Daedalus vero primum Sardiniam, ut dicit Sallustius lib. II Historiarum, post delatus est Cumas et, templo Apollini condito sacratisque ei alis in foribus, haec universa pinxit.* Ceterum totum, qui sequitur, locum copiosius persequutus est Silius XII, 89—103. Ornamenta ibi comparent studiosi. — v. 15. Horat. I Od. 3, 34: *Expertus vacuum Daedalus aëra Pennis non homini datis.* Verba ex antiquiore sermone poëtico servata. Cic. de Divin. I, 47 ex Mario suo: *Hunc ubi praepetibus pennis lapsuque volantem Conspexit*, conf. sup. V, 254. *Praepes*, celer, velox. — 16. *ad Arctos.* Cf. Ge. I, 245. 246. Sive ex Creta sive ex Sicilia sive ex Sardinia, ut modo e Sallustio traditum vidimus, profugus Daedalus volatu versus septentrionalem plagam contendit, dum Cumas advolavit. Est tamen, quod haud neges, valde tumidum hoc *gelidas enavit ad Arctos*, si non nisi de tali itinere accipitur. Enimvero longius olim Daedali errores fuere narrationibus producti, ita ut etiam remotiores septentrionales plagas adiisse ferretur; unde redux tandem Cumis Apollini templum ex voto posuit. *enavit* (respexit ad hoc Quinctil. VIII, 6, 18), usitata illa metaphora inter volatum et navigationem. Conf. Ge. IV, 59. Sic mox *remigium alarum*, ut sup. I, 301. — *Chalcidica arce*, v. ad v. 2. — *levis*, ornat epitheton volantem. — *sacravit* tamquam donarium ex voto. Cogita notum morem eorum, qui ex mari erant servati. Etiam *templum* ex voto factum videri potest.

20 sqq. Possunt haec, si paullo severius agas, a re aliena videri, et videtur poëta argumenti a multis Graecis poëtis tractati, quorum et fuere *Thseides*, dulcedine et copia abreptus esse. Sed observa, quam callide narrationem in sculpturae argumentum mutaverit et ad hoc cognoscendum otium fecerit Aeneae, praemisso Aehate ad arcessendam Sibyllam. Talia autem anaglypha in templorum foribus ex metallo pretiosiore, h. l. ex auro (v. inf. 32), antiquitas probare solebat. Conf. Ge. III, 26—29. Imitationem loci vide apud Silium lib. III, 32. Fabulam cognoscant, quibus opus est, ex Ovid. Met. VII,

Contra elata mari respondet Gnosia tellus.
Hic crudelis amor tauri subpostaque furto
Pasiphaë mixtumque genus prolesque biformis 25
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae;
Hic labor ille domus et inextricabilis error;

456 sqq. et VIII, 453 sqq. aut ex Catulli Epithal. Pelei v. 76 sqq. Apollod. III. 15, 7 et Obss. p. 344 sqq. — *septena corpora natorum* pro *natos*, elegantius, ut saepe. Argutantur in numero Interpretes. Cum pueri septem septemque puellae mitterentur, quidni alterutrum tantum poni potuit? *stat*, adstat, *urna*, graphice hoc ad sortitionem eorum, qui quotannis mittendi erant, declarandam. A v. 20—22 in alterius foribus valvis expressas puta Athenas, Androgei necem et sortitionem puerorum; a. v. 23 sqq. autem in alteris valvis Cretam, taurum, Pasiphaën, Minotaurum, Labyrinthum, Ariadnen, Daedalum. Porro poëta servat morem veterum anaglyphorum, quae plura argumenta deincepa posita cumulabant: nam de unitate argumenti parum solliciti erant antiquiores. Sunt tamen h. l. res inter se cognatae et ad eundem historiarum ordinem spectantes. *H* Ex deroro autem res Cretiras celebrat, unde prima incunabula exstiterunt gentis Troianae, et narratio contra Graecos dirigitur, ut Troiae eversores: incipit ab Androgeo: fuit hic Minois filius: interfecerunt illum Athenienses. Minos in illos arma convertit; vicit, iussitque, ut quotannis praeberent quatuordecim corpora adolescentium devoranda a Minotauro. Ergo ibi sculptus erat Androgeos morte affectus; ibi Atheniensea solventes poenam pro scelere; ibi urna; sortibus enim miseri ad supplicium ibant. *Stat ductis sortibus urna*, dictum est hac sententia: sculpta est urna, et una sortes, quae ducebantur. Maluit *natorum*, quam adolescentium, ad excitandam commiserationem: inde et in parenthesi *miserum*, ubi debes facinus subaudire; inde *corpora*, quum ne reliquiae quidem superessent ad tumulum. *C.* — 23. *Gnosia tellus* ut *Gnosia regna* III, 445 *elata mari*, perpetuum insularum epitheton, *alta*, quod alibi vidimus (cf. sup. V, 588). *respondet*, in alteris valvis ex adversa, opposita, parte expressa est. *crudelis* amor, violentus, ut alias *saevus*, h. e. magnus, nimius. *supposta furto* pro supposita tauro adultero pro furtum, κρυφίοις γάμοις μιγείσα, ex nota Musaei formula. Nolim tamen putare ipsam vaccam ligneam ipsumque flagitium expressum fuisse; sed Pasiphaëa v. c. demulcentem taurum: cf. anaglyphum ap. Winckelm. *Mon. ined. tab.* 94. — *inest*, tamquam pars argumenti erat expressa. *Veneris monumenta nefandae*, partus nefandi amoris. Non aliter. Nota est de Minotauro fabula, in cuius interpretatione argutantur passim veteres, etiam ad h. l. Simplicissimum est statuere ea noto Cretae, Siciliae et Italiae emblemate ductam eam esse, quod figuram tauri cum capite viri barbati exhibet; sive id patrii fluvii symbolum sit, id quod probabilius, sive, quod alii putant, Bacchi seu Ebonis, h. e. Solis. Sunt quoque qui ad arationem et fertilitatem agrorum referant. Adhuc

Magnum reginae sed enim miseratus amorem
Daedalus ipse dolos tecti ambagesque resolvit,
Caeca regens filo vestigia. Tu quoque magnam 30
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro;
Bis patriae cecidere manus. Quin protenus omnia
Perlegerent oculis, ni iam praemissus Achates
Adforet atque una Phoebi Triviaeque sacerdos, 35
Deïphobe Glauci, fatur quae talia regi:
Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit;
Nunc grege de intacto septem mactare iuvencos
Praestiterit, totidem lectas de more bidentis.
Talibus adfata Aenean (nec sacra morantur 40
Iussa viri) Teucros vocat alta in templa sacerdos.
Excisum Euboïcae latus ingens rupis in antrum,

sub iudice lis est, cf. Obss. ad Apollod. p. 217. — 27. Labyrinthus Daedali opus in Pasiphaës gratiam susceptum, ut Minotaurus in eo absconderetur. Sic Ovidius VIII Met. 157. Hygin. f. 40. Apollod. III, 1, 4. 15, 8. Apud Homerum Daedalus in Ariadnae gratiam chorum seu saltationem Labyrintho similem effinxisse narratur Il. σ, 595 sqq., quem locum respicit Virgilius h. l. et sup. V, 588 sqq., quem confer. At nunc in *reginae*, regis Minoïs filiae Ariadnae, gratiam Daedalus Theseo iter per Labyrinthum filo monstravit, quod inventum alii poëtae ad Ariadnae sollertiam referunt. *doli* et *ambages*, flexus viae et errores Labyrinthi. Hos *resolvit*, reditu et egressu monstrato. *caeca*, etiam h. l. obscura, ambigua, δυσνόητα. Regit ille glomere iter incertum. Versuum 30—33 de Icaro suavitatem et vim facile sentis ex affectu et ex apostrophe ad Icarum proficisci. Verba Ausonii imitatus est in Mosella v. 300 sq. *H.* — 31. *sineret dolor*; dolor enim patrem non sivit lapsum Icari in auro effingere: nam bis conantem hoc facere, bis dolor a proposito revocavit, et paternas manus ab opere repulit. *C.* — *Quin protenus*. Καὶ μὴν καί, et vero sane reliqua quoque signa perlustrassent omnia. Per synizesin efferas *omnia*. — Mox v. 38 *grege de intacto*, grege boum iugo intactorum; Ge. IV, 540, *intacta totidem cervice iuvencas*. Deiphobe autem Glauci filia non male editur, quoniam ille inter deos fatidicos habebatur.

42 sqq. Locorum situm et faciem plane legentis animo eripiunt interpretes, dum hic antrum in adyto templi in Cumani collis latere positum esse putant. Templum Apollinis erat montii impositum, qui mox urbi pro acropoli fuit. Quod nunc memoratur *antrum Sibyllae*, in latere eius montis excisum non longe ab eo loco abesse poterat. Ad hoc iam ex Apol-

Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum;
Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllae.
Ventum erat ad limen, quum virgo, Poscere fata 45
Tempus, ait; deus, ecce, deus! Cui talia fanti
Ante fores subito non voltus, non color unus,
Non comtae mansere comae; sed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument; maiorque videri
Nec mortale sonans, adflata est numine quando 50
Iam propiore dei. Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Aenea? cessas? neque enim ante dehiscent
Adtonitae magna ora domus. Et talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor, funditque preces rex pectore ab imo: 55

linis templo abducit Sibylla Aeneam. Fallunt viros doctos *alta templa*, quae nunc non sunt Apollinis aedes, sed antrum Sibyllae, μαντεῖον, — 42. *Euboicae rupis*, montium Cumanorum, v. ad v. 2, in quibus est antrum. Ornate dixit *latus montis excisum* esse *in antrum ingens*. — *aditus*, puta, subterranei meatus, σύριγγες, ut in Aegypto appellabantur. Vbi itaque in interiore antro, adyto, Sibylla vaticinia effaretur, remeabat vox per infinitos hos canaliculos seu spiramina et exitus; quae res ad religiosum horrorem valde accommodata esse debuit.

45. Tempus ad oraculum precibus poscendum, ut ex v. 51 apparet. Sentit Sibylla statim in aditu antri dei afflatum. Locus de furore vatum egregius. — *Non comtae mansere comae*: atqui erant illae resolutae, ut in sacris mos erat; igitur nunc factae sunt horrentes, cf. Seneca Agam. 712, 713; seu *iactatae*, ut Tibull. II, 5, 66, quod malim ex Val. Fl. I, 208, 209 imitatione. — *maiorque videri*, μείζων ἰδεῖν, ut solent maiora visu esse, quae sensus animumque miratione percellunt. Natum es hoc ipso naturali sensu phantasma poëticum, ut dii, si hominibus in primis ad terrorem appareant, maiores maioresque fieri dicantur. — *nec mortale sonans*. v. V, 649; I, 328; h. e. divinum quid. *cessas in vota*, ad vota, exquisitius dictum quam: cessas facere vota? quin fac vota. — 52. *enim*; τί γάρ; ut alias, pro *vero*, *enim vero*. Intell. nisi vota feceris. — 53. *attonitae magna ora domus*, interioris maioris antri tamquam adyti fores. *attonitae*; ut rei inanimatae tribuatur sensus idem, qui eorum est, qui repente revelli fores audiunt. Nec tamen male Serv.: *facientis attonitos*, stupendae. Videtur autem antiqua religio fores templorum nonnunquam ita machinis instruxisse, ut nulla hominum opera aperiri viderentur; in primis in oraculis. Eo spectabat nota Serviana, cuius fragmentum habemus: *Trahit hoc de Matris Deum templo, quod non manu sed precibus*

Phoebe, gravis Troiae semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidae, magnas obeuntia terras
Tot maria intravi, duce te, penitusque repostas
Massylum gentis praetentaque Syrtibus arva; 60
Iam tandem Italiae fugientis prendimus oras.
Hac Troiana tenus fuerit fortuna secuta.
Vos quoque Pergameae iam fas est parcere genti,
Dique deaeque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens
Gloria Dardaniae. Tuque, o sanctissima vates, 65
Praescia venturi, da (non indebita posco
Regna meis fatis) Latio considere Teucros
Errantisque deos agitataque numina Troiae.
Tum Phoebo et Triviae solido de marmore templum
Instituam festosque dies de nomine Phoebi. 70

aperiebatur. — 56-62. Semper a Troianorum partibus stat Apollo in Homero. — 57. Fundus Il. χ, 359. Verum copiosius haec exsequuti erant poëtae cyclici, primo loco Arctinus in Aethiopide; nunc Quintus lib. III pr. Veneria et Apollinis precibus id dedisse Iovem praeclare expnuit Horat. IV, 6, 21. — 58. *Aeacidae*, Achillis, ab avo Aeaco. — 58-60. Omnia in maius aucta: pro Poenis *Massylos*, vicinos, et *Syrtes*, Africae adiacentem oram. — 59. *penitus repostas gentes*, positas, habitantes in Africa interiore. Silius III, 325, *nec non totus adest vesper populique reposti: Cantaber ante omnes.* — *praetenta*, ut III, 692, *Sicanio praetenta sinu insula...*

61. *Italiae fugientis*, v. sup. V, 629. (Vid. etiam Not. ad IV, 316. Add. III, 496. *R.*) — 62. *Troiana fortuna*, adversa ac. — Mox 64 dii Troianis infesti apud Homerum memorantur; in his Iuno, Minerva, Neptunus. *obstitit*, invisa fuit; quae consiliis nostris obsistunt, repugnant, ea invisa sunt, ἀποβόμια. — 65-68. Vide v. 81 sqq. *Da*, fac, effice, ut passim, v. e. XII, 97. Tribuit autem superstitio hoc vatibus, ut, quae praedicunt, videantur ipsi quasi efficere et pro arbitrio constituere; unde etiam cum obiurgatione ab iis postulatum videmus, in ipsis sacris nostris, ut laetiora vaticinentur. Iam pro *nos considere* quam graviter ista dicta sunt! v. 67, 68! *da Latio considere Teucros.... Troiae.* — 69-74. Ad templum in Palatio ab Augusto factum respici, ut Aeneas ex posterorum persona vota faciat, iam Servius notavit; conf. Sueton, Octav. 29. Ex Virgilii verbis vix aliter iudices, quam cum Apolline Dianae quoque sorori fuisse id consecratum; ut in ludis saecularibus aliisque sacris consociatae fuere utriusque dei religiones. Ex Propert. I, 31, 15 apparet Apol-

Te quoque magna manent regnis penetralia nostris;
Hic ego namque tuas sortis arcanaque fata,
Dicta meae genti; ponam lectosque sacrabo,
Alma, viros. Foliis tantum ne carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis: 75
Ipsa canas oro. Finem dedit ore loquendi.
At, Phoebi nondum patiens, inmanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum fera corda domans fingitque premendo. 80
Ostia iamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua vatisque ferunt responsa per auras:
O tandem magnis pelagi defuncte periclis!

linis signum in eo templo medium inter Latonam et Dianam stetisse. — *festos dies*, ludos Apollinares ab Augusto institutos. — 71-73. libros Sibyllinos et XV viros iis inspiciendis. Servati autem illi libri primum in Capitolio, ab Augusto vero sub Apollinis Palatini basi conditi, ut ex Suetonio notum Octav. 31 et Tibullo II, 5, 1: *Phoebe fave, novus ingreditur tua templa sacerdos*, Quindecemvir Messala; haec igitur sunt *penetralia*. Neque Ovidius intelligendus aliter, etsi rem ita effert, quasi templum et sacra habuerit Sibylla, Met. XIV, 128: *Templa tibi statuam, tribuam tibi turis honorem*. — 74-76. Exsequitur Aeneas Heleni praeceptum, sup. III, 443, 444 et 457. *Ipsa canat*. Nunc igitur more suo relicto non foliis oraculum inscribit, sed ore profert. — Tum v. 75 oroate: ne dissipentur. (De foliis, materia scribendi, cf. not. ad III, 444. Addas, Athenis ἐκφυλλοφορίαν, ἐκφυλλοφορεῖν, et Syracusis πεταλισμόν docere, foliis oleagineis usos esse antiquissimis temporibus pro charta. *R.*)

77—80. Ornate omnia, a domandis equis translata verba (conf. v. 100, 101) ad vatem, quae nollet deum recipere, ἐνθουσιάζειν, cum divina vis crederetur corpus mortale tamquam sui non capax graviter vexare. — *bacchatur* pro simplici discurrit, v. sup. IV, 301. *Fingitur* equus a magistro *premendo*, h. e. dum premitur, pressus frenis, compressus, coercitus. (cf. sup. I, 63); ergo Phoebus domans Sibyllam, vi divinatrice mentem versans, ut ea incalescat, *fingit premendo* pro premit. Est etiam brevitatis laus in verbis *tanto magis*. Intell. verum, quanto magis illa bacchatur ideoque reluctatur, tanto magis ei instat, ut furorem concipiat et vaticinia effundat. Non autem nisi cum spasmis et convulsis inter dolores membris vates, quippe ecstatici, insaniebant. — 81, 82. Aditus ad interiores recessus antri. V. sup. ad v. 45; cf. Callim. in Apoll. 3, 6, 7. Putanda autem est Sibylla adytum ingressa, deo plena, ex adyto haec vociferari, voce per cava antri resonante. Conf. v. 98 et 44. — 83 sqq.

Sed terra graviora manent. In regna Lavini
Dardanidae venient (mitte hanc de pectore curam!) 85
Sed non et venisse volent. Bella, horrida bella
Et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simoïs tibi nec Xanthus nec Dorica castra
Defuerint. Alius Latio iam partus Achilles,
Natus et ipse dea. Nec Teucris addita Iuno 90

secundum Heleni praedictionem sup. III, 458 sq. Conf. praeclarum locum Tibulli II, 5, 39 sqq. ubi Sibyllae oraculum alio quidem tempore ac loco datum et latius expositum est. *in regna Lavinii*, ad Lavinium hoc tandem manifestum de loco aditus ad Italiam vaticinium. Reliqua egregie ad horrorem partim rerum exemplis et verborum ornatu, partim comparatione cum rebus Troianis, quarum quanta vis ad Aeneae recordantis animum esse debebat! — 87. Iam Homero frequentata rei imago Il. *η*, 329. *Dorica castra*, sup. II, 27.—88 sqq. Eadem calamitatum series renascetur. Cf. inf. X, 60, 61, 62. *Alius Achilles*, Turnus Veniliae f. v. inf. X, 76. Nec hoc sine veterum exemplo; v. c. Eurip. Troad. 613, 615 φεῦ φεῦ Αλλος Αἴας, ὡς ἔοικε, δεύτερος Παιδὸς πέφυκε σῆς, et sup. Ecl. IV, 34, *Alter erit tum Tiphys* etc. etiam in vaticinio. Neque aliter in praedictionibus vatum Hebraicorum Davides, Elias et alii excitantur tamquam reduces. — 90. *Nec Teucris addita Iuno Usquam aberit.* Interpretatio loci e veteribus nobis servata est. Macrob. VI Sat. 4 unum ex iis locis esse docet, in quibus vetustum verbum servaverit poëta. » *addita, id est affixa, et per hoc, infesta. Hoc iam dixerat Lucilius lib. XVI his versibus: Si mihi non praetor siet additus atque agitet me, Non male sic ille, ut dico, me extenderat unus.* « Servius: » *addita Iuno, inimica. Est autem verbum Lucilii et antiquorum; ut Plautus Aul. III, 6, 20: Argus, quem quondam Ioni Iuno custodem addidit.* « Sed alterum hoc Plauti ex iis potius exemplis est, quae doceant, quomodo voc. *additus* in hunc significatum transire potuerit. Scilicet *custodem dari, addi* voc. proprium est; v. c. inf. IX, 629, *Tum comitem Ascanio pater addidit*; et Horat. Od. III, 4, 78, *nequitiae additus Custos*, vultur, qui Tityi iecur observat. Iam autem, qui *custodes additi* sunt, in primis peccare volentibus iidem molesti sunt, difficiles, odiosi, infesti. Conf. Gesneri Thesaur. LL. h. v. Virgilium imitatus est in vocis usu Silius II, 595, *agit addita Erinnys*. Paullo aliter comparata sunt exempla, in quibus *addi* vel *additi esse* dicuntur, qui non sine molestia aliqua accedunt ad nos, vel quae nobis contingunt ingrata, v. c. ap. Stat. II Theb. 320, *Et, qua non gravior mortalibus addita cura, Spes.* Ad hoc genus referenda loca, quae afferunt Drakenb. ad Silium l. c. Gronov. ad Senec. Herc. fur. 1237 et al., non ad prius. Adde Val. Fl. VI, 181. Aliter rem expedire voluisse videtur Burmannus, qui ita ordinat verba: » *Nec Iuno aberit Teucris, addita* scilicet aliis hostibus, Turno et reliquis. « Hoc vero ieiunum et multo durius, etiam

Vsquam aberit; quum tu supplex in rebus egenis
Quas gentis Italum aut quas non oraveris urbis!
Caussa mali tanti coniunx iterum, hospita Teucris,
Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis; sed contra audentior ito, 95
Qua tua te fortuna sinet. Via prima salutis,
Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.
Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla
Horrendas canit ambages antroque remugit
Obscuris vera involvens; ea frena furenti 100
Concutit et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Vt primum cessit furor et rabida ora quierunt,
Incipit Aeneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave surgit;
Omnia praecepi atque animo mecum ante peregi. 105

ai iungere velles: *nec aberit addita*, h. e. addetur, accedet sc. nova hostis. Si quis nondum ullo interprete inspecto locum legat, is haud dubie ita accipiet: *nec deerit* in Italia *Iuno, addita Teucris*, quae semper Troianis adesse, iis instare, eos urgere, persequi solet. Eas res infesti animi esse quis dubitet? *quum tu* pro vulgari: tum tu. — 91. *oraveris*, v. lib. VIII Evandrum et Agyllinos Etruscos. *in rebus egenis*, angustis, periculosis. Noli cum Servio et aliis de fame accipere. *coniux*, Lavinia, ut olim Helena. —96. *qua* via et ratione, ἤ, quantum per fatum licebit, quantum fieri poterit. Sic II, 387, *O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.* Et sup. I, 448, *Corripuere viam, qui semita monstrat.* — 96. *via prima salutis.* Comparant Apoll. II, 388. *Graia ab urbe*, Pallanteo Evandri, veniet auxiliis inde acceptis.

100. Eventa rerum obscuris verbis prodit. Imitatur locum Lucanus I, v. 637, 638. — 100, 101. Adeo concitaverat eam Apollo. Conf. v. 79, 80, *ea frena*, τοῖα, tam valida. *stimulos sub pectore vertit*, h. e. in pectore figit, pectori subdit. Sed plus inest alteri verbo continuato ictu. *Frena et stimulos* ad furorem declarandum a Tragicis habet poëta; fortasse ex οἴστρος natos. Inter loca, quae interpr. laudant, unus est accommodatus Euripidis (Iphig. in Taur. 941) de Furiis; ἠλάστρουν θεαί, ὅστ' αἱματηρὰ στόμ' ἐπεμβαλεῖν ἐμοί. Mox v. 104 *facies* est species, genus; *surgit*, exquisite, occurrit, est. Scilicet audierat Aeneas omnia a patre V, 730, 731 et Heleno III, 458; itaque iam ante animo conceperat, προὔλαβε. Non male Aeschylus comparatur Prometh. 101—103, πάντα προὔξεπίστασαι etc. — *peregi* pro vulgari exegi, perpendi.

Vnum oro. Quando hic inferni ianua regis
Dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso,
Ire ad conspectum cari genitoris et ora
Contingat: doceas iter et sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas et mille sequentia tela 110
Eripui his humeris medioque ex hoste recepi;
Ille meum comitatus iter maria omnia mecum
Atque omnis pelagique minas coelique ferebat
Invalidus, vires ultra sortemque senectae.
Quin, ut te supplex peterem et tua limina adirem, 115
Idem orans mandata dabat. Gnatique patrisque,
Alma! precor, miserere; potes namque omnia, nec te

106. *Ianua regis*, hoc est, palatii vel regni aditus. — *tenebrosa palus Acheronte refuso*. Cum Acherontem mox in inferis locis poni a poëta videamus, Servius et ex eo Pomponius pronuntiant: *Avernum significat, quem vult nasci de Acherontis aestuariis*; ut Avernus sit Acherontis (cui *aestus* tribuitur inf. v. 296, 297) ex inferis partibus exundantis et supra crateris sui labra exuberantis (*refusi*) aqua, emissarium: ductum id ex Platone, in cuius Phaedone p. 112 B. Steph. c. 62, Tartarus omnes recipit, aqua autem ἀιώρεῖται δὴ καὶ κυμαίνει ἄνω etc. Apud Valer. Fl. IV, 594 *illic* (iuxta Heracleam Paphlagoniae) *Acheron — vastoque exundat hiatu Fumens*; et de eodem Apollon. II, 747, κοίλῃ δὲ φάραγξ κατάγει μὲν ἄνωθεν. Ipse enim Acheron in imis terrae radicibus: Κωκυτὸν δ' Ἀχέροντ', ὃς ἔχει ῥιζώματα γαίης Orph. Hymn. XVII, 10; unde tamquam effervescens et ebulliens erumpit in superas oras. De his ipsis locis Vlyssis aditu celebratus agens Lycophr. v. 695, καὶ 'χιρουσίαν Ῥόχθοισι κυμαίνουσαν οἰδματος χύτιν, et eundem in sensum Silius *eructare* dixit in loco ex Marone expresso XIII, 425: *specus eructat acerbam Cocyti laxo supinans ore paludem*. Docta haec sunt; quis neget? Si quis tamen ipsis poëtae verbis insistat, ea vix aliter accipiet, quam *paludem Acheronte refuso* dictam esse pro *paludem Acherontis refusi*, h. e. exaestuantis: ἀναχυθέντος. Ita ex communi usu ἀνάχυσις, in illo Strabonis V, pag. 243 D. de Acherusia palude ad Cumas ita exponentis: Ἀχερουσία λίμνη, ἀνάχυσίς τις τεναγώδης θαλάσσης, h. e. aestuarium maris per aestum exundantis supra litora. Fuit scilicet in his ipsis locis ad Cumas *palus Acherusia* (Plin. III, 5 med.), quam Maro intelligere videri potest et memorare ad declaranda haec loca, in quibus aditus est ad loca infera; nec tamen per lacum, sed per antra vicina. — Mox *sacra ostia*, ut Homericum θεῖα, et inf. 573 (non ut Serv.), cuius vocis significatus latissime patet, ut in nostris linguis nihil sit, quod satis respondeat; h. l. quae cum horrore adimus. — 116. *mandata dabat* sup.

Nequidquam lucis Hecate praefecit Avernis;
Si potuit Manis arcessere coniugis Orpheus
Threïcia fretus cithara fidibusque canoris; 120
Si fratrem Pollux alterna morte redemit
Itque reditque viam toties. Quid Thesea, magnum
Quid memorem Alciden? Et mi genus ab Iove summo.
Talibus orabat dictis arasque tenebat,
Quum sic ora loqui vates: Sate sanguine divom, 125
Tros Anchisiada, facilis descensus Averno;
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis;
Sed revocare gradum superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos aequus amavit
Iuppiter aut ardens evexit ad aethera virtus, 130

V, 731 sqq. Mox 118 *Hecate:* nam sup. v. 35 *Phoebi Triviaeque sacerdos* dicta erat. — 119, 120. Aut supplendum alterum membrum: quidni et mihi adire inferos liceat? aut iunge: *miserere.... Si potuit.* Statii imitationem vide Silv. V, 3, 271 sqq. *fretus*, usus. Homericum πεποιθὼς vel πίσυνος; et in hac ipsa re Orph. Arg. 42, Ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ simpl. pro ope citharae. Cf. Aen. IV, 245.

121, 122. Vt cum Castore, qui mortali patre Tyndareo natus erat, immortalitatem communicaret Pollux, Iove patre natus, hoc a diis impetravit, ut, quoties ipse ad inferos se contulisset, fratri interim ap. deos versari liceret. Hinc alternis sedes mutatae. Fabula varie a poëtis tractata et ornata. Fundus Odyss. λ, 302, 303; at v. Pindar. Nem. X, 103. Etiam Theseus et Hercules memorantur, quatenus inferos adiere, v. inf. 392 sqq. Aliter hoc ipso libro sexto v. 617 fabula de Theseo tractata; unde reprehensus poëta iam olim ab Hygino; vid. Gell. X, 16. Enimvero poëta non Theseum isse et redisse narrat, sed Pollucem; Theseum autem tantum sic memoravit, ut de solo inferorum aditu ageret.

124. *Aras tenebat.* Notissimus precantium mos. Si tamen teneas animo Aenesam in ipso limine templi vel antri substitisse (cf. mox v. 151; et is perpetuus veterum mos, si deum consulerent), dum vates penetraret ad adytum, v. 98, ara difficultatem habere potest quo loco sita fuerit. Scilicet, si ad limen substiterunt consulentes deum, de tota ea parte intelligendum, quae usque ad adytum patebat, ideoque πρόναος et ipse ναός sub limine et aditu intelligendus. Erat autem ara in pronao; nam omnis sacrificii ritus factus passim *ante* aedem memoratur.

126. *Avernus* h. l. simpl. pro locis inferis; non lacus, ut inf. 237 sqq. sed, ut in Ἀχέρων δυσέξοδος vel ἀμέξοδος. — 127. *patet*, accessu libero et expedito. — 129. Pauci ἥρωες διογενεῖς, si fuerunt θεοφιλεῖς et καλοκἀγαθοί. Sententiam v. 126-128 in-

Dis geniti potuere. Tenent media omnia silvae,
Cocytusque sinu labens circumvenit atro.
Quod si tantus amor menti, si tanta cupido est
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara et insano iuvat indulgere labori; 135
Adcipe, quae peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine ramus,
Iunoni infernae dictus sacer: hunc tegit omnis
Lucus et obscuris claudunt convallibus umbrae.
Sed non ante datur telluris operta subire, 140
Auricomos quam quis decerpserit arbore fetus.

terpretatur Seneca Here. fur. 675 sqq. — *aequus*, propitius h. l. — 131. *silvae* memoratae tenebrarum et caliginis significandae causa; ducta imagine ab Averni lacus situ sup. 118 *luci Averni*. — *Cocytum*, *Stygem*, *Acherontem* promiscue ponit poëta. — *sinu* praeclare de cursu fluvii, qui ambit locum, sinuoso. — 134. *Bis*. Nata rei perceptio haec ex Homericis Odyss. μ, 24, Σχέτλιοι — Διοθανέες etc. Sed *Pollio admiratur, quum Aeneas esset futurus deus, cur dicat bis. Solvitur hoc, quia apud Homerum* (Odyss. λ, 601 sq.) *Ulysses vidit umbram Herculis apud inferos*. Recte hoc, quandoquidem et heroum inter deos receptorum umbrae in locis inferis habentur. Elsi nec hoc necesse. Nam Sibylla Aeneae, viventis tum, fata post mortem ignorare potuit. Licet autem poëtis locis diversis et in narrationibus argumentisque diversis diversam famam mythumque amplecti et sequi. Ceterorum Grammaticorum argutias nemo moretur. — *tantus labor* pro vulgari: magnum ausum, coeptum, ardua res.

136 sqq. Locum respexit Claudian. de R. Pros. II, 290 sqq. — 137-139 ornate pro ramus aureus cum foliis aureis, et latet in densa silva: *vimen* est ipsius rami, virga. Male alii aliter. Nec tamen ipsam arborem auream credere licet; non magis quam Hesperidum arbores mala aurea ferentes. Unde poëta ramum aureum hunc traduxerit, varia conjectare licet, nihil tamen ad liquidum perducere. Symbolici aliquid inesse, saltem in primo invento, dubitare vix licet; et videtur aliquid subesse ex initiis s. mysteriis petitum, ubi in pompa eran τηλαδοφόροι, θαλλοφόροι et περιῤῥαντήρια lustrationesque, frondibus aqua pura humentibus factae. Expeditior est ratio, si ramum ἱκετείας recorderis, quem Aeneas praefereos ad Proserpinam supplex accedat. Simplicius hoc est virga aurea, qua Mercurius ad inferos animas deducere narrabatur. Deorum autem omnia sunt aurea. *Iuno infernà*: Proserpina alias Stygia, ut *Iupiter infernus*, κατα χθόνιος, de Plutone. *Avernam Iunonem* Ovidius dixit hac ipsa in narratione Met. XIV, 114.

140. *telluris operta*, simpl. loca infera, quatenus sub terra. — 143, 144.

Hoc sibi pulcra suum ferri Proserpina munus
Instituit. Primo avolso non deficit alter
Aureus et simili frondescit virga metallo.
Ergo alte vestiga oculis et rite repertum 145
Carpe manu; namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant: aliter non viribus ullis
Vincere nec duro poteris convellere ferro.
Praeterea iacet exanimum tibi corpus amici
Heu nescis! totamque incestat funere classem, 150
Dum consulta petis nostroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante suis et conde sepulcro.
Duc nigras pecudes; ea prima piacula sunto.
Sic demum lucos Stygios, regna invia vivis,
Adspicies. Dixit pressoque obmutuit ore. 155
Aeneas, maesto defixus lumina voltu,
Ingreditur linquens antrum caecosque volutat
Eventus animo secum. Cui fidus Achates
It comes et paribus curis vestigia figit.
Multa inter sese vario sermone serebant, 160

Ornate; in rami avulsi locum alius succrescit. Mox *rite carpe*.... si *te fata vocant*, si fatale est inferos adire. — 149 sqq. ante oculos Iliad. χ, 386 Κεῖται πὰρ νήυσσι νέκυς ἄκλαυστος ἄθαπτος Πάτροκλος. Observa verborum proprietatem: *pendes* pro vulgari haeres. — *sedes* de sepulcro. Alii de terra, hoc quidem admodum dure, accipiunt. Cur non locum comparant inf. v. 371, *Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam*; et v. 328, *quam sedibus ossa quierunt?* Errant Manes insepulti vel circa corpus vel circa Stygem. (Notissima res. V. Obs. ad Tibull. III, 2, 15); impertitis autem iustis ad loca infera admissi quietem recipiunt. Piaculare autem sacrum v. 153 non tam ad purgandam classem a contactu insepulti cadaveris valuisse videtur, quam ad placandos inferos, quos erat accessurus; omnino enim ad inferos nonnisi expiati et placatis Manibus accedunt heroës apud ceteros quoque poëtas. *prima* v. 153 est pro prius, ante.

156-211. Corpus Miseni sepelitur; et quaesitus tandemque repertus ramus aureus ab arbore revulsus apportatur. —. 157. *caecos eventus*, obscuros, ignotos animo versantes Aeneas et Achates ante oculos sistuntur. — 160, 161 pro vulgari: sermones serebant super variis rebus. Ceterum mireris, cur non in Palinuri insepultum corpus incidat Aeneae cogitatio; qua tamen nulla prior esse

Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum
Diceret. Atque illi Misenum in litore sicco,
Vt venere, vident indigna morte peremtum;
Misenum Aeoliden, quo non praestantior alter
Aere ciere viros Martemque adcendere cantu. 165
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat et hasta.
Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,
Dardanio Aeneae sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora secutus. 170
Sed tum, forte cava dum personat aequora concha
Demens et cantu vocat in certamina divos,
Aemulus exceptum Triton, si credere dignum est,
Inter saxa virum spumosa inmerserat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant; 175
Praecipue pius Aeneas. Tum iussa Sibyllae,
Haud mora, festinant flentes aramque sepulcri
Congerere arboribus coeloque educere certant.

debebat: nisi quod Miseni cadaver in proximo litore iacet eiusque celebritas fuit magna propter promontorium ab eo appellatum. — 170. *non inferiora*, docte et Graecorum more pro inferiorem, τὰ ἥττω pro τὸν ἥττονα. Aeneam Hectori aequiparat, ut inf. XI, 289 et al. — Mox 171 *concham* paullo durius pro tuba vel lituo posuit; nam nec in *lituo* (v. 167) proprietate est haerendum. Sic *lituum* et *tubam* paucos intra versus memorat Statius VI Theb. 228-230. *Tubicinem* Misenum vocat Propert. III, 18, 3. Liticinem Stat. IV Silv. 6, 19. — *demens*, Homericum Νήπιος! Iliad. β, 38 et saepe al. — *exceptum*, cf. sup. III, 332, ut ὑποδέχεσθαι, insidiis. Duelum autem hoc ex mythica ratione praestantiae designandae, ex qua provocare deum is, qui aliqua arte excellit, eiusque iram lacessere narratur. — 177. *aram sepulcri* exquisite, quod v. 215 *ingentem pyram* a formae similitudine, quum in arae modum exstructa esset, alta et quatuor lateribus. *Aro* enim est omnis basis aut quod eius formam habet usumque, ut aliquid imponatur, ut h. l. rogus, cui corpus exanime comburendum imponitur. Sic et Servius, qui tamen addit: *Probus tamen et Donatus de hoc loco requirendum adhuc esse dixerunt.* In Donati fragmentis interpolatis, quae habemus, nihil occurrit. At de altero Pompon. Sab. *Dicit aram, quia rogus, id est pyra, non fiebat sine aris, ut ait Probus.* Perperam. In sqq. ante oculos Odyss. μ, 11 sqq.; Il. ψ, 164 sqq. Adde Il. η, 417, 428 sq.; ω, 662 sq.; 787 sq., et locum infra XI, 182 sqq. *Con-*

Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceae; sonat icta securibus ilex, 180
Fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur
Scinditur; advolvunt ingentis montibus ornos.
Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur socios paribusque adcingitur armis.
Atque haec ipse suo tristi cum corde volutat 185
Adspectans silvam inmensam et sic voce precatur:
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto! quando omnia vere
Heu! nimium de te vates, Misene, locuta est.
Vix ea fatus erat, geminae quum forte columbae 190
Ipsa sub ora viri coelo venere volantes
Et viridi sedere solo. Tum maxumus heros
Maternas adgnoscit avis laetusque precatur:
Este duces, o, si qua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat 195
Ramus humum. Tuque, o! dubiis ne defice rebus,

gerere ex νηέω; v. c. Apollon. l. I, 403, Νήσον αὐτόθι βωμόν, et Il. ψ, 139. (cf. Ecl. I, 69. R.) Poëta multum ornatus (expende singula) in re tenui cumulavit; hoc quidem iam Ennii exemplo: locum servavit Macrob. VI, 2. Ad horum ductum sequiores poëtae pigmenta sua in simili re profuderunt, Silius X, 528 sqq.; Statius Theb. 88 sqq., hic quidem ea cum copia, quae fastidium faciat. Cf. Columna ad Ennium p. 67. Mox *piceae* proprie in rogis locum habent. Cf. Plin. XVI, 10, s. 18. — 182. *de* montibus int. et v. 184, *accingitur*, ὁπλίζεται, accingit se (se instruit, cf. IX, 74. *R.*)

187. *Si nunc*, utinam nunc, ut Gr. εἰ, εἰ γάρ, v. c. qui locus in manibus est, Hymn. Homer. in Apoll. 51, Δῆλ', εἰ γάρ κ' ἐθέλοις· quem si ita acceperis, emendatione non egere videbis, nisi ut ἐθέλοις scribas. Add. Aesch. Sept. 262. infr. VIII, 560. *se ostendat*, adpareat etc.; nec tamen dubitandum, arbore hac inventa, alteram etiam vaticinii partem eventum esse habituram, quando etc. — 190 sq. Dignus tali vindice nodus. Ostento vel augurio aliquo res profecto nunc cum maxime erat expedienda. Quale autem aliud accommodatius Veneris matrix avibus? etsi omnino faustum et laetum hoc suspicium. Sed poëta haud dubie in animo habuit Apollonium, lib. III, 540 sqq. cf. 926 sqq. Nec Dodonaeum oraculum ex columbis obscurum est. Hoc augurio conspecto substitit et precatur, ex more. Praeivit Homerus Iliad. x. 274, 278 sq. — 195. *ubi... humum*



Diva parens. Sic effatus vestigia pressit,
Observans quae signa ferant, quo tendere pergant.
Pascentes illae tantum prodire volando,
Quantum acie possent oculi servare sequentum. 200
Inde, ubi venere ad fauces grave olentis Averni,
Tollunt se celeres liquidumque per aëra labsae
Sedibus optatis geminae super arbore sidunt,
Discolor unde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet silvis brumali frigore viscum 205
Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fetu teretis circumdare truncos:
Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice; sic leni crepitabat bractea vento.
Corripit Aeneas extemplo avidusque refringit 210
Cunctantem et vatis portat sub tecta Sibyllae.
Nec minus interea Misenum in litore Teucri
Flebant et cineri ingrato suprema ferebant.

ornate, aureus ramus est. — 198. *quae signa*, quale augurium, quid ostendant.

201. Arbor stabat in ipsa valle. Vide v. 139. *Sedibus optatis* eleganter de arbore, quam volatu petierant. *auri aura*, splendor. *Aura* de luminis reverberatione exquisite, v. ad Ge. II, 47, ubi *luminis aurae*, cf. h. l. Serv. Sic ignis fulminei aura, φάος ἀϋτμὴ Callim. in Dian. 117 de vapore ignis, qui etiam longius dissita adurit. Proprie in odore locum habet. — 205 sq. De visco, Druidarum superstitionibus nobilitato frutice glutinoso in querno arborum genere nec minus tamen in aliis quoque arboribus ramis enasci solito, unde glutinum paratur, ex historia naturali notio petenda. Ex antiquis v. Plin. XVI, 44, s. 93 et XXIV, 4, s. 6 — *quod non sua seminat* (producit. *R.*) *arbos*: ex vetere opinione, falsa tamen. Plin. l. c. *Omnino autem satum* (viscum, ἰξός) *nullo modo nascitur, nec nisi per alvum avium redditum maxime palumbis ac turdis.* Cf. Theophr. III, 9, 16. Diosc. III, 103. B. Satis nunc constat plantam esse parasiticam (viscum album Linn., Mistel. *B.*), cuius semina aves appetunt et rostro absportata in ramis arborum et cortice deponunt. Male Heins. et Burm. ad aucupium delabuntur. — *brumali frigore*, tunc enim maturum est. — 207, *croceo fetu*, ex natura visci. Plin. XXIV, 4, s. 6: *Optimum est. . . . extra fulvum, intus poraceum.* — 211. *cunctantem* ornat; ut tenax; et v. 137, *lento vimine ramus*, quippe ex auro. Sic II Ge. 236 *glebas cunctantes* dixerat.

212. *ingrato*, malim ut Servius al-

Principio pinguem taedis et robore secto
Ingentem struxere pyram; cui frondibus atris 215
Intexunt latera et feralis ante cupressos
Constituunt decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices et ahena undantia flammis
Expediunt corpusque lavant frigentis et unguunt;
Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt 220
Purpureasque super vestis, velamina nota,
Coniiciunt. Pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium, et subiectam more parentum
Aversi tenuere facem. Congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo. 225
Postquam conlabsi cineres et flamma quievit,

tero loco ponit, gratiam nec sentienti nec referenti. Est ἀναίσθητον σῶμα, et Il. ω 54, κωφὴ γαῖα. — 215. Rogum struxerunt taedis pinguibus et lignis fissis, cf. Iliad. ψ, 164 sqq. — *frondibus atris Intexunt latera*, ornate, faciunt latera ex ramis et lignis arborum nigricantium, ut tristis adspectus esset. *et cupressos Constituunt.* Volunt arbores ante rogum positas fuisse et ad Romanorum morem alludi, quo cupressi ante domum funestam statuebantur. Quantum equidem video, parte sui et facie exteriore rogus structus erat truncis cupressinis prominentibus in tropaeorum vel ferculorum morem, quibus affixa arma. Habet etiam sic Varronis apud Servium interpretatio locum: *Varro dicit pyras ideo cupresso circumdari, propter gravem ustrinae odorem.* Imitationes loci notarunt ex Statio IV Theb. 460. — 218. *latices calidos*, cf. Iliad. σ, 349 sqq.: Odyss. ω, 44 sq. — *expediunt*, ut I, 177, *Cererem expediunt*, proferunt (parant. R.) — Ad v. 219 Servius laudat versum Ennianum: *Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit.*

220—225. Corpus collocant in lecto, veste tegunt, repositum in feretro ad rogum portant, (222) rogo impositum cremant; cf. Il. ω, 785 sqq. *Velamina nota*, ex loqu. usu (cf. inf. XI, 195, 196) aliter vix accipias, quam quibus ipse, dum vivebat, usus erat. Etsi poëta ad suorum popularium morem respicere potuit cum purpura cremandi mortuos, de quo laudant Intpp. nota loca Cic. de Legg. II, 23. Liv. XXXIV, 7; tamen magis probabile fit Homerum ante oculos poëtae fuisse Odyss. ω, 59 — *subiectam tenuere*, h. e. subiiciunt, subdunt; *more parentum* Servius: « propinquioribus « enim virilis sexus hoc dabatur offi« cium. » Sed dictum puto pro more patrum, maiorum. Mox in ignem coniici puta ius, oleum; sed quid *dapes*? verbo, puto, sacrificali corpora boum, suum, ovium (v. inf. XI, 197 sq.), victimarum caesa et in ignem iniecta significat poëta. Cf. Il. ψ. 166 sq.; Odyss. ω, 65.

226 sq. cf. Il. ψ, 250 sqq.; ω,

Reliquias vino et bibulam lavere favillam;
Ossaque lecta cado texit Corynaeus aheno.
Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi et ramo felicis olivae, 230
Lustravitque viros dixitque novissima verba.
At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
Inponit suaque arma viro, remumque tubamque,
Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur aeternumque tenet per saecula nomen. 235
His actis propere exsequitur praecepta Sibyllae.
Spelunca alta fuit vastoque inmanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris:
Quam super haud ullae poterant inpune volantes
Tendere iter pennis (talis sese halitus atris 240
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat!)

794 sq.: Odyss. μ, 13 sq.: ω, 71 sq. Verba ex Iliad. ι, 212: Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ πῦρ ἐκάη, καὶ φλὸξ ἐμαράνθη, — 227. Rogum et cineres conspergunt vino ex more, quem nidor et calor suadere debuit. *cadum* dixit pro urna: φιάλην memoraverat Homerus Il. ψ, 253 et λάρνακα, ω, 795 de Achillis cineribus, χρύσεον ἀμφιφορῆα Od. ω, 74. *Corynaeum* vero nominat quoniam poëtae omnia definite etiam per personas efferenda sunt. Nota urnam h. l. ex aere: cuius generis non pauca, in primis per Italiam inferiorem, reperta sunt in sepulcris, olim falso Etrusca dicta. — 229. Exquisitius *circumferre socios unda*, quam *unda circa socios*. Lustratio haec facto funere sollennis. *felix oliva*, quia etiam *infelix oliaster* Ge. II, 314 sterilis et infaustus. *novissima verba*; nota res: *Vale, Ave.* — 232. *Imponit* pro ponit, facit tumulum terra aggesta in illo loco; fortasse heroico more, ἀμφὶ πυρὴν, in loco, quo rogus arserat; ut videtur res apud Homerum animo repraesentanda, ut tumulus fiat in eo loco, in quo rogus fuerat. v. c. Il. ψ, 255, 256: η, 434. *ingenti mole*, more veterum populorum plerorumque; unde disputata sunt tam multa de tumulis barbarorum. — Tum huic tumulo imponit *sua arma*, *remumque tubamque*, solemni more a multis illustrato, etiam ex sepulcris. Conf. Fabrett. ad Column. Trai. p. 374. Postea pro instrumentis his facile putrescentibus et pereuntibus eippi ex saxo istis instrumentis insculpti positi. — 234. *monte sub aërio*: *Iliacoque iugum memorabile remo*, de Miseno Statius III Silv. 5, 98 et de Elpenore suo Hom. Od. μ, 14, 15.

236 sqq. Nunc ad saerum Manibus faciendum se accingit Aeneas ex praecepto. — v. 153. *spelunca* Averno imminens (hinc *tuta lacu*) et alia, quam quae supra v. 42 memorata est. *vo-*

Vnde locum Graii dixerunt nomine Aornon.
Quatuor hic primum nigrantis terga iuvencos
Constituit frontique invergit vina sacerdos
Et summas carpens media inter cornua saetas 245
Ignibus inponit sacris, libamina prima,
Voce vocans Hecaten Coeloque Ereboque potentem;
Supponunt alii cultros tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori 250
Ense ferit sterilemque tibi, Proserpina, vaccam;
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras
Et solida inponit taurorum viscera flammis
Pingue super oleum infundens ardentibus extis.

lantes, volucres. Sic III Ge. 147, *Plurimus volitans*. — Versus 242 epica gravitate indignus et suspectus (cf. ad I, 109, ubi simile iudicium vides. Quum medic. codex a prima manu hunc versum habeat, epicam gravitatem non curo versumque pro genuino habeo: quare obelo expunxi. *R.* Idem statuo. *B.*) Sacrum parat sub ipsum speluncae ingressum. — 243 sq. Totus hic sacrificii diis inferis facti apparatus apud plures poëtas occurrit, ductus ex Homero pluribus locis: imprimis Od. κ, 317; λ, 25. *invergit* signantius et elegantius quam infundit; nihil amplius. *Et summas carpens* pertinet ad Homericum: Αὐλὰ ὅ, τ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλε. Iam inter victimae consecrationem, quae fit vino in caput libato et pilo tamquam pro ἀπαρχαῖς evulso et cremato, concipiuntur preces, v. e. Od. γ, 445, 446. Itaque h. l. subiicitur: *Voce vocans Hecaten*. — 248. *Supponunt cultros*, subiectis, admotis infra sub iugulo, ut Ge. III, 492, *suppositi cultri*, ex religione in sacris inferis notissima, ut prona et cernua mactaretur victima diis inferis. Mox *suscipiunt* Pompon. Sab. „ antiquum verbum est, „ scilicet pro *excipiunt* vulgari. Sic. I, 175. — 250. *Mater Eumenidum*, Nox (inf. XII, 846. Aeschyl. Eumen. 322) et Noctis *soror*, Terra, ut Servius notavit; ideoque ex Chao. Ipsis Eumenidibus sacrum facit Scipio loco hinc expresso Silius X, 429 sqq. — *sterilem vaccam*, ex religionis praescripto, στεῖρον βοῦν Od. λ, 30. — 252 *nocturnas aras* simpliciter, quia sacrum noctu fit; ut diis inferis fieri fas erat. — *Inchoare* verbum sacrorum esse Servius tradit: saltem exquisite positum pro facit. *Aram* autem puta in scrobe excisam, ut in sacris inferis; hinc *humiles aras* dixit Valer. Fl. III, 426. — 253. *solida viscera*, totam victimam. *Viscera* pro carnibus et crudis partibus etiam alias occurrunt; mox pro iisdem *exta*: diis enim inferis fiunt *holocausta*. Itaque ad flammam alendam oleum infunditur. Cf. Apollon. III, 1030 sq. 1490 sq.

Ecce autem! primi sub lumina solis et ortus 255
Sub pedibus mugire solum et iuga coepta moveri
Silvarum visaeque canes ululare per umbram,
Adventante dea. Procul o! procul este, profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco;
Tuque invade viam vaginaque eripe ferrum; 260
Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.
Tantum effata furens antro se inmisit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem passibus aequat.
Di, quibus imperium est animarum, Vmbraeque si-
Et Chaos et Phlegethon, loca nocte tacentia late, (lentes

255. Tempus a nocte media usque ad noctem extremam intelligendum esse et res et sacri huius mos docet. v. Silius XIII, 405, 413, 419. Apollon. III, 1190, 1028. cf. inf. ad 535. Quae autem sequuntur, terrae motus et inferarum canum latratus alias signa esse solenni Hecates adventus in sacris, quae ad Manes evocandos fiunt. Hic omne hoc rei miraculum non alio pertinere videtur, quam placatam esse sacro Hecaten Aeneamque adeo ad loca infera admitti; uti ap. Orpheum ad solvenda claustra luci, quo aureum vellus servatur, v. 983 sq.: et omnino ad placandam Hecaten ap. Apollon. III, l. c. Neque aliter quam de deorum infernorum venia acceptum esse locum a Fenelonio, docet suavissima imitatio in Telemacho lib. XVIII, p. 123. Imitatus quoque locum est Dantes Infern. Cant. III; 130 sq. — *adventante dea* de Hecate esse intelligendum nihil est quod dubites, si modo caetera de his sacris loca poëtarum consulas, v. c. Apollon. III, 1211 sqq. Theocrit. Idyll. II, 35, 36, 40—43. Quod *canes* nonnunquam de Furiis dictae sunt, huc non vocandum erat ab Intpp. Sunt canes Hecaten comitantes, et passim in sacris magicis memorati. Ad *iuga silvarum* offendunt Intpp., sed sunt iuga montium silvis consita; nihil amplius. Sic *dorsum nemorum* ap. Horat. *silvas iugosas* dixit Ovid. Am. I, 1, 9. 258. *Procul o! procul.* An formula hac initiorum satis sollerter hic poëta usus sit, dubito. Nemo enim aderat, qui amoveri posset, praeter socios Aeneae. De monstris infernis intelligit Cerda. At quis ea per *profanos* designata credat! Warburtono quidem res erat satis expedita, dum (quod verum. *B.*) initia Eleusinia hic expressa volebat. (Si haec verba pro formula exordii sacri sollemni accipere licet, qua nihil aliud nisi audientiam sibi vates facere velit, vix est quod poëtae sollertiam reprehendas. Nec vates nosse forsan poterat, an in Aeneae sociis nullus βέβηλος s. ἀλιτήριος, profanus versetur. *R.*) — Quae sequuntur de ense nudato, ex Homero mutuata sunt Odyss. λ, 48 sq.

264 sq. Habet insignem vim ad animos excitandos et horrore quodam sacro imbuendos subita haec deorum inferorum et Manium appellatio. Ad sententiam cf. Senec. Herc. fur. 658—664. *Chaos* bene invocatur, ex quo

Sit mihi fas audita loqui; sit numine vestro 266
Pandere res alta terra et caligine mersas.
Ibant obscuri sola sub nocte per umbram
Perque domos Ditis vacuas et inania regna:
Quale per incertam lunam sub luce maligna 270
Est iter in silvis, ubi coelum condidit umbra
Iuppiter et rebus nox abstulit atra colorem.
Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae,
Pallentes habitant Morbi tristisque Senectus 275
Et Metus et malesuada Fames ac turpis Egestas,
Terribiles visu formae, Letumque Labosque;
Tum consanguineus Leti Sopor et mala mentis

Nox nata et Erebus. *Phlegethon* omnino pro locis inferis, sed ad terrorem nominatus prae ceteris. Cf. inf. 550 sqq. *Sit numine vestro*, voluntate, *pandere*, liceat per numen vestrum; quantum ad vos attinet; h. e. cum venia vestra. — 268. *obscuri*, poëtico ornatu translatum epitheton ab umbra vel nocte. *domos* simpl. pro locis. *incertam lunam*, nubilo coelo, unde *lux maligna*, parca, infirma ac tenuis; ut contra *benignus* interdum largus, multus. *Incerti soles* sup. III, 203, 204. ἀΐδνα σκοτίη apud Apollon. IV, 1697.

273—287. Ingeniose in faucibus et aditu locorum inferorum constituta ea, quae vel morti sunt vicina vel in morte sunt. Cf. Serv. Imitatores loci iam excitavit Cerda Silium (XIII, 579 sqq.), Senecam in Herc. fur. (680 sqq.), Claudian. in Ruf. (I, 29 sqq.); at e recentioribus Spencerum, ubi Mammonae antrum describit (*Fairy Queen II B. Canto VII. XXI*), et Miltonum (*Paradise lost* B. I, 624) Spencius. Ingeniosa Fenelonii est ratio, qui Plutonis throno assidentia haec monstra exhibet. Praeivit Hesiod. in Theog. 744 sq. Observemus porro ex eodem Servio ad h. l. *Orcum*, h. e. Plutonem, ut Αΐδην pro loco poni sic, ut Iovem pro aëre. Curae, angores, conscientiae, ut bene Serv. laudato noto Iuven. XIII, 193 sq. *quos diri conscia facti mens habet attonitos et surdo verbere caedit.* — Tum 276 *malesuada Fames*, quae suadet rapinas, scelera Eurip. Electra 375: ἀλλ' ἔχει νόσον πενία· διδάσκει δ' ἄνδρα τῇ χρείᾳ κακόν. Et huius generis plura ap. Euripidem. Silius in l. c. XIII, 585. *Et deforme malum ac* (quod melius abest) *sceleri proclivis Egestas.* Praeivit Homerus Od. ρ, 286, 287 et σ, 53, 54. turpis *Egestas*, deformis, sordida; unde *Terribiles visu formae* adiectum. Imitator loci Seneca Herc. fur. 694 *Famesque tabida rictu.* Comparant Inipp. Lucret. (III, 65 sq.). — 278. *consanguineus Leti Sopor* ex Il. ξ, 231. Ὕπνος κασίγνητος Θανάτου. Etiam Hesiodo Theog. 756 sqq.

Gaudia mortiferumque adverso in limine Bellum,
Ferreique Eumenidum thalami et Discordia demens, 280
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaque brachia pandit
Vlmus opaca, ingens, quam sedem Somnia volgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.
Multaque praeterea variarum monstra ferarum, 285

Somnus et *Mors* Nocte matre editi. *mala mentis Gaudia* ideoque talis mentis, quae et ipsa *mala* et scelesta est, quae gaudet sceleribus. Argutatur in epitheto Seneca Ep. 59, 2. (qui tamen Stoicam ad significationem haec revocat ac iudicat. *R.*) — *adverso in limine.* Bellum in ipso limine (cum Furiis et Eride), quoniam nulla maior est causa, ait Serv. nimis argute; repetit poëta, quod supra posuerat: *primis in faucibus Orci.* — 280. *thalami*, ut apud Homerum, θάλαμοι, cubicula, ferreis claustris seu foribus. Ita Νυκτὸς παῖδες ἐρεμνῆς οἰκί' ἔχουσιν in foribus Tartari, ap. Hesiod. loco modo laud. v. 758. Cogitandum autem de servorum ianitorum *cellis.* Enimvero *Tisiphone cum Sororibus* non minus infra v. 570 sq. *in aditu Tartari* collocata memoratur. Non habeo, quod satis commode ad hanc difficultatem respondeam. Dicere enim eas hic habere suas sedes et per alia loca discursitare fortasse ieiunum sit. An Eumenides alias esse voluit quam Furias? Idsine exemplo fieret. Expeditior ratio apud Ovidium est IV Met. 452 sq., ubi illae etiam *ante fores*, sed Tartari, sedent. Tertia aliqua earum sedes occurrit, inf. XII, 849, 850, ubi *in limine regiae Iovis* eaedem satellitum loco escubare dicuntur, aliorum poëtarum more. Sed poëtae licet diversis in locis diversos sequi mythos, modo nihil insit, quod praesentem fructum et voluptatem loci, in quo lector versatur, turbet et intercipiat.

282 sq. Mirum phantasma, quod Somniis sedem assignat in ulmo. Sed diis alatis, levibus, vagis bene ea convenit, et commentum subnatum poëtae suspicor ex Homero Il. ξ, 286 — 291, ubi Somnus a Iunone adductus in arbore considet, donec Iovem possit opprimere. Alias in aditu Orci Somnia collocare sollenne est poëtis. Odyss. ω, 12, παρ' Ἠελίοιο πύλας (occidentis Solis) habitat δῆμος Ὀνείρων. *volgo*, passim, catervatim, ut bene Serv. (fortasse *volgo* melius cum *ferunt* iunxeris. *R.*) — Eandem arborem satis commode in taxum et sedem bubonum, strigum et Harpyiarum mutavit Silius XIII, 595—600: item Seneca Herc. fur. 690. — 285. A Somniorum ludibriis facilius fuit poëtae ingenio progressus ad phantasmata et monstra. Sed ea iam antiquiores in his locis collocasse ex Aristophane colligo in Ranis 143, Μετὰ ταῦτ' (Charontem narraverat) ὄφεις καὶ θηρί' ὄψει μυρία δεινότατα. Est locus de Bacchi descensu ad inferos. Adde v. 280 sqq. 475 sq. cf. de Herculis descensu inf. Aen. VIII, 296 sq. (Nec abludit ab hoc more monstra Italia in locis inferis collocandi etru-

Centauri, in foribus stabulant, Scyllaeque biformes
Et centumgeminus Briareus ac bellua Lernae
Horrendum stridens flammisque armata Chimaera,
Gorgones Harpyiaeque et Forma tricorporis umbrae.
Conripit hic subita trepidus formidine ferrum 290
Aeneas strictamque aciem venientibus obfert,
Et, ni docta comes tenuis sine corpore vitas
Admoneat volitare cava sub imagine formae,
Inruat et frustra ferro diverberet umbras.
Hinc via, Tartarei quae fert Acherontis ad undas; 295
Turbidus hic coeno vastaque voragine gurges

sca et graeca antiquior par Italiam religio. Cf. Bottigeri Vasengemalde I, 3. pag. 89 *R.*) — 286. *in foribus stabulant*, accommodate ad feras, pro sunt in primo aditu. *Scyllae biformes*, superne specie puellari, quae in belluam marinam desinit. v. ad Ecl. VI, 74. Ergo h. l. plures Scyllae ponuntur? recte; plura monstra Scyllaea, ut Stalius eloquitur Silv. V, 3, 280. Nec assumenda est altera, Nisi fil. Praeivit Lucret. V, 890, 891. IV, 737. Locum videbis expressum a Tasso *Gerusal. lib. IV, st.* 5. — 287. *Briareus centumgeminus*, ut *trigeminii* pro trinis, centumplex; sive ut ἑκατόγχειρον dicere vellet ex Il. α, 402—404, sive centum manuum respectu, ut Aegaeonem inf. X, 565 sq. — 289. *Gorgones* in Hade iam in Odyss λ, 632, ubi Vlysses metuit, ne Gorgon sibi occurrat. Fugat Gorgonem Hercules ap. Apollod. II, 5, 12. p. 121. Vnde apparet; simpliciter terroris symbolum forma ac specie aliqua expressum Gorgonem fuisse. — *Forma tricorporis umbrae* ornate, pro tricorpore Geryone: τριτόμαχτος ap. Aeschylum Agam. 869. Imitatorem etiam hoc in loco habuit Virgilius Silium XIII, 587 sq. Harpyiis fugandis Ariostus ad Orci ingressum adduxit Astolphum suum. (*Orlando furioso, canto* XXXIII et XXXIV.) — 290 sq. ad ductum Homeri l. c. Od. κ, 535 sq. λ. 48 sq. cf. ibid. 218—221. add. Apollon. I, 1250. — *offert*, exquisite pro intentat, et *tenues vitas*, εἴδωλα vita utentia, animas. Non admodum diverse *tenues vitas* dixit in ortu animarum Ge. IV, 224. — *sine corpore* vero; habebant tamen corporum speciem, corpora tenuia, umbratica, εἴδωλα: hinc mox v. 303 *corpora*; sed non *corpora viva* v. 394. — *cava sub imagine formae*, sub cava forma corporis, h. e. inani, non solida. Sic lib. II, 360, *cava umbra*.

295 sq. Non subtiliter et ad historici diligentiam nomina fluminum inferorum posuit Virgilius, sed poëtae more ea variavit. *Acherontem* appellat, qui fere Styx esse solet; etiam flumen mox *lacum* et *paludem*. (Fortasse Sophocl. Antig. 810 sq. nostro obversabatur. *R.*) Porro Acheron h. l. in Cocytum immittit se; contra quam Homer. Odyss. κ, 513 sq. facil. *coeno*, mox *arena*; non diver-

Aestuat atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas et flumina servat
Terribili squalore Charon, cui plurima mento
Canities inculta iacet; stant lumina flamma; 300
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit velisque ministrat
Et ferruginea subvectat corpora cymba
Iam senior; sed cruda deo viridisque senectus.
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat, 305
Matres atque viri defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae
Inpositique rogis iuvenes ante ora parentum:
Quam multa in silvis autumni frigore primo
Labsa cadunt folia aut ad terram gurgite ab alto, 310

sum. *Aestuat* simpl. pro fluit; nisi, quia vorticosus amnis est: conf. v. 107. — *Cocyto eructat*, in Cocytum. Ex h. l. Statius IV Theb. 522, *liventes Acheron eiectat arenas*. — 298-304. Ornata singula; et ex h. l. alii Charontem exhibuerunt, ut Seneca Herc. fur. 764-769. — *stant lumina flamma* pro vulgari: flamma stat, est in oculis: sunt lumina flammea. Vestitum naucleri v. 301, lacernam, pallii genus, Plautinus locus illustrat in Milite (Act. IV, Sc. 4, 44—45), ubi palliolum ferrugineum connexum in humero laevo expapillato brachio. — *nodus* est seu proprie seu fibulae. Cf. ad Aen. I, 320. IX, 776. — 302. *subigit*, ut Ge. I, 201, 202. — *velis ministrat* etiam inf. X, 218, h. e. ministerium praestat, operatur, velis; vela curat. *Ministerium* omnino voc. servile et nauticum. Heinsius mavult iungere: *ministrat ratem velis*, ut ap. Valer. Fl. III, 38. *ferruginea* cymba est κυανέη, colore nigricante ex imbribus aquisque contracto (Sophocl. Antig. 954 κελαιναὶ νᾶες conferantur. *R.*) *cruda* (vigens) *senectus* frequentatum iam Graecis ὠμὸν γῆρας ὠμογέρων. — 305-308 Iucunda enumeratio, in primis v. 308, adumbrata ex Odyss. λ, 38—41, in quo suaviores Παρθενικαί τ' ἄπαλαί, νεοπενθέα θυμὸν ἔχουσαι. Occurrit eadem Ge. IV, 475—477; sed ornata ibi comparatione paullo immutata v. 473, 474: *Quam multa in foliis avium se millia condunt, Vesper ubi aut hiberna agit de montibus imber*. — 309 sqq. Comparatio duplex multis post Virgilium frequentata, veteribus et recentibus, fluxit ex Homero, altera Odyss. I, 51, 52. Iliad. β, 494, 492 et 800; cf. Apollon. IV, 216, 217, altera ex Il. γ, 3 sqq. et Il. β, 459 sqq. Ad *quam multa* supple animo *tanta turba* ex vs. 305. *ad terram* v. 310 de calidiore plaga accipe, quam volatu trans mare petierant; ut v. c. de Ae-

Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat et terris inmittit apricis.
Stabant orantes primi transmittere cursum
Tendebantque manus ripae ulterioris amore;
Navita sed tristis nunc hos nunc adcipit illos, 315
Ast alios longe submotos arcet arena.
Aeneas (miratus enim motusque tumultu)
Dic, ait, o virgo! quid volt concursus ad amnem?
Quidve petunt animae? vel quo discrimine ripas
Hae linquunt, illae remis vada livida verrunt? 320
Olli sic breviter fata est longaeva sacerdos:
Anchisa generate, deum certissima proles,
Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem,
Di cuius iurare timent et fallere numen.
Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est;

gypto narratur, quo sub hiemis initium ingentia agmina avium e nostris terris advolant. — 311. *frigidus annus*, χειμών, frigida anni pars, autumnus hiemsque.

313. *transmittere cursum*, h. e. transire. De hoc nemo dubitet. Sed quomodo dictum hoc? Figura graeca est, ait Servius. Scilicet vulgari more: *transmittimus* (nos trans) *amnem cursu*, h. e. navigatione, πορεία, tum vero doctius: ipse *cursus transmittitur*. Ita πόρρωθεν τὸν πλοῦν. *summotos arcet* in litore, plenius pro summovet. — 320. *Ripas hae linquunt*, recedunt non admissae in cymbam. Necesse non est, ut ipsae animae remigent, quod apud Lucianum faciunt aliquoties animae Charontis iussu; nam simpl. dictum esse potest pro: navigant trans fluvium, ut et inf. 411, *per iuga longa sedebant animae* tamquam vectores locis assignatis. — *longaeva*: nota fabula de Sibylla ab Apolline auctata, dei munere tot annos, quot arenulas manu hauserat, nacta. — 322. *certissima*, quod concesso aditu ad inferos cognitum; sup. 130, 131. Nam *pauci dis geniti* ex inferis redire potuere. — 323. *Cocytum* et *Stygem* appositione sermonis usus dixit, etsi vere diversi amnes. Iam v. 324 *Di cuius* ex Od. s, 185, 186. — *iurare et fallere*, peierare. — 325-336. Bona religio ex Orphica disciplina ad inflectendos ferorum hominum animos inventa, ut humanitatis sensum iustorum persolvendorum necessitas consecrata excitaret; qui primus humaniotis cultus gradus est. — 325. *inops*, cui nemo opem tulit, iusta persolvit. Nam videtur argutari Servius, qui ab Ope terra ductum *insepultum* apud veteres significassa narrat. *ripas et fluenta transportare*, ut vulgare traiicere, scilicet navem trans amnem. De re Il. ψ, 71-74. — *Centum erruit annos*. Nescio, an da suo posuerit Virgilius animas insepultorum per C. annos errare non admissas,

Portitor ille Charon; hi, quos vehit unda, sepulti. 326
Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos volitantque haec litora circum:
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt, 330
Constitit Anchisa satus et vestigia pressit,
Multa putans sortemque animo miseratus iniquam.
Cernit ibi maestos et mortis honore carentis
Leucaspim et Lyciae ductorem classis Orontem,
Quos simul a Troia ventosa per aequora vectos 335
Obruit Auster aqua involvens navemque virosque.
Ecce gubernator sese Palinurus agebat,
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi mediis effusus in undis.
Hunc ubi vix multa maestum cognovit in umbra, 340
Sic prior adloquitur: Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis medioque sub aequore mersit?
Dic age. Namque mihi fallax haud ante repertus
Hoc uno responso animum delusit Apollo,
Qui fore te ponto incolumem, finisque canebat 345
Venturum Ausonios. En, haec promissa fides est?
Ille autem: Neque te Phoebi cortina fefellit,
Dux Anchisiada, nec me deus aequore mersit:

ut traiiciantur. *stagna revisunt*; cum ante reiecti, summoti recessissent; nunc admissi et recepti visunt stagna, traiiciuntur. Mox ad v. 332 miro acumine Servius: Bene *animo*, quasi rei praesago; ipse enim Aeneas insepultus iacebit, ut IV, 620, *mediaque inhumatus arena*. — 333-336. De his v. sup. I, 113 sqq.

337 sqq. Palinurus manifeste ex Homerico Elpenore adumbratus Od. λ, 51 sqq. *Libyco cursu*, navigatione de Carthagine, post discessum tamen e Sicilia; haud longe a Sirenussis insulis. v. sup. V sub f. — 340. *in umbra*, quod v. 452 *adgnovitque per umbras*. — 344. Απόλλων ἀψευδής τὸ πρὶν ex Aeschylo laudant. — 346. cf. Iliad. μ, 164. *promissa fides*, eventus. *Fides* apud poëtas de certo eventu oraculorum, quibus deus fidem suam obstrinxit; quae praestita in veritatem et eventum certum abit. — 348. *deus* s. idem Apollo s. omnino numen, deus aliquis, *me* non *mersit*, submersit, quin ad Italiae litus enata-

Namque gubernaclum multa vi forte revolsum,
Cui datus haerebam custos cursusque regebam, 350
Praecipitans traxi mecum. Maria aspera iuro
Non ullum pro me tantum cepisse timorem,
Quam tua ne spoliata armis, excussa magistro,
Deficeret tantis navis surgentibus undis.
Tris notus hibernas inmensa per aequora noctis 355
Vexit me violentus aqua; vix lumine quarto
Prospexi Italiam summa sublimis ab unda.
Paullatim adnabam terrae: iam tuta tenebam,
Ni gens crudelis madida cum veste gravatum
Prensantemque uncis manibus capita aspera montis
Ferro invasisset praedamque ignara putasset. 361
Nunc me fluctus habet versantque in litore venti.
Quod te per coeli incundum lumen et auras,
Per genitorem oro, per spes surgentis Iuli:
Eripe me his, invicte, malis; aut tu mihi terram 365
Iniice, namque potes, portusque require Velinos;
Aut tu, si qua via est, si quam tibi diva creatrix
Ostendit (neque enim, credo, sine numine divom

rem, ut v. 356 addit. De reliquis cf. V, 857 sqq. — 349. Cogitandum Palinurum gubernaculo secum avulso insidentem natasse. Suavis autem fidei et amoris affectus in sqq. *Maria aspera iuro* etc. — 352. *pro me*, de me. — 353. *armis* pro gubernaculo h. l., *excussa magistro* exquisitior ratio pro vulgari: *magistro excusso*, translato verbo ad locum, unde motio fit. — 355. Comparant locum de Vlysse Od. ε, 388 sqq. *summa sublimis ab unda*, ibid. 393. μεγάλου ὑπὸ κύματος ἀρθείς. 359 sqq. Palinurus navi excussus ad litus Lucaniae enataverat; sed a barbaris occisus promontorio nomen Palinurum dedit. *cum veste*: aut ut ea et ipse undis haustis gravaretur, aut ut *cum* abundet, ut interdum in poëtis solet.

360. Ab Homerico Vlysse Odyss. ε, 428, 434. Quod hic Lucani faciunt, idem Laestrygonibus circa Formias tribuerat Homerus Odyss. κ, 118. — 362. *me* corpus esse facile vides. Notissimum αὐτοὺς δὲ ἰλώρια τεῦχε κύνεσσι. — 363 sqq. adumbrati ex Il. λ, 66 sqq. de Elpenore. — 364. *surgentis Iuli* ut iam IV, 274. *portus Velinos* per prolepsin dictos a Velia in iisdem locis ad Palinurum prom. aliquando condenda. — 367. *Diva creatrix* etiam VIII, 534 mater Aeneae, Venus; ut *ervare* pro parere.

Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem),
Da dextram misero et tecum me tolle per undas, 370
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.
Talia fatus erat, coepit quum talia vates:
Vnde haec, o Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum
Eumenidum adspicies ripamve iniussus obibis? 375
Desine fata deum flecti sperare precando.
Sed cape dicta memor duri solatia casus.
Nam tua finitimi longe lateque per urbes
Prodigiis acti coelestibus ossa piabunt
Et statuent tumulum et tumulo sollemnia mittent, 380
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curae emotae pulsusque parumper
Corde dolor tristi; gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt fluvioque propinquant.
Navita quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda 385
Per tacitum nemus ire pedemque advertere ripae,
Sic prior adgreditur dictis atque increpat ultro:
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age quid venias iam istinc, et conprime gressum.
Vmbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporae;

369. *innare*. doctius quam ingredi flumen, adire, navigare per flumen. — 371. *sedibus* de recepta in locis inferis umbra: v. ad v. 152. nunc *saltem*, quia nautae semper vagantur, ut Servius bene monet. Versus 370 ex Iliad. ψ, 76 subnatus: καί μοι δὸς τὴν χεῖρ', ὀλοφύρομαι, Patrocli umbra. — 374. *amnem severum* (h. e. tristem, horrendum) *Eumenidum* docte dixit, eodem modo ac si deorum inferorum, Proserpinae vel Hecatae, appellares. — *ripam obibis* pro accedes, pervenies ad ripam alteram. — 377. *cape memor*, tene memoria. — 378. *Nam*, ut γὰρ ab initio orationis pro δὴ, sane, scilicet. Cum a barbaris, Lucanos edunt, qui serius ea loca incoluerunt, occisus esset Palinurus, postea ii pestilentia laborantes a deo consulto responsum acceperunt placandos esse Palinuri Manes. *sollemnia* mittent, πέμψουσι χοὰς, ἱερὰ et similia; inferias ferent. — 384-416. Charon umbras, non corpora vehere solitus aegre, ut Aeneam transvehat, adducitur. — 384: (*Ergo*. Tali modo re perfecta, absoluta. *R.*) — 385. *ab unda*, medio amne, cf. 410. — 392 sq: Homeri-

Corpora viva nefas Stygia vectare carina. 391
Nec vero Alciden me sum laetatus euntem
Adcepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque,
Dis quamquam geniti atque invicti viribus essent.
Tartarenm ille manu custodem in vincla petivit 395
Ipsius a solio regis traxitque trementem;
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quae contra breviter fata est Amphrysia vates:
Nullae hic insidiae tales (absiste moveri)
Nec vim tela ferunt. Licet ingens ianitor antro 400
Aeternum latrans exsanguis terreat umbras;
Casta licet patrui servet Proserpina limen.
Troius Aeneas, pietate insignis et armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.

cum: Οὐ δ' ἄρα τώ γε ἰδὼν γήθησεν Ἀχιλλεύς. Servius: »Lectum est »et in Orpheo, quod, quando Her»cules ad inferos descendit, Charon »territus eum statim suscepit. Ob »quam rem anno integro in compe»dibus fuit. Ideo ergo *non laetatus*, »scilicet propter supplicium suum. »Bona nota. Modum loquendi ab Homero petiit. Od. μ, 88 de Scylla: Οὐδέ κέ τίς μιν Γηθήσειεν ἰδὼν, οὐδ' εἰ θεός ἀντιάσειε. Similitudinem habet aliquam excusatio Somni eum subiuncta narratione ap. Hom. Il. ξ, 249 sqq. — (*lacu*, i. e. in Styge, in cymba mea. *R.*) — 392. *euntem*, ἰόντα pro ἐλθόντα, adeuntem loca infera, (et quidem adhuc vivum. *R.*) — *Dis geniti*. Theseus a Neptuno, Pirithous a Iove; vide v. c. Il. ξ, 317, 318 et al. — 395, 396. Fundus fabulae Il. θ, 367 sqq. Varie autem a poëtis tractatus fuit Herculis ad inferos descensus. Cf. v. c. Il. ε, 395 sqq. Apollod. II. 5, 12 et Ibi Not. — 397. *dominam*, δέσποιναν, proprie de Proserpina. Alias dictum esset, ut apud Homerum passim ἄλοχος δέσποινα. — 398. *Amphrysia vates*. Longe petitum epitheton cum Servio vocat Burmannus. Enimvero cur tam longe petunt, ab Amphryso, Thessaliae fl., ad quem Apollo pavit greges? (v. Callim. H. in Ap. 48. et sup. Georg. III, 2), cum alia esset Amphrysus (v. Steph. Byz. h. v.) vel Ambrysus in Phocide in Delphorum vicinia ut ideo idem sit ac Delphica vates. Cirrhaea vates. *absiste, noli moveri*. — Mox 402 nec, ne Cerberus abducatur aut Proserpina rapiatur, verendum tibi est. *servet limen*. Mirs comminiscitur Cerda. Servat domum, limen, thalamum ex veteri (inprimis Graecorum, ubi mulieres κατάκλειστοι et θαλαμευόμεναι laudantur. *R.*) viventi ratione mulier casta, frugi; quatenus conspectum virorum fugit, intra domum se continet, in publicum non prodit. Conf. inf. VII, 52, 53. *licet terreat, servet*; per nos, per Aenesm licet; Cerberus intactus maneto cum

Si te nulla movet tantae pietatis imago; 405
At ramum hunc (aperit ramum, qui veste latebat)
Adgnoscas. Tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgae, longo post tempore visum,
Caeruleam advertit puppim ripaeque propinquat. 410
Inde alias animas, quae per iuga longa sedebant,
Deturbat laxatque foros: simul adcipit alveo
Ingentem Aenean. Gemuit sub pondere cymba
Sutilis et multam adcepit rimosa paludem.
Tandem trans fluvium incolumis vatemque virumque 415
Informi limo glaucaque exponit in ulva.
Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro.
Cui vates horrere videns iam colla colubris
Melle soporatam et medicatis frugibus offam 420
Obiicit. Ille fame rabida tria guttura pandens

Proserpina: h. e. nec cum Hercule Cerberum abducturi nec cum Theseo Proserpinam descendimus. —*pietatis imago*, cogitatio. — 407. Viso ramo aureo Charon placatur; nec illa plura his addidit.

409. *fatalis*, quam nemo decerpere poterat, nisi cui fato concessum erat; v. sup. 146, 147. *longo post tempore*: igitur Hercules et Theseus cum ramo aureo venerant. — 411. *iuga longa*, ζυγά, transtra; h. l. vectorum, ἐπιβατῶν, sedilia. *laxatque foros*, tabulata vacuat. Serv. uti multitudine dicitur artari locus. Egregie autem Charontis ferox ac durum ingenium declaratum. — *Ingentem Aeneam*; quis dubitari posse putet, an ad corporis magnitudinem referendum sit? Ita de heroibus ubique Homerus et poëtae, ut ipsa exempla a Cerda allata satis declarant. (Levibus umbris destinata cymba ponderi Aeneae vix sufficit, *gemuit*. R.) — 414. *cymba sutilis* sive ex coriis sive vitilis et iuncea (cf. Plin. H. N. XXVII, 40. bip. *R.*) Si Charontem Aegyptiorum in animo habuit, de papyracea cymba, *baris* Aegyptii vocant, cogitare potuit. (V. Herodot. II, 66. *B.*)

417-425. Orci et Proserpinae palatio priscae vitae more canis additus est custos iam apud Homerum Il. Θ, 366, ubi ille es Erebo ab Hercule abductus, et ap. Hesiod. Θ, 769 sq. Apud eundem nomen ipsum Cerberi occurrit v. 311, non apud Homerum. Commenta de illo pleraque Heracliis deberi videntur: vid. Apollod. II, 5, 12 et not. pag. 428 sqq. Schol. Il. Θ, 368. Dixit *trifaucem*, ut fuere similia *trifax*, *trilix*, *triceps*: ergo et trifaux fuit. Insurgit

Conripit obiectam atque inmania terga resolvit
Fusus humi totoque ingens extenditur antro.
Occupat Aeneas aditum custode sepulto
Evaditque celer ripam inremeabilis undae. 425
Continuo auditae voces vagitus et ingens
Infantumque animae flentes in limine primo,
Quos dulcis vitae exsortis et ab ubere raptos
Abstulit atra dies et funere mersit acerbo.
Hos iuxta falso damnati crimine mortis: 430
Nec vero hae sine sorte datae sine iudice sedes.

nunc ille in Aeneam tamquam nondum fato defunctum, novo exemplo loca infera adeuntem; itaque ille placatur. Diverse Cerberi placatio tractata est post Hesiodum Theog. 769 sqq. a Statio II Theb. 26-31. Mercurii enim virga contactu sopitur. At Virgilius Argonauticos scriptores ante oculos habuit, apud quos draco aurei velleris custos offa obiecta domatur, ut iam sup. IV, 486 vidimus, ubi ea draconi Hesperidum apponitur. Offam 420 intellige μελιττοῦτταν, globulum ex pulte factum, sed admixto melle et papavere aliisve seminibus et succis ita temperatum, ut vim soporificam haberet; hinc *soporata* ipsa offa, melle et *frugibus medicatis*: has de papavere plerumque videas exponi. Sunt tamen omnino grana et semina succis herbarum, quae vim aliquam v. c. in magicis rebus habent, perfusa. Hinc *resolvitur* somno corpus, ἀναλύεται, ut is, quem toto hoc loco ante oculos habuit, Apollon. IV, 150 δαλιχὴν ἀνελύετ' ἄκανθαν, et v. 424 *custode sepulto*, sc. somno. — Ad v. 423 cf. anp. III, 634, *iacuitque per antrum Immensus*, de Polyphemo. In ultimo versu *irremeabilem* undam eo referunt interpretes, quod non eadem via rediturus Aeneas. Cf. inf. 899. Argutius hoc quam necesse. Naturam Stygis communem exprimit epitheton *irremeabilis*. (Transire, non redire hac unda animae possunt. *R.*)

426 sqq. Hinc ad 540 de prima locorum inferorum regione agitur. Sedem in ea habent umbrae, quae maturiore, quam natura ferebat, morte inferos adierant. — 430-433. Quid in his sedibus assignandis sequutus sit poëta, non liquet. Inter infantes et iniquo iudicio aut sua manu interemptos commune hoc intercedere videtur, quod mortem fatalem anteverterunt et immatura morte obierunt innocui et insontes. Si eos adhuc haberemus auctores, fortasse Pythagoreos, quos poëta in h. l. sequutus est, melius nobis de toto hoc philosophemate constaret. De infantibus nonnulla οὐκ ἄξια μνήμης in mytho suo praetermittere se dicit Plato de Rep. XI sub fin. Hoc graviter subiicitur, iudicia horum insontium damnatorum retractari a Minoë. — *Nec vero hae sine sorte datae sine iudice sedes*; non sine iudice sortito dato, sed iudicum sortito datorum sententiis. Non enim

Quaesitor Minos urnam movet; ille silentum
Conciliumque vocat vitasque et crimina discit.
Proxima deinde tenent maesti loca, qui sibi letum
Insontes peperere manu lucemque perosi 435
Proiecere animas. Quam vellent aethere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores!
Fas obstat, tristique palus inamabilis unda
Adligat et novies Styx interfusa coërcet.
Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi; sic illos nomine dicunt. 441

sortem de ipsa sententia accipi posse, docent sequentia. Sedet *quaesitor* seu iudex quaestionis ut Romae in causa capitali praetor, cui ea quaestio obtigit, vel is, cui ille delegavit quaestionem; adsident ei *iudices selecti*, qui *sortitione nominum* e decuriis a iudice quaestionis facta causae cuique contigerunt. Hinc h. l. *quaesitor urnam movet*, sortitur iudices; tum citat reos ad iudicium: *silentum concilium vocat*, improprie pro iis, qui die dicto in iudicio adesse debent, ut de iis cognoscatur; *vitasque et crimina discit*, audita utriusque partis oratione et testibus interrogatis. Locus haud dubie inter eos numerandus, quibus poëta Homerum (v. Od. λ, 568-71) eo vicit, quod suorum temporum morem carmini intulit. Claudiani, Statii et Senecae Here. fur. obviae sunt imitationes et a Cerda notatae.

434-439. Magnam ad miserationem extulit sortem miserorum, qui sibi ipsi violentas manus intulere, sed insontes, nullo crimine polluti, sed vitae tedio propter aerumnarum molem, qua oppressos se videbant. Gravius illi puniuntur in *Dantis inferno*. v. *Cant. XIII.* — *proiecere animas*, cum dilectu, quasi rem vilem, ut bene Servius. Convenit notum illud Ovidii: *Sanguinis atque animae prodige Galle tuae*. At illa facti poenitentiam declarantia: *Quam vellent aethere in alto*, ex nota illa et a Luciano exagitata sententia Achillis ducta Odyss. λ, 489-491 vim habent nescio quam ad animi affectum. — 438. *Fas* h. l. iura inferorum; cum alias omnino ad iura divina et naturae spectet. *Styx novies* h. e. *saepius* flexibus suis regna infera ambire dicitur. Cf. Georg. IV, 480, ubi duo versus 438, 439 leguntur, et sup. ad v. 295 sq.

440. Omnino invito poëta assertum est nonnisi amantes feminas haec loca tenere. Celerum de Eriphyles et Cenei amoribus in deperditis poëtis fuisse videntur fabulae, quas nunc ignoramus (et, nisi hoc statuas, dicere sufficit miseras et miseros amore et misere vita defunctos ideoque lugentes h. l. produxisse poëtam, qui elegit, quae ipsi et suo saeculo placuerint, ut poëta, non ut historicus. R.). Iam in his primo loco misere amantes: *Hic* primo, *quos durus amor*, Tum vero *His Phaedram P.* etc. Ante oculos vero habuit et expressit

Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles et myrtea circum
Silva tegit: curae non ipsa in morte relinquunt.
His Phaedram Procrinque locis maestamque Eriphylen
Crudelis nati monstrantem volnera cernit, 440
Evadnenque et Pasiphaen; his Laodamia
It comes et iuvenis quondam nunc femina Caenis,
Rursus et in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phoenissa recens a volnere Dido 450
Errabat silva in magna, quam Troïus heros,
Vt primum iuxta stetit adgnovitque per umbras
Obscuram, qualem primo qui surgere mense
Aut videt aut vidisse putat per nubila lunam,
Demisit lacrimas dulcique adfatus amore est: 455

locum Homeri Odyss. λ, 224 sq., 320 sq., ubi promiscue heroinae ex inferis prodeunt. Claras mulieres etiam Polygnotus in tabula sua Νεκυίαν exhibente pinxerat, apud Pausan. X, 28, 29, in his Phaedram, Procrin., Eriphylen. Praestant quoque versus Tibulli I, El. 3, 57, *Sed me quod facili*. Virgilianum locum disertius exornavit Ausonius in Cupid. crucif., sed desideres, ut alibi, in eo iudicii subtilitatem. Conf. quoque Propert. IV, 7, 59 sqq. Late vero patentes (*partem fusos in omnem*) campos facit, non, ut Intpp. vulunt, multitudinis causa, quam excepturi sunt, sed ut solitudinem in ijs, quam quaerunt, habeant amantes. — 445. Alias nunc subiungit poëta heroinas. Odyss. λ, 320 Φαίδρην τε Πρόκριν τε ἰδὲν, et vers. 325 στυγερήν τ' Ἐριφύλην, Ἣ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα. De his omnibus Apollod., Hygin. Diodor. Sic., Ovidii Metam. praeter Servium ad h. l., consulendos esse ut moneam necesse non est. (*Phaedra*, Thesei uxor, quae ob amorem in privignum Hippolytum se ipsa interemit. Cf. Ovid. Heroid. VI.) Praeter illes tamen apponemus loca saltem classica. De *Procride* a marito sua suspicace Cephalo invita interfecta v. Met. VII sub f. De *Eriphyle* v. Od. o, 244 sq. Stat. II Theb. 299 sqq. IV, 487 sqq. occisa ab Alcmaeone filio; v. Apollod. III, 6, 2, 7, 2 et 5. cf. ibi Not. et de *Evadne* Capanei uxore Eur. suppl. 990 sqq. *Laodamia* Protesilai uxor vel ex Luciani DD. Mort. et ex Ovid. Ep. XIII nota est; et de *Caeneo* v. Met. XII Ovid. 171 sqq.

450 sqq. Episodium de *Didone* merito suo laudatissimum ad Homeri ductum de Aiace Iliad. λ, 542 sqq. effinxit. — 452. Suavis comparatio Didonis aegre per umbram visae cum nova luna, petita ab Apollon. IV, 1479, 1480: Visus est Lyncaeus Hercules procul videre, ὡς τίς τε νέῳ ἐπὶ ἤματι (noster: *primo mense*, nova luna) μήνην Ἢ ἴδον ἢ ἑνόησεν ἐπι-

„ Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat exstinctam ferroque extrema secutam?
Funeris heu tibi caussa fui? Per sidera iuro,
Per superos et, si qua fides tellure sub ima est,
Invitus, regina, tuo de litore cessi. 460
Sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
Imperiis egere suis; nec credere quivi
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum teque adspectu ne subtrahe nostro. 465
Quem fugis? extremum, fato quod te adloquor, hoc est.„
Talibus Aeneas ardentem et torva tuentem
Lenibat dictis animum lacrimasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat,
Nec magis incepto voltum sermone movetur, 470
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
Tandem conripuit sese atque inimica refugit
In nemus umbriferum, coniunx ubi pristinus illi
Respondet curis aequatque Sychaeus amorem.
Nec minus Aeneas casu percussus iniquo 475

χλόουσαν ἰδεῖν. — 456. *nuntius* ex flammis luceotibus sup. V, pr. — 459. *si qua fides*, si quid apud inferos aliud, quod fidem facere iuranti potest: id enim et ipsum *fides* dici solet, ut sup. II, 142. — 460. Ursinus comparat non male quoad verba Catulli versum de Coma Berenices: *Invita, o regina, tuo de vertice cessi.* — 462. *situs* est ioculitae telluris horror: itaque h. l. αὐχμηρὰν χώραν intelligit; exprimit enim Homericum Αἴδαο δόμον εὐρώεντα — 465. *Siste gradum.* Hoc vero praeclare ex Od. λ, 566 et omni oratione disertius mox silentium ex v. 562, quem iam Longini § 9 iudicium nobilitavit. Ad v. 466 facile in mentem venial Sophocleum illud: σὲ δ' ὦ φ. — προσεννέπω Πανύστατον δή, κοὔπρτ' αὖθις ὕστερον (Aiac. 771 sq.) — 467. *torva tuentem*, ὑπόδρα ἰδοῦσαν, *lenibat animum*, lenire studebat eam iratam et torvis obliquisque oculis adspicientem; iam pro *lenire eius animum*, dici poterat *lenire eam animo* et (quoad) *animum*, κατὰ θυμόν, *lacrimas ciebat*, ipse fundebat Aeneas. — In 469 Euripidis Medea v. 27 ε Οὔτ' ὄμμ' ἐπαίρουσ' οὔτ' ἀπαλλάσσουσα γῆς πρόσωπον obversata Virgilii animo videbatur Walkenario ad Hippol. p. 197 — *cautes Marpesia*, in insula Paro.

Prosequitur lacrimans longe et miseratur euntem.
Inde datum molitur iter. Iamque arva tenebant
Vltima; quae bello clari secreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis
Parthenopaeus et Adrasti pallentis imago. 480
Hic multum fleti ad superos belloque caduci
Dardanidae: quos ille omnis longo ordine cernens,
Ingemuit, Glaucumque Medontaque Thersilochumque,
Tris Antenoridas Cererique sacrum Polyphoeten
Idaeumque etiam currus etiam arma tenentem. 485
Circumstant animae dextra laevaque frequentes,
Nec vidisse semel satis est; iuvat usque morari
Et conferre gradum et veniendi discere caussas.
At Danaum proceres Agamemnoniaeque phalanges
Vt videre virum fulgentiaque arma per umbras, 490
Ingenti trepidare metu: pars vertere terga,
Ceu quondam petiere ratis; pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantis.

477—534. Aeneas nunc peragrat Campum priscorum heroum. Procedit, qua via ducit. *datum*, qua via patet, ducit. *molitur iter*, peragit; ait Serv. Scilicet ut apud poëtas *moliri*, movere et agere, facere, est primum de re magnae molis, tum de quacunque re. — *arva ultima*, in his locis, quae citra Plutonis regiam, Elysium et Tartarum, sunt: cf. 540. — 479, 480. Sunt hi tres ex numero τῶν ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας. *pallentis*, tamquam umbrae; ideoque pro: et Adrastus. Male etiam cum Adrasto confundunt inertem illum Troianum Il. ζ, 37 sqq. — Iam 481 *fleti ad superos*, apud vivos, inter homines. *caduci* pro πεσόντες. Nescio, an primus novaverit Virgilius; eius exemplo certe multi. Etiam *longo ordine* pro vulgari: ingenti multitudine, ut Il, 766. Serv. — 483. Sunt Troianorum nomina in Il. ρ, 216: ut tres Antenoris filii, Polybus, Agenor, Acamas Il. λ, 59. *Polyphoetes* Il. ν, 791 inter Troianos est; at Polypoetes inter Achivos ideoque ab h. l. alienus. *Idaeus* Prianii auriga, Iliad. ω, 325, nisi de Daretis filio accipere malis Iliad. ε, 11, 20. *etiam* i. *etiam* simpl. pro etiamnum. — 487, 488 ad animas referenda esse quis dubitet? 489-493. Inter feliciores huius libri locos numerare soleo hunc. Opinionem profecto de Aeneae virtute facit summam. Nec tamen Virgilius aliter quam Homeri imitatione in praeclarum hoc φάντασμα incidit. v. Od. λ, 604, ubi de Hercule inter Manes. *Ceu quondam*, v. Il. ϑ, 75. ο, 320 sqq. — *exiguam vocem*, τρισμὸν intellige, v. Odyss. ω, 5 sqq.

Atque hic Piriamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora, 495
Ora manusque ambas populataque tempora raptis
Auribus et truncas inhonesto volnere naris.
Vix adeo adgnovit pavitantem et dira tegentem
Supplicia et notis compellat vocibus ultro:
Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri, 500
Quis tam crudelis optavit sumere poenas?
Cui tantum de te licuit? Mihi fama suprema
Nocte tulit fessum vasta te caede Pelasgum
Procubuisse super confusae stragis acervom.
Tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem 505
Constitui et magna Manis ter voce vocavi.
Nomen et arma locum servant. Te, amice, nequivi

494. Sequitur *episodium de Deiphobo*, in quo argumenti dilectum, nostro saltem sensu, desideres; quam enim suavitatem habet videre aut cogitare hominem mutilatis membris nec virtute aut alia re miserationem moventem? (At post Hectorem Deiphobus praestantissimus fuit Troianorum atque Aeneae amicus, ut ex h. l. et e Lycophrone patet et e poëtis nunc deperditis Virgilio notissimum erat: deinde fatum Deiphobi egregiam ad describendum poëtae obtulit occasionem. Lectoribus tandem suis haec placitura scivit poëta et Tucca Variusque. *R*.) Verum de Helenae perfidia prodentis urbem Achivis narratio insigniter accommodata erat personae Aeneae et per se memorabilis expositionique poëticae accommodata; insigniter quoque a poëta ornatum est hoc episodium. Sed imitator Homeri Virgilius et hic deprehenditur, si locum de Agamemnonis umbra conferas Od. λ, 386 sqq. Deiphobum in Helenae thalamo a Menelao oppressum etiam videas ap. Quintum XIII, 354 sq. Adde Dictyn lib. V, p. 116. — 499 sqq. Vi se a Deiphobo esse raptam Helena conqueritur in Troad. Eurip. 966, at ἀριστείας praemium, datam in ludis funebribus Paridis caesi Lycophron 168 sq. Schol. ad Il. ω, 251. — *Supplicia*, int. illum ipsum ἀκρωτηριασμόν, vulnera. *vix agnovit et compellat* noto narrandi more Homerico, qui ex prisci aevi neglectu orationis ducendus est, pro: cum compellaret. *notis*, ornans epitheton, quales notorum, familiarium esse solent. Sic inf. 688, *genus*, γένος, oriundus, ut et supra. — 501. *optavit*, es προείλετο, puto, h. e. statuit, induxit in animum, ausus est (opo, opito, i. a. praefero, malo. *R*.) 503, 504 quam ornate! pro te occubuisse pugnando. — 505-508. Sane consentaneum hoc Aeneae pietati. Nec tamen ulterius inquirendum, unde Aeneae tempus et locus suppetere ad hoc cenotaphium potuerit, si lib. II fin. et III princ. animo repetas. — 507. *Nomen* loco

Conspicere et patria decedens ponere terra.
Ad quae Priamides: nihil o! tibi, amice, relictum;
Omnia Deiphobo soluisti et funeris umbris. 510
Sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae
His mersere malis: illa haec monumenta relinquit.
Namque, ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti, et nimium meminisse necesse est.
Quum fatalis equus saltu super ardua venit 515
Pergama et armatum peditem gravis adtulit alvo:
Illa chorum simulans evantis orgia circum
Ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat
Ingentem et summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me confectum curis somnoque gravatum 520

inditum, *et arma* in tumulo constituta et fixa ex more (v. sup. 233) *locum servant*, insigniunt, ita ut ille pro monumento tibi sit. Fuit itaque in Rhoeteo locus Δηϊφόβου σῆμα aut fingit poëta illud fuisse — 507. *te* h. e. corpus, ut sup. 362, *ponere*, h. l. humare. — 509-512. *funeris*, cadaveris (sic inf. IX, 491); umbrae, non ipsi cadaveri. Ceterum locum respicit Auson. in noto epitaphio n. XIII. — *Lacaenae*. V. sup. II, 601. De Helenae excidio Troiae fatis omnino vid. II, 567 sq. — *monumenta*, δείγματα, indicia, in me, sceleris sui. — 513. *Namque ut s.*, v. sup. II, 25, 248 sq. — 515. *saltu venit super*, h. e. supergressus est, parte murorum deiecta, ὑπερίθορεν, ὑπερέβαινε. *gravis*, ut *feta armis*, v. sup. II, 234 sqq. In h. l. ante oculos poëtae fuit locus ex Ennio a Macrob. VI, 2 servatus: *Nam maximo saltu superavit Gravidus armateis equus, Qui suo partu ardua perdat Pergama* (aut ut scriptum fuisse coniecteq; *Nam maximo saltu superat gravidus armateis Equus, qui s.*, ut *gravid' armatis* eloquaris, et *suo* una syllaba). Cf. Lucretii locum ex eodem adumbratum lib. I, 477, 478. — Illa v. 517 sqq. ingeniosum poëtam decent. Flamma seu face ab Helena sublata Achivis signum datum esse narraverant etiam alii; at h. l., quomodo fraus ea fieri potuerit, probabilitas adfertur maior, institutis in publica laetitia sacris Bacchicis, thiaso bacchantium ducto. Cf. sup. IV, 302 sq. inf. VII, 376, 385, 580. Etsi ad chori phantasma facile deduci potuit Euripideo loco Troad. 542-554 Helena igitur circumducebat Troianas matronas *evantes orgia*, ex orgiorum more, εὐαζούσας τὰ ὄργια, evando celebrantes, h. e. ὀργιαζούσας, inter faces iactatas. Locus Od. δ, 277 sq. frustra huc vocatur a viris doctis. — 519. *summa ex arce* ad Helenam refer. — 520. *confectum curis somnoque gravatum*. Comparant Iuipp. Od. ζ, 2: Ὕπνῳ καὶ καμάτῳ ἀρημένος. Aliis locis καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ Il. κ, 98. — *placidaeque simillima morti* ὕπνος. *c.* Νήγρετος, ἥδιστος,

Infelix habuit thalamus pressitque iacentem
Dulcis et alta quies placidaeque simillima morti.
Egregia interea coniunx arma omnia tectis
Emovet et fidum capiti subduxerat ensem:
Intra tecta vocat Menelaum et limina pandit, 525
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? inrumpunt thalamo; comes additus una
Hortator scelerum Aeolides. Di, talia Graiis
Instaurate! pio si poenas ore reposco. 530
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,
Adtulerint. Pelagine venis erroribus actus
An monitu divom? an quae te Fortuna fatigat,
Vt tristis sine sole domos, loca turbida, adires?
Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis 535
Iam medium aetherio cursu traiecerat axem,

θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς. Mox 524 *Emovet* et *subduxerat*, etsi non grammatice, tamen ad sententiam saltem vi pollent aequali. — 528, 529. Suave hoc et Homericum vel in hac ipsa re (v. Odyss. θ, 517, 518), quod nec ab hoc facinore Vlisses abest. *Aeolides* ille, qualenus eius genus a nonnullis a Sisypho ductum, Aeoli f., a quo Anticlia mater ante nuptias cum Laërte factas fuerat compressa. *instaurate*, docte, cum a sacris petitum sit, retribuite, rependite. *pio ore*, si poenas iustas peto. — 531-533. Adumbrati ex Homerica ratione Od. λ, 154 sq., ubi Vlyssem mater simili modo alloquitur. Mira autem videri potest appellatio: utrum errore maritimo ad loca infera delatus sit? Sed cogitandum est de aditu, qualis Aeneae fuit per Avernum, postquam ad Cumanum litus appulerat. — 533. *an quae te Fortuna f.* paullo durius dictum pro: *an fortuna* (aexio casu) *venis, quae te fatigat* h. e. casu adverso; fortuna infesta huc adductus? — *sine sole domus*, ἀνηλίους δόμους vel μυχούς Euripidis. — *loca turbida*. Cogitandum est Chaos ad loca infera referri solitum; et *aër turbidus* pro obscuro.

535. *Hac vice sermonum* Homericum Νῶϊ μὲν ὡς ἐπέεσσιν ἀμειβόμεθα, sermonis vicibus. add. Apollon. II, 450. — Ex altero versu se non expedit Burmannus, neque ego me neque alius, quem quidem norim. Poëta de critica nostra parum sollicitus, ut nec allis in locis, inprimis in temporibus definiendis, tempore descensus ad inferos non ad horarum intervalla constituit; temporum notationem non nisi binis locis subiecit; sup. 255, *primi sub lumina solis et ortus* iter ad loca infera ingreditur Aeneas; quantum

Et fors omne datum traherent per talia tempus;
Sed comes admonuit breviterque adfata Sibylla est:
Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.
Hic locus est, partis ubi se via findit in ambas: 540
Dextera, quae Ditis magni sub moenia tendit;
Hac iter Elysium nobis: at laeva malorum
Exercet poenas et ad inpia Tartara mittit.
Deiphobus contra: Ne saevi, magna sacerdos;
Discedam, explebo numerum reddarque tenebris. 545

temporis in itinere consumserit, nusquam apposuit poëta. Iterum h. l. 535 diluculo iam exacto dies tantum non illucescebat; et *nox ruebat*, in eo erat ut abiret, v. 539 orta iam luce (Fortasse omnis difficultas tollitur, si poëtam sequendo statuamus, una noctis parte citissime rem peragi, et quidem ea, quae diluculo proxima est (sub lumina solis): deinde Aurora ab occasu iter suum perficit, non ab oriente, et proxime est ortui, quem mox sol sequitur. *R.*). Ipse reditus ex inferis 594 nullam temporis notam adiectam habet. Iam in promtu est videre, quicquid attuleris ad haec declaranda, non nisi suspicione et opinione contineri posse, nullo iudicio certo. Neutrum satis facit, sive eadem nocte omne iter peractum esse dixeris, sive per unum pluresve dies noctesque; quicquid posueris, manent in poëta, quae parum conveniant; unde apparet poëtam tempora nec satis constituisse nec constituta esse voluisse. Equidem grammaticae verborum rationi obtemperans ad unam noctem omnia revocabam. *Axis* haud dubie poëtis pro coelo omnino dictus, ut et alibi. Facit autem Aurora quadrigis suis ab oriente evecta decursum per coeli convexum versus occidentem eodem modo atque is, qui subsequitur illam, Sol, et ut Nox, interdum ab astris comitata, et ipsa Luna. In poëtis omnia haec ad idem fere exemplum descripta sunt. Quo modo autem tale iter confici et ad eosdem carceres rediri possit, parum laborant. Iam Auroraе decursum puta fieri intra tempus diluculi et orti Solis. Noctu factum erat saerum. Ingressi erant iter ad infera loca iam sub diluculi tempus, *primi sub lumina Solis et ortus* v. 255. Igitur Aurora iam coeli partem aliquam (nam vulgari poëtici sermonis usu et id *medium coelum* poëtae dici potest) cursu exegerat, ut nox iam fere esset pulsa. Itaque poëta: *Nox ruit, Aenea.* De reditus ad superos tempore nil memorat poëta. Itaque nec de eo laborandum. Sed ex sacrorum Manibus factorum more orto die Aeneas infera loca relinquere debuit; sicut vicissim cum ortu Solis Manes ad infera loca redire solent, v. c. sup. V, 738-739. — 537. Homericos versus compara Odyss. π, 220. φ, 226.

540. Inter haec ad bivium erant constituti; altera via praeter Ditis regiam ad Elysium, altera ad Tartarum ducente. — *ambas*, simplic. pro duas; bivium facit. Plutonis regiam intellige per *Ditis moenia*. cf. inf. 630 sq. — 502. *ut laeva* (via) *malorum*

I decus, i, nostrum; melioribus utere fatis.
Tantum effatus et in verbo vestigia torsit.
Respicit Aeneas subito et sub rupe sinistra
Moenia lata videt triplici circumdata muro:
Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis 550
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnae,
Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere ferro
Coelicolae valeant. Stat ferrea turris ad auras;
Tisiphoneque sedens, palla subcincta cruenta, 555
Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus et saeva sonare
Verbera; tum stridor ferri tractaeque catenae.

Exercet poenas; h. e. ducit ad eum locum, in quo sunt, qui constituunt poenas; ideoque bene dicitur *et ad impia Tartara mittit*. Exercere autem esse id quod occupari conatur. — 544. *Ne saevi* pro vulgari: ne irascere. — *explebo numerum*. Piget Servianarum nugarum. Haud dubie de reditu ad umbras, a quibus discesserat quarumque ideo discessu suo numerum diminuerat, est intelligendum. *reddar tenebris*, puta eos confabulando processisse via versus Elysium. Caliginosa autem haec citeriora loca esse satis vidimus. *in verbo* ut *ἐν ἔπει*, pro *σὺν ἔπει*.

548 sqq. De Tartaro, qui omnino Carceris facem habet. Cura eius mandata Rhadamantho, v. 566; pro carnifice est Tisiphone v. 571; pro ianitore Hydra 576. *sub rupe*. rupem ex Homero traxit, ubi inter Stygem et Cocytum Πέτρη τε ξύνεσίς τε δύω ποταμῶν ἐριδούπων, Od. κ, 515. — *Moenia* h. i. series domuum. *triplicem murum* suppeditavit Hesiodus Theog. 726; sed ibi sublimior rei species, χάλκεον ἕρκος, et ἀμφὶ δέ μιν νὺξ Τριστοιχεὶ κέχυται περὶ δειρήν, h. e. fauces Tartari. Ex utroque profecit Miltonus *Parad. lost* B. II, 642 sqq. — 551. *ambit torquetque* Homerica forma paullo rudior pro ambit amnis torquens. — 552. *columnas* da postibus accipiè. Imitatur Homericum Iliad. Ω, 451 Ἔνθα οἱ εἰδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός. — 554. *stat ferrea turris ad auras*, educta est; in *auras* hic et v. 561 argutati sunt veteres iam inde a Pollione. Poëtico sermoni hoc ita proprium putandum, ut altitudinem exprimant *in auras*, *in coelum*, ut plane locum non habeat illa subtilitas, an *aura* in locis inferis sit. — 555. Vt ideo nullus inde sit reditus. Quod *turrim* appellat, puta esse aedificium ingens, in altum eductum pro carcere aut ergastulo habendum: δεσμωτήριον. — 555. Tisiphones vestem cruentam ex Homero petiit li. σ, 538. cf. Stat. I Theb. 109, 110. — 556. *vestibulum* simpl. pro aditu. — 557, 558 numerosissimi versus; sed et mirus

Constitit Aeneas strepitumque exterritus hausit.
Quae scelerum facies? o virgo, effare; quibusve 560
Vrguentur poenis? qui tantus plangor ad auras?
Tum vates sic orsa loqui: Dux inclute Teucrum,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen;
Sed, me quum lucis Hecate praefecit Avernis,
Ipsa deum poenas docuit perque omnia duxit. 565
Gnosius haec Rhadamanthus habet durissima regna
Castigatque auditque dolos subigitque fateri,
Quae quis apud superos furto laetatus inani
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuo sontis ultrix adcincta flagello 570

dilectus rerum, quae auditu mentem percellunt, factus est. Miltonum hos versus expressisse lib. VIII, 240 sqq. iam alii notarunt.

563. *insistere* exquisite pro ingredi; et *limen* pro limini vel in limine. *sceleratum*, v. Ovid. Met. IV, 455 et ad Tibull. I, 3, 67. *sceleratum* est sceleribus contaminatum ideoque impurum, incestum; itaque *pii*, puri, casti arcentur ab hoc loco. — 564. Sibylla praeest luco Averno ut Sacerdos. Nam Sacerdotes praefici, praeesse, ut sacris, ita templis dicuntur. — 565. *deum poenas*, quas dii nocentibus statuerunt. Hoc ex Servio tenendum. *me per omnia duxit*, putes, narrando et percensendo singulas ut ipsi *percurrimus*, *perlustramus* singula, ita alii nos ducunt per partes: enim vero ab Hecate Sibyllam vere per Tartari recessus ductam esse patet ex illis: *vidi — vidi*. 582 sqq. Quod Rhadamanthum in Tartaro constituit, suo iudicio facit poëta. Est autem is non tam iudex aut magistratus, qui causas capitales persequitur, cuiusmodi supra iam erat Minos v. 432; sed qui Triumvirorum capitalium more iudicum sententias exsequitur, supplicium sumit et de inferioris ordinis hominibus furti, grassationis, sacrilegii etc. reis ipse cognoscit. Omnino in toto loco Tartarus carceris faciem habet. — 567. *dolos*, scelera dolo malo commissa. Porro cogit fateri *piacula*, crimina, *commissa apud superos*, in vita, *quae quis distulit* sc. fateri ideoque occultavit et effecit, ne in iudicium adduceretur et puniretur, *in seram mortem*, h. e. non reus factus est neque ideo poenam eorum persolvit, dum viveret, *furto laetatus inani*, quod latere deos et impune sibi abire putabat commissa; sed temere. ita pulo haec expedienda esse. Seneca Herc. fur. 729 addidit novum auctarium: *oblitos sui sceleris nocentes debitas poenas dare*. Propius ad Maronem Statius IV, 531: Minos ... *adigitque expromere vitas Vsque retro et tandem* poenarum lucra *fateri*. Rhadamanthus autem trium-viri capitalis more supplicia sumit et quaestionem tormentis admotis ad exprimendam scelerum confessionem in reos habet. — 570. Tisiphone carnificis seu servi publici loco reos

Tisiphone quatit insultans torvosque sinistra
Intentans anguis vocat agmina saeva sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacrae
Panduntur portae. Cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quae limina servet? 575
Quinquaginta atris inmanis hiatibus Hydra
Saevior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse
Bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras,
Quantus ad aetherium coeli suspectus Olympum.
Hic genus antiquum Terrae, Titania pubes, 580
Fulmine deiecti fundo volvuntur in imo:
Hic et Aloïdas geminos, inmania vidi

damnatos ad supplicium raptat. *quatit sontes flagello*, docte. Proprie *quatitur flagellum*, quo soutes percutiuntur; *agmina* s. solenne de Furiis, ut sup. IV, 469. Imitatur locum Statius I Theb. 112, 113.

573. Dum loquitur Sibylla, porta Tartari aperiri vulgo putatur. In hoc iam Servius praeivit. Si tamen rerum ac sententiarum ordinem accuratius consideres, rationem vulgarem non satisfacere sentias. Sed alia incedendum est via. Tisiphone servat vestibulum, aditum Tartari, v. 555. Ea damnatis a Rhadamantho statim manus iniicit et ad Tartari portam, quae semper clausa habetur, eos agit (ἄγονται πρὸς Ερινύων ἐπ' Ερεβος καὶ Χάος διὰ Ταρτάρου, sunt verba Socratis in Axiocho) inclamatque sorores. Tum demum (v. 573) aperitur porta. Videamus singula. *Cernis*, pergit Sibylla, *custodia qualis*, quae custos (sc. Tisiphone, non Megaera nec Hydra) *vestibulo*, ad aditum, *sedeat*; *facies quae limina servet*; nam *intus*, intra portam, *saevior* facies, Hydra, sedem habet etc. — 576. At *Hydra*, inquis, *in vestibulo* orci v. 287 inter cetera monstra fuit recensita. Ita Servius monuit hoc. Expeditur varie. Equidem Hydram non de una illa ab Hercule domita, sed simpliciter pro serpente monstroso dictam accipio. — 577-579. quantus prospectus est a terra ad coelum, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης: Iliad. Θ, 16 et Hesiod. Θ, 720-725, cf. ibid. 740-745, notissimis locis; sed in maius audacia re. — *coeli suspectus*, h. e. prospectus per aërem (male enim iungunt *coeli Olympum*), *a terra ad Olympum*, *ad coelum*; nam ex Tartaro prospectus ad coelum esse nequit, cum infera loca sint sub terra et subter iis demum Tartarus depressus iaceat. Talis etiam Tartarus sub Hade ap. Homer. Il. Θ, 13-16. — 580. 581 v. Hesiod. Theog. 129-131. Titanas γηγενεῖς designat. — *fundo volvuntur in imo*. praeclare, ut ad imum Tartarum detrusos exhiberet. — 582-584. De Oto et *Ephialte Aloei* filiis videndus Homer. Od. λ, 304-319. Apollod. I, 7, 4 ibique Notae. Expressus is est h. l. a Marone, nec tamen, ut sublimitate cum Homero

Corpora, qui manibus magnum rescindere coelum
Adgressi superis Iovem detrudere regnis.
Vidi et crudelis dantem Salmonea poenas, 585
Dum flammas Iovis et sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis et lampada quassans
Per Graium populos mediaeque per Elidis urbem
Ibat ovans divomque sibi poscebat honorem,
Demens, qui nimbos et non imitabile fulmen 590
Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit (non ille faces nec fumea taedis
Lumina) praecipitemque immani turbine adegit.
Nec non et Tityon Terrae omniparentis alumnum 595
Cernere erat, per tota novem cui iugera corpus
Porrigitur, rostroque inmanis voltur obunco
Inmortale iecur tondens fecundaque poenis

contendere vellet. Spectat autem haec et sequens fabula ad mythos stirpis Aeolicae, quos rudiores ceteris et antiquiores esse constat. v. Apollod. I, 7, 3 sqq. et Not. et tab. VIII. Manifestum id in his ipsis fabulis, quae h. l. subiiciuntur. — 585. De *Salmoneo* v. Apollod. et Hyginum cum Schol. Pind. Pyth. IV, 253. Vidi *dantem Salmonea poenas, dum imitatur*, quod imitatus erat. Scilicet pro deo haberi voluerat. *sonitus Olympi*, tonitrua. *Elidis urbem*, novam urbem a Salmoneo conditam Salmoniam, ad Alpheum in media Elide sitam, intellige. v. Strabon. VIII, p. 856 D. Apollod. I, 9, 7. — 590. *Demens*: ex Σχέτλιος, ὅς etc. Iliad. ε, 403 de Hercule, qui Phitonem sagitta percusserat, *aere et pulsu equorum*, curru aereo, aerato, et fortasse, quod additum ab aliis, invectum eum esse laminis aereis in solo substratis, quas equorum ungulae pulsarent. — 593. *non ille* (Iupiter) *faces*. hoc suave ad deprimendum Salmoneum. Tres erant dicendi formulae, ex quibus exquisitiorem praelatam vides: *taedas lumine fumeo*, *lumen fumeum taedarum* et *lumen fumeum taedis*. — *turbine* pro fulmine, ut solent nimbi, turbines, procellae cum eo coniunctae. — 595-600. Sunt hi versus ornatissimi quidem; sed praeiverat Homerus loco nobili Od. λ, 575-580 et in verbis Lucret. III, 997 sqq. et Accius in Prometheo ap. Cic. Tusc. Qu. II, 10, quae loca comparanda sunt in singulis. *alumnum* accipiam pro filio, ut Homer. γαίης ἐριούδεος υἱόν. Volunt tamen Intpp. poëtam alteram narrationem sequi, qua ex Elara susceptus a Tellure utero fuit gestatus. Praeter Apollod. I, 4, 1 ibique Not. v. Apollon. I, 761 sqq. — *voltur*; in Homero duo vultures ad terrorem maiorem. — In 598-600 laboravit poëta

Viscera rimaturque epulis habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis. 600
Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque?
Quos super atra silex iam iam labsura cadentique
Inminet adsimilis? Lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris epulaeque ante ora paratae
Regifico luxu; Furiarum maxuma iuxta 605
Accubat et manibus prohibet contingere mensas,
Exsurgitque facem adtollens atque intonat ore.
Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens et fraus innexa clienti;

forte, ut Homericum Αἴρτρον, ἔσω δύνοντες exprimeret. *immortale iecur*, Hesiodi de Prometheo ἧπαρ ἀθάνατον, Theog. 523, *fecunda poenis viscera*, praeclare, iecur, quod renascitur ad novum supplicium, ut rursus erui possit *epulis* ad epulas, *rimatur viscera*, Ge. I, 384, *volucres rimantur prata*, cygni pabulum e terra eruendo.

601-607. Duo Homeri loca ante oculos habuit, Od. λ, 581 de Tantalo et 592 de Sisypho; fabulam tamen affert a vulgari narratione diversam: Ixionem et Pirithoum ex Lapitharum gente oriundos assidere epulis, saxo supra caput minante ruinam. Ad Phlegyam Statius I Theb. 713, et ad Phlegyam et Thesea Valer Fl. II, 492, 495 hoc idem supplicium transtulere. Tantali capiti inminere saxum alii commenti erant interque eos Pindarus Ol. I, 88 sq. et Euripides in Oreste 6 et 980 sq., ubi cf. Schol. iisque antiquiores Alcaeus et Alcman, v. Schol. ad Pind. l. c.: adde Cic. Tusc. IV, 16 et Lucret. III, 953 sqq., cum eum Homerus in lacu sitientem destituisset. Sed lucum Tantali elegauter in mensam opiparam mutavit Maro seu is, quem sequutus est poëta. Assidet *Furiarum maxima* (quae et ap. Val. Fl. I, 817 occurrit, dicta ut *maxima natarum*, sup. ad I, 524; apud Eurip Iphig. in Taur. 963: πρεσβύτερα Ερινύων. Statius Theb. VII, 477 *Eumenidum antiquissima*) seu Megaera seu Alecto (nam Famem vix bene huc advocat Servius, laudato loco lib. III, 252) et vetat epulis frui; hoc plus dignitatis habet, quam fuga pomorum et aquae in Tantalo. Atrocius rem extulit Aeschylus Eumen. 264 sqq. *genialibus toris*, positis ad epulas geniales, opiparas, lautas habendas, quae ad hilaritatem invitant. Sic *genialis hiems* Ge. I, 302, ibi vid. not. *lucent fulcra aurea*: pro *sunt*. De *fulcris* quaeritur. Scilicet pro toro fulcra memoravit poëta; et pro fulcra tororum, *fulcra toris*. Pro *lecto* aurea poëta *fulcra* posuit. Sunt autem *fulcra* pedes vel alia lecti basis. Quod fabulam de Ixione Ge. III, 38, 39: IV, 484 allatam nunc deserit, quod mirantur viri docti aliquot, id poëtae haud dubie licet facere, quippe qui nullam doctrinae systema condere velit.

608-613. Hos versus equidem sen-

Aut qui divitiis soli incubuere repertis 610
Nec partem posuere suis, quae maxima turba est;
Quique ob adulterium caesi, quique arma secuti
Inpia, nec veriti dominorum fallere dextras,

tentiarum et verborum gravitate commendatissimos esse velim. Sunt nonnulla in Platonis locis, quae sequi potuit. Probabile fit in teletis per machinas scenicas haec ipsa sceleratorum tormenta fuisse exhibita; docet hoc Aristophanes, qui exagitat seu philosophos seu initiatos in Ran. 145-151. Homerus etsi Tantalum, Tityom ac Sisyphum poenas scelerum luere in locis inferis monuit; non tamen aut loca poenarum discreta aut scelera definit, quorum poenae exigantur, praeter unum periurium, Iliad. γ, 279. τ, 258, 259. Scilicet temporum antiquiorum simplicitas erat tanta, ut super moribus ac virtute nondum subtiles initae essent rationes; de gravioribus sceleribus monere satis tum erat, inque iis habebantur caedes, iniuria in supplices et in hospites, periurium. Nec aliter in decalogo a Mose prodito factum videas; atrociora tantum flagitia ille attigit, quibus qui vacet, parum adhuc ad honestatem profecisse videri debet. At Maro ex philosophorum scriptis suum Tartarum constituit, idemque scelerum, quibus in illo supplicia constituta sunt, recensum facit paullo ampliorem. Ex vitae philosophia profecit Auctor Telemachi lib. XVIII, pag. 130 egregio loco! Ingratos ille, mendaces, adulatores nominat. Filium inpium (ut v. 609) etiam Polygnotus in sua tabula expresserat, v. Pausan. X, 28. — 609. *Pulsatusve parens*; αἰκιζόμενος, omnino male habitus, mulcatus: ante oculos erat Plato de LL. IX, sub-f. p. 940. C. ed. Fif. p. 884. D. Steph. — *et fraus innexa clienti*, pro vulgari, illata, uti *fraude* aliquis *illaqueari* dicitur. Comparata ism ab Intpp. Lex XII Tabb. « *Patronus si clienti fraudem faxit, sacer esto* » et Horat. II Carm. 28, 23 sqq. *incubuere*, ut Ge. II, 507, *repertis* pro partis, paratis, accipe; nec *suis*, cognatis et affinibus, *posuere partem*, ex ἔθεντο, statuerunt, tribuerunt, ut solent homines ex vita humili magnas opes consequuti erga cognatos pauperes esse duri et avari. Ad sententiam praeclaros Horatii versus laudat Servius II Serm. 2, 103: adde eundem I, Serm. I, 75 sqq. 84. sq. *ob adulterium caesi* gravius posuit pro adulteris simpliciter. — *arma impia*, haud dubie bellorum civilium; sed de iis accipiendum, qui patriae bellum inferunt, non qui propulsant. Iisque concidunt Servii aliorumque metus, ne in Augustum peccet poëta. *nec veriti dominorum fallere dextras.* Argutantur Intpp. et hic, Servii exemplo. *Domini* non modo servorum sunt, sed et de libertorum patronis bene idem dixit poëta. Servorum autem poenas hic commemorare indignum esset poëtae epici gravitate, multo magis Romani. Tum, qui fidem fallit, is et *suam* et *alterius dextram* fallere dici potest. Itaque necessario accipiendum de libertorum impietate et fraude in patronos suos. An Pompeium Menam, Cn. Pompeii libertum, qui Sextum prodidit, animo designaverit poëta, affirmare quis ausit? Nec tamen sic in Augustum peccasset: nam et is, ut ceteri ho-

Inclusi poenam exspectant. Ne quaere doceri,
Quam poenam aut quae forma viros fortunave mersit.
Saxum ingens volvunt alii radiisve rotarum 616
Districti pendent; sedet aeternumque sedebit
Infelix Theseus, Phlegyasque miserrimus omnis
Admonet et magna testatur voce per umbras:
„Discite iustitiam moniti et non temnere divos.„ 620

mines, proditionis fructum amplecti, proditorem abhorrere debuit (Servius tamen de servis intellexit, quos saepe tempore bellorum civilium in dominos suos fuisse infidissimos constat, e. c ex Appian B. Civ. I, 72. IV, 22, 29, 39, 51. Nec *dominus* de patrono libertorum in usu fuisse videtur, nec epica gravitate indigna haec servorum mentio fuerit. *R.*)

614—615. Vulgare est: hi inclusi variis modis puniuntur. Noli quaerere *quam poenam* metuendam habeant; aut *quae* poenae *forma fortunave*, quod miseriae genus, *viros mersit* (ut sup. v. 512), illos exceperit, mansérit. Ductum hoc ex vulgari i *mergi miseriis*. — 616. Iterum poëta ad veteres mythos redit. Non necesse est, ut solum Sisyphum et Ixionem respexerit; hunc quoque v. 601 iam memoraverat, ideoque enallage numeri, quam inferunt viri docti, carere possumus. *radiis rotarum districti pendent*, ornate, rotae illigatis membris distinentur, ἐπὶ τροχοῦ κατατείνονται, petitum ab equuleo tormenti genere, quod ipsum pro supplicio interdum fuit, cui illigati erant tergo verberibus et ignitis laminis patente. At Ixionis rota a poëtis ita describitur, ut ille modo exteriori orbi alligatus, modo ipsis radiis illigatus, perpetuo rotae vertice circumageretur; ita ut poena in motu nunquam intermisso spectanda esset. Contra Theseus sine omni motu sedet saxo affixus. — 617. Multis modis fabula de Theseo fuit tractata et ornata, vide v. c. Ovid. Met. VII, 433 sq. nec mirum; fuere enim plures, qui res Thesei, non modo attingerent, verum etiam Theseides conderent. Actum etiam de Thesei et Pirithoi descensu in Minyade, v. Pausan. X, 28, etiam in Heracleis. Nam Hercules in descensu ad inferos liberavit Theseum. v. Apollod. II, 5, 12. Apud Homerum Od. κ, 630 sq. Theseus cum Pirithoo in inferis substiterat. Poëta noster hoc sequitur, ut Theseus ob raptum Proserpinae *sedeat*. Hoc habitu poenitentiae et summi maeroris sensum prodi puta. Ita sedebant Theseus et Pirithous in tabula Polygnoti ap. Pausan. X, 29. Et talem Theseum sedentem in Sardis expressum vides ap. Winckelm. n. Cl. Sed miraculum rei additum est, quod Theseus saxo insidet nec inde levare corpus potest. Cf. Schol. Apollonii I, 101. Inter auctores huius narrationis fuit Panyasis. V. Pausan. l. c. προσφυὲς δὲ (χρῆμά τι) ἀπὸ τοῦ χροιτὸς ἀντὶ δεσμῶν ὑφάνειν ἔφη τὴν πέτραν· cf. 122. De regressu Thesei vs. 393 non meminerat poëta et licuit ei h. l. alium sequi fabulam. — *Phlegyas* de Phlegyarum gente alii acceperant, quae Minyadem Boeotiae inhabitavit et propter impietatem a deo abolita fuit (v. Pausan. IX, 36. Adde H. in Apoll. 278, 279. Nam

Vendidit hic auro patriam dominumque potentem
Inposuit, fixit leges pretio atque refixit.
Hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos.
Ausi omnes inmane nefas ausoque potiti.
Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnis scelerum conprendere formas, 626
Omnia poenarum percurrere nomina possim.
Haec ubi dicta dedit Phoebi longaeva sacerdos:
Sed iam age, carpe viam et susceptum perfice munus;
Adceleremus, ait. Cyclopum educta caminis 630

Phlegyas Thessaliae, de quibus Strabo videndus IV, p. 442 B., hue advocare non licet.) Verum non de Phlegyis Maro, sed de *Phlegya* Ixionis et Coronidis, e qua Aesculapium Apollo suscepit, patre, qui Apollinis templum Delphis incendit (v. Serv.) accipiendus est; idem iam docuerunt Intpp. ex Statii imitatione Theb. I, 712 sqq. et Val. Fl. II, 193 sqq. *Phlegyas* igitur deorum contemtor apud inferos ad iustitiam et pietatem colendam exhortatur omnes nobilissimo illo versu: *discite iustitiam*; qui magnis viris multis in ore habitus fuit et Munebhusio, immortali viro, frequenter. Nota quoque fabula de daemone interrogato, quis ex omnibus Virgilii versibus esset praestantissimus. Non male autem auguramur viri docti ductum colorem ex loco illustri Pindari Pyth. II, 39 sq. Θεῶν δ' ἐφεστμαῖσιν Ἰξίονά φαντὶ ταῦτα βροτοῖς λέγειν, ἐν πτερόεντι τροχῷ Παντᾶ κυλινδόμενον· Τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς Ἐποιχομένους τίνεσθαι. — *moniti*, h. e. exemplo meo, quod pro monitu est. Nec importunum et inutile monitum putandum hoc inter eos, quibus nullus poenitentiae locus est, cum in Tartaro inclusis poenitentiae locus nullus sit. Poenae enim loco haberi potest haec ipsa admonitio, et vere ita exclamasse putandus est Phlegyas. — Vs. 621, 622 ex L. Vario paene integros traductos esse, Macrob. IV, 1 testatur: *Vendidit hic Latium populis agrosque Quiritum Eripuit, fixit leges pretio atque refixit.* Quod adiecit: *dominumque potentem* patriae *imposuit*, eo pertinet, quod tyrannum liberae civitati induxit. *potentem* ornat. *leges fixit pretio* corruptus, *atque refixit*, recte Servius, *quia incisae in aereis tabulis* leges affigebantur parietibus. Minus bene alii, esse: in aes incidere. Idem bene laudant legem Venuleii, quae est I, 8 D. ad L. Iuliam peculatus: *qui tabulam aeream legis.... refixerit vel quid inde immutaverit, Lege Iulia peculatus tenetur.* Sequitur §. 1: *Eadem lege tenetur, qui quid in tabulis publicis deleverit vel induxerit;* quod ideo diversum ab illo esse necesse est. Laudant quoque Intpp. Ciceronis locum, qui est Philipp. XII, 5 f. Haec omnia ad certos antiquitatis homines referre velle inanis est opera. — 625 sqq. Ex Iliad. β, 488 notissimo loco. cf. Ge. II, 103 sqq. *ferrea vox*, nulla clamoris intentione fracta.

630—636. Plutonis regiam non intrat Aeneas cum comite, sed tantum

Moenia conspicio atque adverso fornice portas,
Haec ubi nos praecepta iubent deponere dona.
Dixerat, et pariter gressi per opaca viarum
Conripiunt spatium medium foribusque propinquant.
Occupat Aeneas aditum corpusque recenti 635
Spargit aqua ramumque adverso in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere divae
Devenere locos laetos et amoena vireta
Fortunatorum nemorum sedesque beatas.

a limine salutat, aureo ramo in foribus deposito. Ramum Proserpinae pro munere ferendum praedixerat Sibylla sup. 140, 141, 142. Regia ista habet muros aereos vel ferreos. Solent poëtae hac munitionis notione uti ducta a ferreis et serratis portis, et translato fere opere ad Vulcanum vel Cyclopes. Sic Argorum moenia ap. Statium I Theb. 630, quem locum Servius laudat, et Myceonrum ap. Senec. Thyest. 406. v. Wass. ad Thucyd. VIII, 26 et Schol. Eurip. Orest. 964. Itaque multo magis in inferis h. l. 630 sunt *moenia educta Cyclopum caminis*, h. e. ferro procuso et ferruminato in Cyclopum fabricis. — 631. *adverso fornice portas*, ornate: porta proprie ipsis erat adversa, et ea quidem in fornicem ducta, arcuata. — 629. *perfige munus*, sic poëticus sermo fert: proprie doni deportatio perficiebatur; etiam sic mox 637, *munus perfectum*. — 632. *haec dona* int. de eodem munere Proserpinae dicendo. — 635. Videri potest Aeneas hoc ipso ramo aureo se adspersisse. Adumbratum haud dubie ex eo ritu, quo, qui templa intrant, se lustrant, περιῤῥαίνονται; quod purgationis symbolum fuisse facile intelligitur. Adeundum autem Aeneae nunc erat Elysium, locus, si quis alius, sanctus et castus: non igitur aliena res lustratio. *ramumque figit*. In templorum aditu περιῤῥαντήρια, aqua lustralis et rami lustrales notae res sunt. Quod tamen ramum in pariete seu poste figit, ad dedicationem doni spectare videtur (quod ibi tamquam in ara deposuit. *R.*). Celerum Warburtoni opinatio, qua Eleusinia initia ante oculos poëtae fuisse vult, hac utique parte placere potest, cum lustrationem in adeundis maioribus Eleusiniis h. l. invenisse sibi visus est.

637 sqq. Traducta sunt ad Elysium sive sub terra, ut hic, sive in Insulis Fortunatis (ut ab Homero et Hesiodo cum Pindaro factum) collocatum omnia, quae sub mitiore coelo amoenitatem loci facere possunt, iam ab Homero Odyss. δ, 563 sqq., et ab Hesiodo Εργ. 170 sqq. Ex hoc ipso, quod omnis felicitas Elysii talis est, qualem Heroum vita subiicere sensibus poterat, vetustas huius mythi intelligitur. Accessere ornamenta ap. Pindarum pulcherrimo loco Olymp. II, 109—149 etc. Doctior vita et philosophicis studiis exculta Graecia serenae et placidae mentis gaudia ex purae et constantis virtutis conscientia mox adiecit: quo melioris sapientiae placito egregie usum videas inter

Largior hic campos aether et lumine vestit 640
Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palaestris,
Contendunt ludo et fulva luctantur arena;
Pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt;
Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos 645

alios Gloverum in Leonida X, 456 sqq. *in those happier fields ... Where never gloom of trouble shades the mind, Nor gust of passion heaves the quiet breast, Nor dews of grief are sprinkled*, et uno verbo Statius V Silv. 3, 286, *nemus quo nulla irrupit Erynnis* (cui similis in terrarum oris locus est nullus); sed philosophicas rationes Maro in alium locum v. 724 sq. servavit et h. l. in primis Homerum ante oculos habuit et Axiochum Socraticum, qui circumfertur nomine Aeschinis sub fin., multoque magis Pindarum locis laud. Adde locum de Olympo Odyss. ξ, 42 sqq. Communia etiam sunt nonnulla Elysio cum aurea hominum aetate. Iam ab his tamquam elementis profectus ad quantam amplitudinem Paradisum suum extulit Miltonus IV, 132 sqq. Nunc verba videamus. — *perfecto munere divae*, aureo ramo ei dedicato e v. 629. — 640. *Largior aether* (αἰθήρ, purior aër; et, etiam. *R.*) patentior, liberior. Similis hinc lib. XIII, 550, *laxata lucida nocte Claustra nitent*, dixit de Elysio: Ὀψεί τε φῶς κάλλιστον ὥσπερ ἐνθάδε Aristoph. Ran. 155, 457. — *lumen purpureum*, pulchrum, ut sup. I, 591. — *solemque suum*, in Pindari loco altero est Sol, qui in nostro orbe occidens ad infera loca progreditur; in altero Sol perpetuus noctu aeque ac die (fere ut ap. Val. Fl. I, 844, *ubi Sol totumque per annum durat aprica dies*. Sed poëta suavius solem Elysio suum, praestantiorem puta nostro Sole, ut cetera, assignat. Pro commentario haberi potest Telemachus lib. XIX. Inter alia: *c'est plûtôt une gloire céleste, qu'une lumière*. Imitatur Claudianus de R. P. lib. 282 sqq. *norunt*, vident, qui in Elysiis sunt, habent. — 642-644. Haec rursus ad Pindari ductum l. l. καί τοι μὲν ἱππείοις γυμνασίοις, τοὶ δὲ φορμίγγεσι τέρπονται. Expressa scilicet *vita antiqua heroum Graeciae*; ut unaquaeque gens cum aliarum rerum inferarum tum vero Elysii beatam sortem *ad suos mores* descripsit eaque, quae beatam vitam suo sensu constituebant, eo transtulit. — *pedibus plaudunt choreas*, ut χορεύειν χορὸν, χορείαν, elegantius quam ducunt, sc. cum pedum plausu; Odyss. Θ, 264: Πέπληγον δὲ χορὸν θείον ποδί. quod Maro itaque κατὰ χορὸν accepit; non ut χορος pro loco dictus sit, ut alibi apud Homerum occurrit. — 645-647. Dandus erat choreis saltantium et cantantium suus ἀοιδός, hymnen, qui seu accineret seu more veteris chori praeiret cantu et saltatione, ut choragus. Quis vero magis conveniens quam Orpheus? qui de locis inferis plurima erat fabulatus, h. e. vetere philosophorum more ac sermone poëtice exposuerat. *longa cum veste*, antiquiore aevo ἀοιδῶν, vatum, postea citharoedorum habitus ποδήρης, palla, ut nota res est. Adi vel Tibull. III, 4, 35, 36. *Sacerdos* autem h. l. vates,

Obloquitur numeris septem discrimina vocum,
Iamque eadem digitis iam pectine pulsat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcerrima proles,
Magnanimi heroës, nati melioribus annis,
Ilusque Assaracusque et Troiae Dardanus auctor. 650
Arma procul currusque virum miratur inanis.
Stant terra defixae hastae, passimque soluti
Per campos pascuntur equi. Quae gratia curruum
Armorumque fuit vivis, quae cura nitentis

propter instituta orgia et teletas. Sacerdotes enim, ut scepiro, ita etiam pallâ usos constat, ut ipsi dii eâ veste occurrunt, sed et reges. Nam vestis demissa ac fluens ad dignitatem et religionum maiestatem facit; ut unusquisque facile intelligit, vel ex nostrarum religionum ritu. Orpheus illis saltantibus et cantantibus accinit lyra; quod ita extulit poëta: *obloquitur* (transitive h. l. dictum, facit loqui, φθέγγεσθαι, sonare, h. e.) pulsat *septem discrimina vocum* (i. e. sonorum, quos septem diversos edit haec lyra, quippe quae septem chordis est praedita. *R.*), fides, lyram ἑπτάχορδον, *eademque discrimina vocum*, eas fides, modo digitis modo pectine aut plectis pulsat, dum temperatur cantus. *Numeris* potest esse casu tertio, numeris saltantium et cantantium s. melodiae cantus accommodate; malim sexto casu accipere et ad ipsum vatem referre; *obloquitur*, facit loqui, sonare, fides numerose, εὐρύθμως. Illa *nunc*, *nunc* excludunt interpretationes aliorum: neque ideo de cantu ipsius Orphei hic quaeritur; sed, si quaeratur, nemo facile, qui Homerum legit, dubitet, fueritne alius, qui Orpheo lyram pulsanti accinuit, Heroico aevo utrumque facit vates.

648 sqq. partim Hesiodi ductu Εργ, 159, 167 sqq. *pulcerrima proles*: pulcherrimi, h. l. de corporis dignitate. Sed insederat forsan Virgilio hoc epitheton ex loco Hom. quem expressit Ilisd. υ, 231 sqq. Ἰλός τ' Ασσάρακός τε καὶ ἀντίθεος Γανυμήδης, Οἳ δὴ κάλλιστοι γένετο θνητῶν ἀνθρώπων etc. *nati melioribus annis*, secundum Hesiodum hoc, l. c., et sic alii de heroum atque etiam de aurea aetate. Laudatur Catull. LXI, 22: *O nimis optato saeclorum tempore nati Heroës, salvete: deum genus.* — 651-655. Rursus ad Pindari ductum l. c. Paullo aliter haec tractata a Platone sub f. lib. X de Rep. Retinent animae studia et artes prioris vitae: unde nata sunt tam diversa felicitatis in vita futura commenta par omnes populos ac doctrinas religiosas. Ad sui temporis negotia haec revocavit Ovid. Met. IV, 444 sqq. Melius Maro Heroicam vitam servavit. Describit autem otia castrensia v. c. Il. γ, 135. Heroibus Homericis magna *gratia*, ideoque amor est militiae curulis. Ad meliorem nostri aevi philosophiam Elysii voluptates accommodatae sunt in Telemacho lib. XIX. — 651. *procul miratur*, cum miratione prospicit. Homericum θηεῖται. *currus inanes*, simpl. quoniam adstant vacui dominis (s. potius tenues ἀμενηνὰ ἄρματα, ut in inferis.

Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos. 655
Conspicit, ecce, alios dextra laevaque per herbam
Vescentis laetumque choro Paeana canentis
Inter odoratum lauri nemus: unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.
Hic manus, ob patriam pugnando volnera passi, 660
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates et Phoebo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artis
Quique sui memores alios fecere merendo;

R.) —655. *tellure repostos*, ut alibi, conditos, mortuos. — 656-659. Hoc cum Axiocho l. c. comparandum. — *Vescentis*, epulas celebrantes: etiam sic inf. VIII, 182, 183. Iidem *choro*, in choro, chorum ducendo, ἀείδοντες Παιήονα, ut Iliad. χ, 391, Acbivi, et quidem in grato nemore, per quod, ut amoenitas loci maior esset, descendit amnis. Amnes sub terra ferri vidimus iam Ge. IV, 366, 367. *Eridanum* autem quod potissimum appellat, suspicor fabulis poëtarum, qui Argonautica scripserunt, deberi, a quibus plura videntur fabulose de Eridano tradita esse; fortasse etiam hoc, quod ad loca ille infera defertur. Conf. Apollon. IV, 627 sq. Nam hoc, quod ad inferum mare tendit aut quod non longe a fontibus suis cuniculum subter terram per duo millia subit, poëtam adducere vix potuit, ut ad inferos eum relegaret. Sed Eridanus est fabulosus ille antiquiorum poëtarum amnis, quem ad geographicas rationes referre velle non minus vana esset opera, quam Oceanum, Hyperboreos, Indos, Nysam et similia geographice constituere velle, cum ex certo locorum ac terrae situ ea definita non sint, sed ex vaga aut falsa opinione; multo minus ex nominum similitudine, Rhodani, Rheni ac similibus veri aliquid elici potest. *superne*, h. e. ex editiore loco, *volvitur*, venit, *plurimus*; dictum eleganter ad magnam aquarum copiam designandam: ut I Ge. 187, *nux plurima*. Apud Servium sup. ad v. 603 Tantalus *in Eridano Inferorum stare* narratur, quo liquere videtur etiam ab aliis poëtis Eridanum simili ratione in inferis fuisse celebratum; hactenus sequendum est, quod inter Serviaos habetur: « Alii Eridanum pro quocunque accipiunt, et dicunt κατ'ἐξοχὴν dictum, nam legimus I Ge. 482, *Fluviorum Rex Eridanus*. Et amant poëtae pro appellatione ponere magnae et in suo genere praeclarae rei proprietatem, ut I Ge. 9: *pocula Acheloia* » Etiam Callimachus fragm. p. 473 e Strab. IX, 608 Eridanum ita dixerat pro flumine omnino. Nobilitatur res vulgaris splendido nomine.

660 sqq. Locus de piorum turba in nobilioribus facile princeps et, quem a generosiore animo vix puto legi posse, quin incalescat et magnae virtutis studio inflammetur: imitatione expressus a Silio XIII, 533 sqq. et a Valer. Fl. I, 836 sq. Referen-

Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta. 665
Quos circumfusos sic est adfata Sibylla;
Musaeum ante omnis: medium nam plurima turba
Hunc habet atque humeris exstantem suspicit altis:
Dicite, felices animae tuque, optime vates,
Quae regio Anchisen, quis habet locus? Illius ergo 670
Venimus et magnos Erebi tranavimus amnis.
Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
Nulli certa domus; lucis habitamus opacis
Riparumque toros et prata recentia rivis
Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas, 675
Hoc superate iugum; et facili iam tramite sistam.

dus autem est animus in tempora antiquiora heroica, in quibus per *vates* melior vita constituta est responsis ac deorum monitis, ritibus religiosis, legibus institutisque et morum praeceptis. Nihil ista aetate actum est nisi ab animis divino numine afflatis. *Sacerdotes casti*, qui sacra caste, pure ac pie curaverant, dum vivebant. — *Vates* Silius Ib. v. 538: *qui... nec dedignanda parenti Carmina fuderunt Phoebo*, de poëtis accepit. *pii*, qui *Phoebo digna* loquuntur, grandia, sublimia, praeclara canunt. At post *inventores artium et commodorum vitae* nunc *Quique sui memores alios fecere merendo*, qui de aliis meruerunt, pulcherrimo versu 664 ornate pro: magnae illae et divinae animae, quae bene de genere humano meritae sunt; quibus vel una haec meritorum conscientia in altera vita perennem voluptatem allatura est. *merendo*, idem quod in vulgari sermone: demerendo, promerendo, bene merendo de aliis. — 665. *Omnibus his*, Servius: » per » quod eos ostendit meruisse divinos » honores. « Certe declarat hoc insigne esse eos viros sacros et sanctos. Nam vittatos fuisse sacerdotes, vates, deos, satis notum est. conf. Val. Flacc. lib. I, 836, 840. — 666 sqq. Quod Musaeum potissimum nominat poëta, mirantur Intpp. Homerus sane Aeneae in inferis occurrere non potuit: turbatae fuissent temporum rationes. Cum autem de antiquioribus aliquis esset laudandus, Orpheus autem iam sup. 119 memoratus esset; vix alius praeter Linum vel Musaeum surrogari potuit. Magna autem Musaei auctoritas propter religiones et teletas institutas. Ceterum ad Homerum in simili loco rem transtulit praeclare Silius XIII, 780 sqq. — 667, 668. *medium nam plurima turba*: Bene hoc ex heroum aetate et opinione. Nam ad Platonem eum respexisse apud Servium levis coniectura est. Ad verba cf. Il. 7, 226, 227. — Mox 674 ornate, pro (allis mollibusque, ut V, 388. *R.*) ripis; *recentia* sunt *rivis*, h. e. virentia propter vicinas aquas: ut Serv.; et v. 676 *sistam*, vos ad eum deducam facili et expedita via, quales in Elysio omnino esse vias credere fas est. Anteit tum Musaeus ipse; ubi ex summo collis ver-

Dixit et ante tulit gressum camposque nitentis
Desuper ostentat; dehinc summa cacumina linquunt.
At pater Anchises penitus convalle virenti
Inclusas animas superumque ad lumen ituras 680
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum
Forte recensebat numerum carosque nepotes
Fataque fortunasque virum moresque manusque.
Isque, ubi tendentem adversum per gramina vidit
Aenean, alacris palmas utrasque tetendit; 685
Effusaeque genis lacrimae et vox excidit ore:
Venisti tandem, tuaque spectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua et notas audire et reddere voces?
Sic equidem ducebam animo rebarque futurum 690

tice locum ostenderat, tum Aeneas et Sybilla altera parte collis descendunt, discessu scilicet Musaeo facto. — 677. *campos nitentes* pro amoenia nunc dixit. Ge. I, 153 de cultu dictum erat *nitentia culta*.

679 sqq. De occursu matris Vlyssis nonnulla in similem rationem sunt apud Homerum Od. λ, 151 sqq., sed locus hic de Anchisa praeclare a Virgilio est tractatus. Artificium egregium in hoc, quod Anchisas hoc ipso tempore in recensu animarum in hanc vitam transiturarum occupatus ab Aenea deprehenditur. Traduxit enim poëta et convertit in rem suam vetus illud philosophantium placitum, quo animae iam ante huius vitae ingressum exsistere putantur. Iam ita certus locus erat assignandus, cui inclusae essent; docendum porro, unde in eum locum essent deductae. Itaque opportunitas data novis opinionibus, hoc est mythis, partim ut locum accuratius declararet, partim ut probabile fieret animas eas iam antea humana corpora animasse vitaque functas in ea loca descendisse. Atqui hic rursus nova coniectandi necessitas, quomodo animae corporis contagio contaminatae vitiis et erroribus liberari possint, aut in iisdem locis aut antequam in ea loca pervenerint. — 680. *inclusas*, collectas in hunc locum v. inf. 705 sqq. — *Recolinus* animo proprie praeterita, h. e. v. 681 simpl. recensere, exquirere et addiscere futura facta et res fortiter gestas. — 683. *manus* seu virtutem seu facta intellige; nam iejunum esset de numero ac turba accipere. — 687. *Vicit iter*: fecisti iter victus, motus, pietate mihi iam probata; seu, ut Servius, tua mihi probata pietas *vicit*, effecit, ut difficile hoc iter ingredi auderes. — 690. *Sic equidem ducebam animo*. Aeneam vivum ad loca infera descensurum esse Anchises iam ante praevidisse putandus; nam idem nocturnis monitis filii pietatem permoverat, ut ad se videndum descenderet. cf. VI, 115. — *Libyae regna*;

Tempora dinumerans, nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras et quanta per aequora vectum
Adcipio! quantis iactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyae tibi regna nocerent!
Ille autem: Tua me, genitor, tua tristis imago 695
Saepius occurrens haec limina tendere adegit;
Stant sale Tyrrheno classes. Da iungere dextram,
Da, genitor; teque amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum: 700
Ter frustra conprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis volucrique simillima somno.
Interea videt Aeneas in valle reducta
Seclusum nemus et virgulta sonantia silvis
Lethaeumque, domos placidas qui praenatat, amnem.

iustus de Didonis amoribus metus, ne iis ab Italia retineretur filius. — 696. *Saepius occurrens*; sup. V, 731 sq. Nam semel memorari satis erat. conf. IV, 351. et VI, 115. — 700-702. Nota imitatio ex Od. λ, 303 sq. Il. ψ, 99 sq. cf. Ge. IV, 499; et de Hercule simile quid sp. Apollod. II, 5, 12. p. 121. — 703 sqq. Haec iam manifeste ex Platonicis mythis, quorum fundus in Pythagoreorum opinionibus substructus erat. Etsi enim opinio de reditu animarum in vitam communis antiquitati fuit, non ab una hypothesi, ut putatur, sed a variis illa argumentis et indiciis docte indocteque petita (v. c. a mutuo interitu ortuque omnium rerum) aut in subsidium adsumta aliis doctrinis fulciendis: Platoni tamen, si non doctrina de subeundis ante transitum in novum corpus inferis, quam et Aegyptii tenuere, ac de purgatione, quae initiis ac τελεταῖς frequentata fuisse videtur, Platoni tamen, inquam, peculiaris, ni fallimur, fuit doctrina de bibenda ante reditum Lethe: v. de Rep. X p. 765. Frf. p. 621 A. Stephani. Ingeniosum utique commentum, cum nova vita, nova infantia ineunda sit. Anterotem eum inversa fabula nonnulli ad hoc ipsum dogma non male traduxerunt, etsi is proprie ad amoris oblivionem spectabat. v. Ovid. A. Remed. 551 sqq. — 704. *virgulta sonantia silvis*. Inter plures modos, quibus accipias, probabilior est hic, ut sint dicta pro virgultis silvarum sonantibus, si vento sint motae; ut XII, 522 sunt *virgulta sonantia lauro*. Paulio diverso modo dictum supra III, 442, *Averna sonantia silvis* h. e. silvae circa Avernum sonantes. Habet autem Elysium suas auras, suos Zephyros; conf. Od. δ, 567; Pind. Ol. β, 129 sqq. At Ge. IV, 484 noli eo vocare. — 705. Lethe in finibus Elysii *praenatat*, praefluit. Servius: » Ennium secutus est, qui ait: *fluctusque natantes*, «

Hunc circum innumerae gentes populique volabant:
Ac, veluti in pratis, ubi apes aestate serena
Floribus insidunt variis et candida circum
Lilia funduntur, strepit omnis murmure campus.
Horrescit visu subito caussasque requirit 710
Inscius Aeneas, quae sint ea flumina porro
Quive viri tanto conplerint agmine ripas.
Tum pater Anchises: Animae, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethaei ad fluminis undam
Securos latices et longa oblivia potant. 715
Has equidem memorare tibi atque ostendere coram,
Iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quo magis Italia mecum laetere reperta.
O pater, anne aliquas ad coelum hinc ire putandum est
Sublimes animas iterumque in tarda reverti 720

Paullo aliter, *campi natantes* Ge. III, 398. — 706. *gentes* maius sunt. Nam in gente *populi*. cf. inf. X, 202. v. Gronov. ad Liv. V, 34. — 707-709. Optime illa: « *strepit omnis murmure campus*, ex animarum discursitatione, *veluti in pratis ubi*, » apodosin faciunt. Ornata vero et suavis comparatio ex Apollonii ducta loco cum hoc omnino comparando lib. I, 879 sqq., etsi et illo adumbrato ex Homerico Il. β, 87 sqq. Cf. sup. I, 430.; Ge. IV, 188 sqq. 51 sqq. — Mox 711 *porro* simpliciter potest iungi: *caussasque requirit porro*; vel *porro*, sc. rogat, quae sint etc. Sed doctior ratio est: *quae sint ea flumina porro*, πόρρω, h. e. πόρρωι, πόρρωθεν, παραῤῥέοντα, longo inde cursu praelexentia campum. — 713. Cum aliae animae primum corpus intrent, aliae iam purgatae in novum corpus intrare cogantur; nunc de hoc altero genere cogitandum est. — 714. Haec est *Lethe*, ad quam confluunt animae in corpora migraturae. *potant ad undam*, pro: latices potant ad amnem, in litore constitutae, procumbentes. — 715. *securos*, ab effectu, ut *morbos pallidos* dicunt. Serv. Nam ex oblivione malorum tranquillitas nascitur, cuius comes securitas. — 716. sup. V, 737: *Tum genus omne tuum et, quae dentur moenia, disces*. Desideratur in verbis copula: *memorare, ostendere* et *enumerare tibi cupio*. — *Italia reperta*, h. e. ad Italiam accessu; post longos sc. errores. — 719 sqq. Inest nescio quae vis et δεινότης eximia in hac Aeneae oratione cum indignatione aliqua rogantis; suavitas autem tanto maior, si Homerici Achillis (Odyss. λ, 487) indignum vitae amorem memineris. Vides in hoc quoque progressum philosophiae factum inde ab Homerica aetate. *ire sublimes*, ex inferis, *ad coelum*, h. e. ad vitam. Sic ism supra: *ad auras superas*, et alibi.

Corpora? quae lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem nec te suspensum, nate, tenebo;
Suscipit Anchises atque ordine singula pandit.
Principio coelum ac terras camposque liquentis
Lucentemque globum Lunae Titaniaque astra 725
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus vitaeque volantum
Et, quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
Igneus est ollis vigor et coelestis origo 730

724 sqq. De toto hoc illustri loco, in quo fere interpretum subtilitatem desideres, Servius vero neoplatonicas argutias affert partim et grammaticas nugas, ita agere, ut sententiarum vis, causae et rationes exponantur, a consilio huius recensionis alienum est. Hic sententiae et verba interpretanda sunt. *Spiritus* et *mens*, ut Ψυχὴ et Νοῦς, h. e. anima mundi, quae omnia permeat; eumque universo *corporis* speciem induisset poëta, recte pro partibus *artus* posuit. Sic de Terra Ge. II, 325-327. Commentarii loco esse possunt Ciceronis versus ex Consulatu, lib. II, in de Divin. I, 11. Comparant alii II. σ, 483-485. — *coelum* pro aëre dictum vix dubites, et *campos liquentes* pro mari, ut aequor aquarum. In quarto tamen elemento extundendo laboraruut Grammatici; perperam. Docta ex vett. comment. servata nota est apud Pomponium, ubi inter alia: *Ridiculum est intelligere coelum pro duplici elemento, id est aere et aethere.* Aemilius Asper, quum hunc locum annotaret, sic ait: Membra naturae sic solet iungere Virgilius, ut in tria dividat; nam et alibi *maria ac terras coelumque profundum*, Ennium secutus, qui ait: » *Qui tuo lumine mare, terram, coelum contines.* — *Titania astra.* Ex iis, quae apud Diodorum exponuntur (altero loco V, 66 fabula Cretica, altero III, 57 Libyca), nihil facile huc revocari potest; nec sidera ad Titanes referri scriptorum usu est cognitum. Igitur Servius sequendus, qui altero loco *Solem* interpretatur. Dictum scilicet poëtico more pro *astrum Titanium*, h. e. Titanis (ut IV, 119) seu Solis, ut Titania Luna vel Diana saepius memoratur Apollonii exemplo: Τιτηνίς lib. IV, 54, ubi v. Schol. — 727. *magno se corpore miscet* doctius quam *corpori se miscet*. — 728 sq. Inde, ex hac mente Mundi, omnia *sunt*, h. e. animam et vitam habent. Cf. Georg. IV, 221-226: *Deum namque ire per omnes Terrasque tractusque maris coelumque profundum. Hinc pecudes..... viros..... Quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas.* — 729. *marmoreo aequore*, quod splendet sole, ex Homerico ἅλα μαρμαρέην Iliad. ξ, 273; *marmor* pro mari, ut Georg. I, 254, et Aen. VII, 28. Praeiverant iam Ennius apud Gell. II, 26, *Verrunt extemplo mare marmore flavo*; Lucret. II, 766; Catull. 63, 88. — 730-731. *Ollis seminibus*, h. e. his animabus ex anima mundi, tamquam ex igni scintillae, pe-

Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus moribundaque membra.
Hinc metuunt cupiuntque; dolent gaudentque; neque (auras
Dispiciunt clausae tenebris et carcere caeco.
Quin et supremo quum lumine vita reliquit, 735
Non tamen omne malum miseris nec funditus omnes
Corporeae excedunt pestes, penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis veterumque malorum.

titis et in humanum corpus traductis inest igneus vis (qualis aetheris est, et aetherea natura). Verba Stoica quoque disciplina frequentata. — *noxia corpora*, praeclare, quandoquidem vim divinae flammae obtundit terrestris natura corporis. *moribunda*, pro vulgari mortalis. — *Hinc metuunt cupiuntque*, a corporis contagio animorum perturbationes et cupiditates proficiscuntur, ex bonis malisque opinatis. Corporis tamquam carcere *inclusae lucem non dispiciunt*, prospiciunt, pro carcere induuntur. Nam corpus vinculis animi tenebrisque assimulatur, quibus ille offuscatur et a libera rerum contemplatione retrahitur. Cic. Somn. Scip. sub f. *Sunt optimae curae de salute patriae; quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit, idque ocius faciet, si iam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras et ea, quae extra erunt, contemplans quam maxime se a corpore abstrahet.* (cf. Cic. Tuscul. disp. I, c. 49; §. 41, 45. *B.*) — 734. *clausae*: subiectum repetendum paullo longius ex vs. 720 *animae*, quum intervenissent vs. 730 iam *semina*. — 735-739. Adeo materiae s. terrestris corporis sordes inolescunt animabus, ut iis ne dissolutis quidem a corpore illae elui facile possint. Itaque purgationes fiunt operosae aqua, aëre, igni in locis inferis. Contagium corporis dictum; *malum*, *corporeae pestes*; *vetera mala*, *scelus*; intelligendae autem perturbationes, cupiditates (v. 733), metus, irae, alia. (cf. Cic. Tusc. disp. III, 4 et alibi. *B.*) Secundum semel institutam rei adumbrationem iidem *animorum* dicuntur esse *morbi* seu *labes*, *sordes*, *maculae*, χηλίδες, *ulcera*, *cicatrices*, μώλωπες, οὐλαί, στίγματα; hinc suavis ille mythus seu involutum fabulosa narratione philosophema apud Platon. Gorg. extr. p. 356, 357 de animabus coram Rhadamanthio nudandis; quo in mytho suo Plutarch. de his, qui sero a Num. pun. T. II, p. 564, 565, et Lucianus aliquoties felicissime usi sunt. Virgilius quum semel per *sordes* et *maculas* animorum vitia et cupiditates animales designasset, emendationem earum per *purgationis* genus bene exhibuit; quum iam in sacris et initiis lustrationibus et expiationibus adsueti essent veterum hominum animi. Eadem purgatio mox vocatur per *poenas*, *supplicia* vel Platonis auctoritate in Gorgia extr. l. c., quod non observatum misere vexavit Interpp. — 733. inversa est oratio. Debebat sequi: *nec excedunt*

Supplicia expendunt. Aliae panduntur inanis 740
Suspensae ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus aut exuritur igni.
Quisque suos patimur Manis; exinde per amplum

... sed penitus inoluerunt, concreverunt: unde 746 *concreta labes.* Hoc ita extulit: nec mirum hoc; quin *necesse est multa*, multum vitii, *diu*, per tam longum vitae tempus, *concreta inolescere penitus modis miris.*

740-742. A sollemnibus purgationum et lustrationum ritibus haec sunt petita. Fiebat enim lustratio aëre, aqua, igni. Nec alifer sermone humano efferri animarum purgatio poterat, ne a philosophis quidem subtilioribus, si fuerunt forte qui animo corpusculum suum omnino detractum esse vellent, aut qui animum sine corpore exsistere vel valere superstitem cogitatione assequi possent; quod dubito. Purgationem animarum in sole et in sideribus fieri statuisse Aegyptios viri docti passim aiunt; vide Moshem. ad Cudworth. p. 366. Sed ex loco Porphyrii de abstin. IV, 10, testis per se parum idonei, nisi talem opinionem iam animo attuleris, id non facile elicias. — 743, 744. *Quisque suos patimur Manis.* Vexatus locus. Simplicissima tamen est ratio: patimur supplicia haec omnes, non quidem quales nunc sumus, animae corpori inclusae, sed *quoad* (κατὰ) *suos quisque Manes*, pro vulgari: nostrum omnium Manes patiuntur; omnibus Manibus ista patienda sunt; purgatio ista subeunda est omnibus. Soli ad inferos perveniunt Manes; hi sunt qui purgantur, qui *patiuntur*, h. e. subeunt pro sua cuiusque parte, purgationes illas tormentorum similes. Firmat quoque hanc rationem Apuleius Florid. lib. II, p. 231 Colv. de Pythagora: *Brachmanae autem pleraque philosophiae eius contulerunt: quae mentium documenta corporumque exercitamenta, quot partes animi, quot vices vitae*; quae Manibus diis pro merito suo cuique *tormenta vel praemia.* Quo loco nihil ad rem disertius esse potest. Manes pro supplicis ac poenis vulgo accipiunt; qua ratione aut analogia, non vides: etsi sic Ausonius (quamquam hoc mihi non satis exploratum) videri potest et ipse interpretatus esse, imitatus versum hunc in Ephemer. 57, *si poenitet altaque sensus Formido exerciat, tormentaque sera gehennae Anticipat, patiturque suos mens saucia Manes.* (Etiam Stat. Theb. VIII, 84. At tibi quos, inquit, manes etc. pro poenis posuit. *R.*) Sanctii interpretatio in Minerva p. 825, 826, ut, quemadmodum mali patiuntur Lemures et Larvas eorum, quos laeserunt vel necarunt, sic boni patiantur proprios Manes, contorta est. Certa *pati Manes* dictum vult, uti *pati Furias.* Sed hoc nihil expedit, nec si deos inferos esse h. l. dixeris Manes, ut Georg. IV, 489 et alibi. *Pati aliquem, pati deos, pati Manes*, vix latine dicitur. Ad duos Genios, qui homini adsunt, referebat altero loco Servius; sed alienum id ab h. l. Melius Ruaeus daemonas huc vocat ex Platone (v. c. in Phaedone p. 80 B. Frf.); sed nusquam ab hoc memorari video cruciatum animabus inferri ab ullo daemone. Valer. Fl. III, 389, qui h. l. ante oculos habuit, interpretationem in neutram partem inflectit; nam

Mittimur Elysium et pauci laeta arva tenemus,
Donec longa dies perfecto temporis orbe 745
Concretam exemit labem purumque reliquit
Aetherium sensum atque aurai simplicis ignem.
Has omnis, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno:
Scilicet inmemores, supera ut convexa revisant 750

aliam plane ille rationem iniit: Animae violenta morte vita expulsae ap. Plutonem de iniuria conqueruntur: tum illae, una Furiarum comite addita, redeunt, ut a sontibus poenas expetant: *Quisque suos sontes inimicaque pectora poenis Implicat; et varia meritos formidine pulsant.* — 744. *per Elysium*, h. e. ad. Alii distinguunt *laeta arva* ab *Elysio*: sed perpetuo usu loquendi de eodem loco haec dicta inveniuntur.

745-747. Igitur aut nova in Elysio fit aut inchoata ante purgatio animarum in Elysio absolvitur: et tum post mille annos in vitam redeunt, pota ante Lethes aqua. Nisi forte versus hos tres ante 743 retrahere praestat, aut versus 743, 744 suppositicii fetus sunt. Tenet et moratur nos, quod *pauci* in loca laeta mittantur; quid igitur fit de ceteris? Eorumne purgationes absolvuntur nullo tempore? Nam ii, qui ad Tartarum relegantur, ne ad purgationes quidem admitti nec admitti posse videntur. — 745. *perfecto temporis orbe*, definitum post tempus, h. e. mille annos. *purum. Aetherium sensum*, mentem illam (*sensus* pro perceptione et indicio animi, et hinc pro animo) ex aethere deductam, quumque idem aether sit ignis purissimus, explicative subiicit: *atque aurai simplicis ignem.* De igni *auram* proprie dici, ut de luce, supra v. 201 vidimus. Itaque anima tandem ad pristinam puritatem aetheream restituitur. — 748-751. *ubi mille rotam volvere per annos.* De sensu constat ex v. 745: *perfecto temporis orbe.* Verba ex vulgari ratione sic constituerentur: ubi mille annorum rota voluta, h. e. circumactus orbis est. *Rotam* dixit absolute pro orbis, κύκλος. Annorum *volubilitatem* interpretatur Servius et Ennianum esse monet. *volvere rotam* est: exegerunt tempus in orbem rediens. Non minus ornate in similem modum Cic. in Somn. Scip. 2: *quum aetas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit. Mille annos* a Platone sumsit de Rep. X, p. 761 Ed. Frf. p. 515 A Steph., ubi πορείαν χιλιετῆς animarum iniustarum subter terram, quasi in poenam decupli; it. in Phaedro p. 1223 D. In *lustra* annos mutavit Silius XIII, 558: *Hac* (decima *porta*) *animae coelum repetunt ac mille peractis Oblitae Ditem redeunt in corpora lustris.* Omnino *multa saecula* memoravit Cic. in Somn. Scip. sub f. Pindarus *novem annos* finierat in praeclaro fragm. ap. Platonem Menon. p. 415 B Frf. (in Fragm. Pindari ex Threnis III, p. 36, 37). Animam non interire, sed tantum mori ac reviviscere; sancte igitur esse vivendum: εἰσὶ γὰρ ἂν (h. e. ἀφ' ὧν) φερεσφόνα παλαιοῦ πένθεος (h. e. κακοῦ, idem est *vetus malum* Maronis, *corporea pestis* seu

Rursus et incipiant in corpora velle reverti.
Dixerat Anchises natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios turbamque sonantem
Et tumulum capit, unde omnis longo ordine possit
Adversos legere et venientum discere voltus. 755
Nunc age, Dardaniam prolem quae deinde sequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Inlustris animas nostrumque in nomen ituras
Expediam dictis et te tua fata docebo.

morbus) δίξεται, ἐς τὸν ὑπερθεν ἅλιον (ad *superas auras, ad coelum*, h. e. in vitam) κείνων ἐνᾶτω ἔτεῖ ἀνδιδοῖ ψυχὰν πάλιν·... ἐκ τῶν βασιλῆς ἀγαυοὶ καὶ σθένει κραιπνοὶ σοφίᾳ τε μέγιστοι ἄνδρες αὔξονται· ἐς δὲ τὸν λοιπὰν χρόνον ἥρωες ἁγνοὶ πρὸς ἀνθρώπων καλεῦνται. Idem in Olymp. β, 123 eos, qui vitam ter exegissent sic, ut iustitiam colerent, ad Beatam insulam deferri narraverat. *Ter mille* annis circuitum animarum fieri per animalium corpora statuerant Aegyptii ex Herodoti fide lib. II, 123: quod tamen dogma tantum ad animas spectare potuit sceleribus ac vitiis inquinatas. Nec sane potuit in mythis his ulla esse constantia; de rebus futuris, de Hade e re nata fingit quilibet consentanea. Suae autem aetatis sensus et opiniones reddere solent poëtae. Ita etiam in Messiade animarum in vitam proditurarum sors, sedes, facta, dicta ad puriorem de anima humana sapientiam attemperata sunt sub f. 1. I et al. ut VIII. — *deos evocat*, non hic de Mercurio agitur, quod putant Intpp., sed est ὁ δαίμων, indefinite v. Platon. de Rep. X, p. 765 E.

752 sqq. De hoc animarum, quae in nova corpora transituae sunt, recensu hoc saltem teneamus, quam opportunus ille sit in hoc ad inferas sedes aditu ad posteritatem tam claram commemorandam, quamque iucundus hic locus fuerit Romanis, quam commendabilia genti Iuliae; tandem quo animi iudicio poëta recensum ab ipso stirpis progenitore in gratiam filii, eiusdem stirpis auctoris, factum esse voluerit. — 752-755. *conventus in medios*, in medium turbam. *sonantem*, de strepitu, ex Od. ω, 5: ταὶ δὲ τρίζουσαι ἕποντο. cf. Horat. I Serm. 8, 41 et sup. v. 707 sq. *adversos*, ex adverso incedentes animas *legit*, recenset, cognoscit.

756. *Gloria Dardaniae prolis*. Enarrabo clara facta et fata posterorum tuorum .... *nepotes* .... *animas* ... enarrabo. *qui maneant*, exspectandi sint, *nepotes Itala de gente*, de nova stirpe in Latio ex Lavinia suscipienda. *nostrum in nomen ituras*, pro vulgari: futuras ex nostra gente. Sic ire, saepe et ἔρχεσθαι. Quod autem Anchises haec exponere et futuras res praedicere potest, ad divinandi munus pertinet, quod ille a Venere acceperat. V. sup. lib. II, 687 sq. et al. Ceterum ex Serviana nota haec apponemus: « *Cetera, quae hic intermissa sunt, in ἀσπιδοποιΐᾳ commemorat.* » (lib. VIII, 728 sqq. et

Ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta, 760
Proxima sorte tenet lucis loca; primus ad auras
Aetherias Italo conmixtus sanguine surget
Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles:
Quem tibi longaevo serum Lavinia coniunx
Educet silvis regem regumque parentem: 765
Vnde genus Longa nostrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas, Troianae gloria gentis,
Et Capys et Numitor et, qui te nomine reddet,
Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis
Egregius, si umquam regnandam adceperit Albam.

hac de causa multa utique poëtae in hoc recensu praetermittenda fuere, ne his eadem afferret): *unde etiam in antiquis invenimus opus hoc appellatum esse non* Aeneidem, *sed* Gesta populi Romani; *quod ideo mutatum est, quia nomen non a parte sed a toto debet dari.* En cerebrum Grammatici!

760 sqq. Gens Iulia ab Ascanio seu Iulo ducta, qui patri successit et Albam Longam condidit; cf. sup. Aen. I, 267 sq.; sed reges Albani a Silvio, qui ex Lavinia postumus Aeneae natus erat. Haec est fama, quam h. l. poëta sequitur. Alii Ascanii filium et successorem Silvium faciunt. Alii aliter tradunt. V. Liv. I, 3. Victor. O. G. R. 16, 17. Dionys. Halic. I, 70. Ovid. IV Fast. 40 et Serv. ad h. l. Fabulae de Silvio in silvis educto locum fecisse videtur nomen ipsum, uti fabulis de Romulo et Remo ficus Ruminalis et similitudo vocis *ruminis*, hoc est, mammae. *hastam puram*, δόρυ ἀτίδηρον, idem quod antiquioribus sceptrum, regum et heroum insigne vel ex Homero notum. *Albanum nomen*, h. e. Albanus, Albae Longae rex. Nec male tamen sic accipias: nomine inter Albanos domestico appellatus Silvius. Quo ducere potest Livius ibid. *mansit Silvius postea omnibus cognomen, qui Albae regnarunt.* — Argutias vett. Grammaticorum super *postuma proles*, v. apud Gell. II, 16 et Cerdam. Alia est subtilitas Servii et ceterorum in *longaevo*; quia Aeneas annis fatalibus nondum expletis periit, esse videri dictum pro *deo*, cuius aevum, h. e. aeternitas, proprium sit. Enimvero potest aliquis etiam senex factus liberos suscipere et senex violenta morte perire. — 764. *Quem tibi longaevo.* Expressit Homericum, παῖδα τηλύγετον. — 767 sq. Nec omnes Albanorum reges nec ordine suo recitat: poëta est, non historicus; ipsa nominum antiquitate carmini dignitatem et gravitatem parare bene intelligebat; altius in animum descendunt et potentius movent ea, quae antiquiora sunt. *proximus* ergo, qui adstat. Meminit Capyos, quod Capys Assaraci f. Aeneae fuerat avus. Itaque Anchises refricat in hoc grafam patris sui memoriam. *Procas Troianae gloria gentis*, ut Homero μέγα κῦδος Ἀχαιῶν. — 770. *si unquam.*

Qui iuvenes quantas ostentant, adspice, vires! 771
At, qui umbrata gerunt civili tempora quercu,
Hi tibi Nomentum et Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas inponent montibus arces,
Laude pudicitiae celebres, addentque superbos 775
Pometios Castrumque Inüi Bolamque Coramque.

Servavit illustrationem ex antiquioribus Servius: *Recepit autem a tutore, qui eius invasit imperium: quod ei vix anno quinquagesimo tertio restituit. Et rem plenam historiae per transitum tetigit.* — 772. Qui memorati adhuc fuerunt, erant rebus bello gestis clari; qui sequuntur, artibus pacis; quae declarantur per colonias deductas et novas urbes conditas. Coronam itaque civicam, hoc est querceam, gestant, scil. ob cives servatos et de rep. bene meriti. *Atque* legebatur; pro quo nunc receptum *at, qui*, ex eo, quod in bonis codd. et edd. legitur, *Aliqui umbrata*; praeiverat Lucret. II; 628: *ningunt-que rosarum Floribus*, umbrantes *Matrem comitumque catervas.* — 774. *ostentant vires*, sunt viri fortes, forti et valido corpore virtutem animi prodentes. — 773-777. Ab Alba Longa XXX colonias in Latio et extra Latium deductas esse nota res est et in primis ex Dionysio constat lib. III, 31, p. 172, plerasque saltem novis colonis frequentatas, ut Pyckium quoque monuisse video in Diss. de pr. Ital. col. p. 455, quem vide. Liv. I, 3: *Ab eo* (Latino Silvio), *coloniae aliquot deductae Prisci Latini appellati.* Et Victor O. G. R. c. 17: *Igitur regnante Latino Silvio coloniae deductae sunt Praeneste, Tibur, Gabii, Tusculum, Cora, Pometia, Laeri* (vitiosum, f. *Corioli*. v. Dionys. V, 61. Plin. III, 5. s. 9), *Crustumium, Cameria, Bovillae ceteraque oppida circumquaque. Nomentum* quidem et *Fidenae* cum *Crustumerio* tres fratres conditores habuere: Dionys. II, 53, p. 116, idque multis annis ante Romam conditam; ibid. lib. II, 36 (p. 104); Gabii inter Latinos, ibid. V, 61; et Albae Longae colonia IV, 53. — *Collatia* in iis *collibus* sita, qui inter viam Praenestinam et laevam Anienis ripam visuntur. V. Cluver. Ital. ant. p. 663 (775 a D. L. Fabricio Lampugnano I. C. V. Mediolanensi illatus esse dicitur, quare asterisco notatus est. *R.*) *Pometii* s. Pomentini eorumque urbs Suessa Pometia communi scriptorum consensu Volscorum, non Latinorum, nomini accensentur. Itaque Cluverius p. 1018. p. 1024, lib. III, 1 et 8 aliique Virgilium poëtica licentia in hoc usum esse omninoque vetus Latium finibus latioribus ad Circeios usque ex sequiore aevo definiisse. Livio sane lib. II, 16: *duae coloniae Latinae* (iure Latii Roma deductae) *Pometia et Cora.* Enimvero, etsi Volscorum facta est urbs Suessa una cum Cora, tamen urbes inter Latinas eam aliquando fuisse dubitari nequit: V. Plin. III, 5. s. 9. Latent inter nomina populorum foederi adscriptorum ap. Dionys. V, 61 βουζεντάνων leg. Πωμεντίνων, et pro Κόρνων leg. Κοράνων. — *Castrum Inui*, qui antiquis Italis inter Faunos et Panes erat, etsi in Rutulis situm,

Haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae.
Quin et avo comitem sese Mavortius addet
Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet. Viden', ut geminae stant vertice cristae, 780
Et pater ipse suo superum iam signat honore?
En, huius, nate, auspiciis illa incluta Roma
Imperium terris, animos aequabit Olympo
Septemque una sibi muro circumdabit arces
Felix prole virum: qualis Berecyntia mater 785
Invehitur curru Phrygias turrita per urbis,
Laeta deum partu, centum conplexa nepotes,
Omnis coelicolas, omnis supera alta tenentis.
Huc geminas nunc flecte acies; hanc adspice gentem

tamen Latinorum fuit colonia vel Virgilio teste; ut etiam *Bolae*, Aequorum oppidum. Sunt Bolani etiam foederi Latinorum modo memorato adscripti apud Dionys. l. c. Adde locum Victoris supra laudatum. — 778. *avo comitem sese addet*; secundum Servium: *avito sese iunget imperio*, h. e. una cum avo regnabit, donec Romam condet. Sed vix hoc loquendi usus fuit; *socium regni* dixisset. Erit saltem: una cum ipso in vitam prodibit: suo scilicet tempore. Verum praestat eum edit. Veneta legere *addit*; una cum patre Incedebat animâ Romuli.

779. Quem Rhea Silvia Troiana stirpe oriunda partu edet. *Assaraci*, v. sup. I, 281. *Educet*, ut modo v. 765, cum nunc deberet esse: pariet. — 780. En bellicosum viri ingenium iam nunc militaris viri habitus (galea duplici crista, διφαλον vel δίλοφον diceres) declarat. *stent*, sint, ut alibi quoque. — 781. Ex variis ordinis verborum ac sensus faciendi modis verior hic est: *Et pater superum*, Iupiter, *ipse eum iam signat suo honore*, dignitate viri et corporis virtute arguit, eum aliquando in numerum immortalium adscriptum iri. An duplex crista in galea Martis aliquod peculiare insigne, dubito, nec ex Val. Max. 1, 8, 6 doceri posse puto. Ornant una, binae, trinae, quaternae cristae. At ipsa galea perpetuum, quantum memini, Romuli insigne est. — 782-788. Versus ornatissimi. — Primus 782 ex Ennio translatus ap. Isidor. XVIII, 1. *huius auspiciis* non est h. l. dictum ut, si bellum geritur alicuius auspiciis, ducis: sed, per haec prima urbis initia et fundamenta a Romulo iacta. — 783. quam magnifice pro: condetur Roma! Imperium ad terrarum fines proferet, virtute et magnanimitate superabit omnes mortales et animos diis virtute pares habebit. Obvium hoc, et similia Romae praeconia apud veteres congessit multa Gerda; etiam de septem collibus. — 785-788. Augusta imago Cybeles per Phrygiam invectae (ex ritu sacrorum), quae est *Deum ma-*

Romanosque tuos. Hic Caesar et omnis Iuli 790
Progenies, magnum coeli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,
Augustus Caesar, Divi genus, aurea condet
Saecula qui rursus Latio regnata per arva
Saturno quondam; super et Garamantas et Indos 795
Proferet imperium; iacet extra sidera tellus,
Extra anni Solisque vias, ubi coelifer Atlas

ter; confusa cum Rhea et Terra. Assimulatur Roma, quae tot magnos ac divinos viros tulit; nam de divinis honoribus in Caesares delatis non agitur. *supera alta tenentes*, Homericum ὑπέροπτα δώματ' ἔχοντες. Etiam ordinem rerum facit admirabilem, quod primo loco gentem Iuliam memorat, cum in Marcelli oratio summi affectus plena substitura sit. — *Huc converte oculos* etc. omnia cum verborum dignitate extulit. *ventura sub axem*, sub coelum, in vitam, ut iam toties vidimus in hoc libro. — 792 sqq. in Augusto vero repraesentando se ipsum superavit poëta. En pacem terrarum orbi redditam, prolatos imperii fines, vaticinia, quibus terris promissus fuit, expeditiones in terras longinquas et itinera ad constituendas provincias in iis ipsis annis, quibus haec scripsit Maro (V. C. 732 sqq. v. Vitam Virgilii hll. aa.), suscepta; quam gravia haec omnia laudum argumenta et quam splendide verbis et rerum phantasmatibus declarata! — 793. *Divi genus*, ex illo sollenni: Caesar Augustus, Divi filius. — 794. *Latio*, debebat sequi per appositum: *arvis regnatis*, sed variavit: *per arva regnata quondam Saturno*, quae sunt ipsum Latium: v. f. inf. VIII, 319 sqq. — 795-798. Fines imperii in Africa et Asia dilatatos intellige; etsi rebus in maius auctis. — *super* (ultra) *Garamantas*: victi hi sunt a L. Cornelio Balbo, cuius triumphum Fasti Capitolini VI Kal. April. a. 785 memorant. Cf. Plin. V, 5. Solin. c. 31. In extrema igitur vitae Virgilii et haec incidunt. *super Indos*, spectat partim ad signa a Phraate reddita V. C. 734, partim ad Indorum legationem ad Augustum missam, cum in Syria versaretur. V. Strab. XV, p. 719 C. D. adde Dion. LIV, et Vit. Virg. a. 734. Loci imitationem intpp. notarunt in Silio VIII, 409 sqq. de Ciceronis laude. — Iam debebat sequi: *proferet imperium... et super eam terram, quae iacet extra sidera*; sed inversio facta enthusiasmum adiuvat. In sqq. australes Africae plagas designari manifestum est; sed res ad τερατῶδες deflecta. *Solis viae* proprie sunt intra Tropicos Cancri et Capricorni per eclipticam. Sic apud Aratum ἡλίοιο κέλευθοι et ἅλησις, Phaenom. 319, 321. Servius laudat Lucani locum III, 253, in quo Aethiopes extra Zodiacum positi esse dicuntur. Iam Romani quidem ab una parte vix ad Tropicum Cancri pervenerunt, multo minus ab altera parte arma ultra aequatorem protulerunt; tantum abest, ut processerint ad alterum tropicum. Sed poëtae licuit haec amplificare et loca *ultra*

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Huius in adventum iam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divom et Maeotia tellus, 800
Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit,
Fixerit aeripedem cervam licet aut Erymanthi
Pacarit nemora et Lernam tremefecerit arcu:

tropicos memorere, ideoque *ultra sidera*, hoc est, Zodiacum, *ultra Solis vias et anni*, qui illo solis decursu conficitur, ad eas Africae plagas designendas, quae ultra notas terras usque ad Atlantem et lineam ab hoc per Africam ductem procurrentes versus austrum tum erant repertae. Similiter altere ex parte versus arcticum polum navigantes *diem post terga solemque reliquisse* dicti sunt ab Albinovano in fragm. de navigatione a Germanico in Oceano tentata ex Amisiae oetio. Respici autem a Marone Candacen victam et Aethiopiem supra Aegyptum a C. Petronio copiis peragratam probabile fit; qua de re v. Strabon. XVII, p. 820 sq. et Vitam Virgilii ad a. 732. —*ubi Atlas axem*, coelum, *humero torquet*, sustinet torquentem se et vertentem, *stellis ardentibus aptum*, ex quo axe seu coelo stellae aptae sunt, in eo fixae. Cf. sup IV, 481, 482. —799-801. Splendide et hoc enuntiavit; quod futura Augusti magnitudo multis signis ac praesagiis fuit ostensa; quasi in remotissimis quoque terris eiusmodi signa animadversa fuerint; nimirum populi circa mare Caspium, inprimis Hyrcani et Bactriani sub Perthis degentes, Scythae ad paludem Maeotidem et Aegyptii —*turbant*, trepidant; nam et ipsi turbas faciunt, qui perturbantur, ut saepe alibi. Fundum rei videbis ep. Sueton. Octav. 94, ubi ex Iulio quoque Marathu fabula effertur de prodigio ante paucos, quam Augustus nasceretur, menses Romae feeto, *quo denuntiabatur*, *regem populi Romani Naturam parturire*. Scilicet stultissima superstitione laborabat Augustus. V. Sueton. c. 92. Vbi autem sunt, qui tali superstitione ducantur, ibi nec desunt, qui frendem faciant et praedictiones egregie inventas in medium proferant. Quod nunquam frequentius quam e bellis inde civilibus factum. V. argum. Ecl. IV. Solent enim bellis, animis ad barbariem efferatis, novas superstitiones gignere. Adulationis genus isto tempore non obscurum erat, venditare imperatoribus vaticinia ac praesagia, quibus ipsis iam olim imperium aut insignis aliqua felicitas fuisset ostensa. Ipse Iosephus Vespasiani voluntatem tali commento captabat. Si quod aliud melioris philosophiae bonum nostra aetas videt, hoc inprimis memorandum esse arbitror, quod divinationum ac praedictionum vanitate liberantur hominum animi. —802 sq. Tandem expeditiones et itinera Augusti commemorat, v. sup. ad v. 792, Horat. III Carm. 14 pr. comparatione facta cum *vago* (apud Horat. III, Od. 3, 9) Hercule et Baccho. In Herculem paullo iniquior esse videtur poëta, quod ex eius erroribus tantum laudat eos, qui per Arcadiam facti

Nec, qui pampineis victor iuga flectit habenis, 805
Liber agens celso Nysae de vertice tigris.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?
Quis procul ille autem ramis insignis olivae
Sacra ferens? nosco crinis incanaque menta 810
Regis Romani; primus qui legibus urbem

suut; Augusti comparati magnitudo, eo ipso attenuata esse videtur, etiamsi dicas elevandi Herculis causa cervae, suis et hydrae venationem esse memoratam. *Cerynitis cerva* etiam Graecis χαλκόπους, qua voce *pedum robur* ideoque *velocitatem* prisci homines declarabant; poëtae, sei miraculum ut servarent, epitheton retinuerunt *aeripedem*. Ad Arcadiam illa spectat, uti etiam Erymanthius aper et Hydra Lernaea. *Fixerit* haud dubie ad telum pertinet; atqui debuit cerva viva capta esse; v. Apollodor. II, 5. 3. Aut igitur alium auctorem sequutus est poëta aut loquutus est minus accurate: *figere* pro capere. —805, 806. De Bacchi ex India triumpho agit; in ea Nysa urbs cum monte Mero, qui et ipse Nysa dictus. Infinitae de his fabulae, collectae a Nonno in Dionys. Praeter Diodor. II, 38 cf. Strab. XV, p. 687. *qui flectit iuga*, biiuges tigres ex v. sq. *pampineis habenis*, pampino circumvolutis et implexis. —807, 808. Et potes adhuc dubitare virtutem strenue exercere per facta? *Virtutem extendere* pro vulgari: virtutem exserere, exercere, ea uti, dici videtur is, qui ea constanter utitur, eam quasi amplificat transferendo eius usum ad multa, ideoque *per facta*; ut si quis *orationem* dicatur *verbis extendere*, pro facere. *Extendere* enim modo ad *temporis intervallum*, modo ad *numerum*, modo ad *res* refertur, cum plura ad unam referimus aut unum ad multa. Amant igitur poëtae hanc vocem, ut ornent notionem simplicem. Sic pro *exigere vitam*, *aetatem* malunt: *extendere vitam*. Aeschyl. Prometh. 357: Ἤδη τι, θαρσαλέας τὸν μακρὸν τείνειν βίον Ἐλπίσιν pro: bonam inter spem vitam exigere. Conveuit cum hoc more loqueudi alter ille: *noctem proferre; producere vino, sermonibus*, et ipsum *tendere*. Horat. I, Ep. 5, 44, *impune licebit aestivam sermone benigno tendere lucem*; exigere, quam longa ea est. Bona Servii nota: *dubitamus pro dubitas. Misceuit personam suam. Est autem sensus: cum tibi tanta sit praeparata posteritas, dubitas, virtutem factis extendere? id est gloriam*. Bene porro firmatur Aeneae animus ad sedem in Latio figendam. Ceterum cum sequenti enumeratione comparari potest nec sine fructu locus Manilii de animabus magnorum virorum in sideribus viae lacteae constitutis lib. I, 766 sqq.

808—813. Numa rex, pacis tutela religionumque cura insignis. *Quis procul*. Servius argutatur: *mira autem utitur phantasia, ut quasi ostendat se non agnoscere eum, qui de gente Romana non fuerat. Anchises* et hanc et reliquas animas prospectabat e

Fundabit, Curibus parvis et paupere terra
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriae residesque movebit,
Tullus, in arma viros et iam desueta triumphis 815
Agmina. Quem iuxta sequitur iactantior Ancus,
Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.
Vis et Tarquinios reges animamque superbam
Vltoris Bruti facisque videre receptos?
Consulis imperium hic primus saevasque securis 820
Adcipiet; natosque pater nova bella moventis
Ad poenam pulcra pro libertate vocabit,
Infelix! Vtcumque ferent ea facta minores:
Vincet amor patriae laudumque inmensa cupido.
Quin Decios Drusosque procul saevumque securi 825
Adspice Torquatum et referentem signa Camillum.

longinquo, 751. — *sacra ferens*, proprie de sacerdotibus, v. ad Ge. II, 476, h. l. bene de sacrorum et religionum conditore. *crines incanaque mentia*. Talis eius imago occurrit in numis gentis Calpurniae, Marciae et Pomponiae, ut fama sic acceptum esse appareat. Cf. Vrsini Imagg. n. 95 et Diouys. II, 58: ἀξιώσει μορφῆς βασιλικὸν fuisse narrat. *in imperium magnum*, certe fatorum decreto tale futurum aliquando. — 813. *Cui deinde subibit*, Liv. I, 22. Tullus Hostilius: *Hic non solum proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit.* — *desuta triumphis*, ornatius quam bellis. — 816, 817. De *Anco Marcio*, quasi is favorem populi captaverit ideoque superbior in patres fuerit, alios auctores habuisse Maronem necesse est, quam quos Livius et Dionysius celerique sequuntur, qui ad nos pervenerunt. Ex Servio servatum videtur, quod Pomponius Sabinus adscripsit: Ancus Marcius... *vivente Tullo aegre ferebat, cum e stirpe regia se iactaret* (erat Numae nepos ex filia), *praelatum sibi Tullum. Itaque statuerat favore populari Tullum regem cum tota familia occidere.* — 818, 819. *Vltor Brutus*, qui Tarquinii superbiam et Sexti libidinem ultus est. *fasces receptos*, regiam dignitatem et imperium a Regibus in Coss. translatum. — 820. V. Liv. II, 3, 4. 5. Bruti factum qui reprehenderent, iam Virgilii tempore fuisse credendum est; itaque ab Anchise adiectum: *utcumque ferent*, in quamcumque partem hoc factum interpretaturi sint posteri, ipse in sumendo a filiis supplicio sequetur id quod patriae amor et gloriae cupiditas suadebunt. — 825, 826. *Decii*, pater et filius, qui se pro patria devoverunt, alter bello Latino, alter Gallico, *Drusi*, Liviae causa laudati; ex iis M. Livius Salinator b. Punico II clarus et M. Livius Drusus Trib. pl. At Drusum Liviae f. eiusque victorias de Germanis male

Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animae nunc et dum nocte prementur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitae
Adtigerint, quantas acies stragemque ciebunt! 830
Aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci
Descendens, gener adversis instructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella!
Neu patriae validas in viscera vertite vires!
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo; 835
Proiice tela manu, sanguis meus.
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho

in tempora Virgilii advocant Intpp. De T. Manlio Torquato Imperioso v. Liv. VIII, 7. — *referentem signa Camillum*; retulit, recepit signa in Gallis capta in pugna Alliensi. cf. Liv. V, 37 et 40. —827—836. De Caesare et Pompeio. *paribus armis*, utpote uterque Romanus: ut Ge. I, 489 *paribus concurrere telis* Romanos videre Philippi. Lucan. I, 7, *infestisque obvia signis signa, pares aquilas et pila minantia signis.* — *nocte*, ante ingressum vitae, quae supra *lux* erat, v. 761; — et mox v. 829 *lumina vitae.* —831. Iulius Caesar in Pompeium arma movebat e Galliis. Etsi vero Ravennae tum subsistebat cum una legione, tamen, cum ceterae legiones ex hibernis (v. de B. Civ. I, 7) ideoque maior copiarum pars ex Gallia Transalpina esset arcessenda, augusta rerum specie ab Alpibus descendere eum narrat. Alpes declarat per *aggeres Alpinos* et *arcem Monoeci*, h. e. promontorium cum templo et portu Herculis Monoeci sub Alpibus maritimis non longe a Nicaea sitis, qui nunc *Monaco* est. Alienum igitur est non magis ab historiae veritate quam a poëtae consilio aut cogitare Caesarem ipsum per haec loca in Italiam descendisse, aut ad reditum Caesaris ex Hispania haec referre. Videas tamen audacter haec in descriptionibus et historiis Italiae repeti et monstrari turrim super monte Turbia, qua transitu facto Caesar iter in Italiam clauserit; quam Tropaeorum Augusti ruinas alii esse pronuntiant. —832. Pompeium copias ex Oriente contraxisse quis nescit? —833. *adsuescere bella animis*, pro vulgari adsuescere bellis. *Ne pueri, ne.* Color orationis, qui Iliad. η, 279 de Hectore et Aiace singulari certamine pugnantibus: Μηκέτι, παῖδε φίλω, πολεμίζετε μηδὲ μάχεσθον. —834. Imitatio Lucani est I, pr. *populumque potentem In sua victrici conversum viscera ferro*: et v. 835 Statii Theb. III, 239: *vos*, o *superi, meus ordine sanguis, Ne pugnate odiis.* Argutum autem magis quam verum esse arbitror, quod ad clementiam Caesaris v. 835 et 836 referunt. Cur Caesarem potissimum appellet, causa allata est in hoc ipso: *genus qui ducis Olympo*, sc. per Iulum seu Ascanium, *genus meum.*

837 sqq. Duo versus 837, 838 ad *L. Mummium Achaicum* pertinere

Victor aget currum, caesis insignis Achivis.
Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas
Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli, 840

dubitari nequit; eum autem potissimum commemorat non tam insigniore aliquo inter alios magnos viros merito, quam quod *Achivos*, Graecos, bello Achaico confecto profligavit: quae res ad Troiani hominis sensum grata auditu esse debuit. At, qui vss. sequuntur, ad quem ex Romanis ducibus referendi sint, obscurum videtur. Ad eundem Mummium ne referas, vel τὸ *Ille* intercedit, quod diversum aliquem designat. Veteres Pyrrhum Epiri R. respici crediderunt a Curio et Fabricio victum, qui in noto Ennii versu *Aeacides* dictus: nam genus ille ab Achille et Aeaco ducebat. Sed reliqua in his verss. memorata: *Eruet ille Argos et Mycenas*, in eum non cadunt; unde vana Virgilii reprehensio nata apud Gell. X, 16. Iniquior est Grammaticorum strictura apud Pompon. Sab. *Hoc carmen putant e textu delendum esse; nam Virgilius procul dubio, si correxisset, fuisset exemturus; nisi aliquid adspexerit nobis incognitum.* Redditur loco sua dignitas, si *L. Aemilium Paullum*, Persei victorem, victamque Graeciam Aeneae ab Anchisa ostendi videris. Cogitandum autem nos in rei futurae praedictione versari, neque ideo, quod in sacris Iudaeorum vatibus fere interpretes faciunt, ad proprietatem orationis et historiae subtiliter omnia esse revocanda; quin poëta vaticiniorum ambiguitatem et obscuritatem studio affectasse videri debet. Graeciae opes iam ante Corinthum excisam fractas Macedonia devicta indicaturus *Argos* ac *Mycenas* nominat in veterum historiarum memoriam iucundam simul et augustam; ut iam lib. I, 283-285 factum vidimus, quem locum ef.; item Ovid. Fast. VI, 47. Aeneae autem, cui haec a patre memorantur, omnem Graeciam designantia nomina erant *Argos* et *Mycenae*, ut aliquoties in Homericis. Quantopere autem victoria de Macedonum Rege Perseo afflixerit Graeciam, ex Livio intelligas XLV, 31 sq. Ad eadem tempora belli Troiani a poëta accommodata sunt reliqua, praeclare utique, si haec Aeneae repraesentata memineris; itaque Perseum victum appellare potuit. *Aeacidem* ab Achille oriundum; quid enim ad Troianorum sensum laetius cogitari poterat, quam Achillis posteros aliquando Troianis esse poenas daturos calamitatis Troianis illatae et eversae urbis ideoque templorum Troiae violatorum et direptorum? Ingeniosius adhuc vs. 841 unum aliquod facinus, ut poëta, et in primis Aiacis impietatem in Cassandram memorat tamquam nefandum in primis scelus, quo Achivi deorum irae et vindictae sese obstrinxerant. Conf. sup. I, 39 sqq. Augustior adeo rerum species redditur etiam hic religione illata. Quod autem Persei genus ad Achillem referri sit solitum, ex Propertio illustratum est IV, extr. 39; ubi e Santenii partim emendatione: *Te, Perseu, proavi simulantem pectus Achillis, Quique tuas proavo fregit Achille domus*, h. e. proavum Paullum testor, qui Perseu vicit et Macedoniam subegit; pro qua memorat gentem regiam ab Achille originem petentem; et ex Sillo XV, 291, 292

Vltus avos Troiae templa et temerata Minervae.
Quis te, magne Cato, tacitum aut te, Cosse, relinquat?
Quis Gracchi genus? aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyae, parvoque potentem
Fabricium vel te sulco, Serrane, serentem? 845
Quo fessum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,
Vnus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mellius aera

de Philippo Persei patre: *Hic gente egregius, veterisque ab origine regni Aeacidum sceptris proavoque tumebat Achille.* Quomodo Macedonum reges ab Achille genus ducere potuerint, qui Heraclidae erant, in tanta commentariorum in utrumque locum mole neminem vidi docere. Videtur ad maternam stirpem ab Olympiade esse redeundum, quae erat Neoptolemi, Epiri R. filia. V. Iustin. VII, 6. (Manifesto praestat testimonio Iustini 28, 1 uti in derivanda hac cognatione a Pithia matre Philippi V, quippe quae genus suum ab Achille duxit: Olympias autem his Macedoniae regibus nullae prognationis vinculo erat iuncta. Vnde patet *Aeacidem* esse Persei, ultimum Macedoniae regem, nec de Epiro eiusque devastatione a Paullo Aemilio iussu Senatus Rom. facta, ut notissima ita foedissima, sermonem esse posse, quod Heynius egregius ipse postea sensisse videtur, adiecto: Si tamen, qui *Aeacides* sit, definiendum est, simplicissimum est de Perseo cogitare: tunc *ernet* est, prosternet, vlocet Aeac. *R.*) Per solitas vaticinii ambages vss. 839, 840, 841 hoc unum declaratur: »Ille alter, Paullus Aemilius, Graeciae opes iam ante priorem illum Mummium franget.«

842—845. Notissimi in rebus Romanis viri. *Cato* est maior, M. Porcius, qui et ab aliis infer magnos viros memoratus est; et hic inter Cossum et Gracchos bene locum habet, etsi Vticensem in Augusti gratiam omisisse videri non debet. V. Horat. I Carm. 12, 35 et inf. VIII, 670. De A. Cornelio *Cosso* spoliis opimis claro v. Liv. IV, 19, 20. *Gracchi genus* respicit maxime Ti. Sempronium Gracchum, b. Punico II clarum. — *Scipiadas*, int. Africanum maiorem et minorem; nam adiectum: *clades Libyae*, Carthaginis alter victor, alter eversor. — *fulmina belli* de Scipionibus proprio aliquo modo dictum. Imitatus est Silius VII, 106, *ubi nunc sunt fulmina gentis Scipiadae?* Praeivit Lucret. III, 1047: *Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror, Ossa dedit terrae proinde ac famul' infimus esset.* Fulmini assimulavit bellatorem iam Homerus Iliad. v. 242, βῆ δ' ἴμεν ἀστεροπῇ ἐναλίγκιος. Tragicum hoc, quod ipse heros ἀστεροπὴ πολέμου appellatur. — *parvo potentem Fabricium*, in parva re domestica divitem; uti *contentus parvo* aliquis dicitur. De C. Atilio *Serrano* v. Plinium XVIII, 3, a. 4: Perizon. Animadv. Hist. c. 1. — 846. *fessum* me longa oratione, cum de Fabiis tot dicenda restent. — 847. De Fabio *Maximo* Cunctatore versum deberi Ennio constat.

848—854. Locus haud dubie e nobilissimis, quo Romanorum ingenia

(Credo equidem) vivos ducent de marmore voltus,
Orabunt caussas melius, coelique meatus 850
Describent radio et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populus, Romane, memento;
Hae tibi erunt artes: pacisque inponere morem,
Parcere subiectis, et debellare superbos.
Sic pater Anchises, atque haec mirantibus addit: 855
Adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur victorque viros supereminet omnis!

et laudes cum Graecis (nam ad hos potissimum respexit) comparantur. Graeci praestabant artium elegantia; ex iis poëta seris fundendi marmorisque sculpendi artem memorat; felix idem est in verborum dilectu: *aera spirantia*, statuae, quae vivos viros reddere videntur; et *mollius*, nam propeium in signis hoc. V. Quinctil. XII, 10, 7. Non male praeclarum Pindari de Rhodiis locum compares Olymp. VII, 91—99. Graeci porro praestabant eloquentia et quidem forensi, *Orabunt caussas melius*, et philosophicis mathematicisque studiis; at enim, id quod poëtam decebat, ex iis unum genus posuit Maro, astrorum scientiam. — *coeli meatus*, h. e. siderum cursus, *describent*, definient in sphaera coelesti, *radio*, virga, petitum a geometricis figuris, quae in pulvere ducebantur, ut Ecl. III, 41, *descripsit radio totum qui gentibus orbem*. At Romanis proprias artes esse contendit, ut imperent terrarum orbi et aut in foederum aequas leges recipiant, qui se ad earum amicitiam applicent, aut eos, qui arma sumant, debellent. Tantum verba subiiciunt, *pacis morem imponere*, h. e. legem, foederum leges et conditiones; *parcere subiectis*; nam volebant Romani videri clementes et moderati erga victos et erga socios benigni et liberales; scilicet si nihil ab iis metuerent et ab opibus eorum auctis utilitatem sibi ipsis promittere possent. Ad Augustum id transtulit Horat. C. S. 51: *bellante prior, iacentem Lenis in hostem*. — At viri docti in his verss. scientiam civilem, seu politicam, legum ferendarum et militarem expressam a poëta, verbo, studia pacis et belli Romanis tributa tamquam propria volunt; satis argute, si modo vere. Saltem sic *pacis imponere morem* est, leges ponere, scribere populis servandas in pace; fere ut Aen. I, 264: *populosque feroces Contundet moresque viris et moenia ponet*.

755 sqq. Sequitur locus summa cum arte et ingenii venustate elaboratus de C. Marcello, Octaviae f.; ad quem ut deduceretur oratio, M. Claudium Marcellum bello Punico II clarum induxit. Narrationem de loco hoc coram Octavia lecto habet Pseudodonatus in Vita Virgilii §. 47 et Serv. ad v. 862. Add. Seneca Consol. ad Marciam 2. — 856. *Spoliis opimis*, occiso Insubrium Gallorum duce Virdomaro. Liv. Epit. XX. V. Perizon. Animadv. c. VII. Eadem sunt v. 860 *tertia arma capta*, h. e. tertia spolia opima post Romulum et Cossum,

Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet, eques sternet Poenos Gallumque rebellem
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino. 860
Atque hic Aeneas (una namque ire videbat
Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis,
Sed frons laeta parum et deiecto lumina voltu):
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius anne aliquis magna de stirpe nepotum? 865
Qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso est!
Sed Nox atra caput tristi circumvolat umbra.
Tum pater Anchises lacrimis ingressus obortis:

suspendet Quirino, h. e. Romulo. Atqui ex Romuli instituto Iovi Feretrio ferebantur spolia opima; v. Liv. I, 10. Sed potuit serioris aevi religio Romulum Iovi adiungere. Potest quoque dictum esse, quia urbis conditori omnia posterorum facta praeclara in laudem cedunt. Cum his manet tamen illud certum, in Iovis Feretrii templo spolia opima reposita fuisse. Propert. III, 10 f. *Nunc spolia in templo tria condita.* — *tumultu* de imminente bello Gallico in Italia. V. Cic. Phil. VIII, 4. Serv. inf. ad VIII, 4. — *eques*, ex poëtico sermone ad maiorem dignitatem pro bellator, dux. Occurrit et alibi. — 861. Imitationem vide apud Silium XIII, 778 sqq., ubi de Homeri umbra. Comparari quoque potest recensus similis apud Eurip. Phoeniss. 120 sqq. 147 sq. Summa populi R. de M. Marcelli, Augusti ex sorore nepotis, virtutibus suscepta erat exspectatio. V. Dio Cass. L. III, 30. Cf. Vita Virgilii ad a. 734. Est idem, de quo Horatius: *Crescit occulto velut arbor aevo Fama Marcelli.* Elogia alia Intpp. notarunt ex Velleio II, 93, et Seneca Consol. ad Marciam c. 2. *frons laeta parum*, omen mortis immaturae. — *quantum instar in ipso est*: verisimile fit, si id cogites, quod sententiae vis postulare videtur, nove h. l. *instar* positum esse pro exemplo magnae dignitatis, specie augusta corporis. Nam non satis acquiescit legentis animus, si nihil assumas quam: quanta similitudo eius est se. cum patre; in primis cum praecesserit: *Qui strepitus circa comitum!* quod sine dubio ad popularem favorem referendum; exspectas nunc aliquid, quod dignitatem oris et maiestatem corporis commendet. Vs. 867, *Sed Nox atra caput tristi circumvolat umbra* haud dubie pulcherrimi phantasmatis. Graviter dictum erat ab Homero Od. υ, 351: Ἀ δύστηνοι, τί κακὸν τόδε πάσχετε: νυκτὶ μὲν ὄμματα Εἰλύαται κεφαλαί τε πρόσωπά τε νέρθε τε γοῦνα. At ornatius Nox (pro Morte) circumvolat caput, Nocti, Somno, Morti alias tribui nunc nota res est. conf. ad Tibull. II, 1, 89. — 868 sqq. Quantopere omnia haec ad affectum accommodata et dicta sint, monere necesse non est. — *propria*, perpetua; ut iam Ecl. VII, 31 vidimus. — 868. *ingressus*, infit. cf. IV, 107. — 874: *Campus aget gemitus virorum*: noto more pro: in campo agetur, erit, gemitus (ut ἄγεσθαι pro ἔχεσθαι, εἶναι) in funere Marcelli. De publico hoc in Marcelli funere

O nate, ingentem luctum ne quaere tuorum;
Ostendent terris hunc tantum fata neque ultra 870
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria haec si dona fuissent.
Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quae, Tiberine, videbis
Funera, quum tumulum praeterlabere recentem! 875
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos, nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus iactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides invictaque bello
Dextera! Non illi se quisquam impune tulisset 880
Obvius armato, seu quum pedes iret in hostem
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu, miserande puer! si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores animamque nepotis 885
His saltem adcumulem donis et fungar inani
Munere. Sic tota passim regione vagantur
Aëris in campis latis atque omnia lustrant.
Quae postquam Anchises natum per singula duxit

luctu v. Dio l. c.; funus autem in Campo Martio factum est ingenti cum apparatu. V. ibid. — 875. *tumulum recentem*, Mausoleum Augusti in Campo Martio ad ripam Tiberis, quod sexto suo Consulatu (V. C. 726) exstruxerat. Sueton. c. 100. cf. Strabo V, p. 236. — 876, 877. pro vulgari: Non aliius puer in tantam spem tollet Romanos; tantam de se spem faciet. Sic et Gr. ἐλπίσιν ἐπαίρειν. — 879, 880. Egregia inversio, dum post illa, neminem Romanorum cum ipso posse comparari, pergendum erat: *non iactabit se tantum ullo alio alumno Roma* nec pietate nec fide nec virtute. — 881, 882. Comparari solet Odyss. ι, 49, 50; sed ornatior Virgilius. — 883. *Si qua* via ac ratione *fata rumpas*, fatorum ordinem dissolvere, tam durum fatum effugere tibi liceat, tu ad M. Marcelli b. Punico II clari nomen ac gloriam es perventurus. Nomen autem sub finem est memoratum, pleno iam erumpente animi affectu. Illa 884-886 *Manibus date lilia* etc. molliora forsan sunt quam pro Anchisae herois persona et temporibus: Virgiliani potius aevi habenda talis luctus testandi elegantia. Sunt tamen per se pulcherrima. — 885. *animam accumulem donis* nota elegantia pro vulgari *dona*, flores, *in animum ace.* — *inani munere*, eo sensu, quo lib. XI, 51, 52.

887. *Aëris in campis* spretis Gram-

Incenditque animum famae venientis amore: 890
Exin bella viro memorat, quae deinde gerenda,
Laurentisque docet populos urbemque Latini
Et, quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminae Somni portae, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris; 895
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falsa ad coelum mittunt insomnia Manes.
His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam
Prosequitur dictis portaque emittit eburna:
Ille viam secat ad navis sociosque revisit; 900
Tum se ad Caietae recto fert limite portum.
Ancora de prora iacitur; stant litore puppes.

maticorum argutiis putabam graece dictum pro campis aëriis h. e. locis caliginosis h. e. inferis. Sic ἀὴρ ἠερόεις saepe. Occurrit tamen hic nova difficultas, quum in Elysio caligo non esse debeat et vs. 640 lectum sit: *Largior hic campos aether et lumine vestit purpureo solemque suum, sua sidera norunt.* Ereptum iis est coelum nostrum; nam in inferis sunt: at habent aërem suum, aetherem illum purum et apertum. *Campi aëris*, qui tali aëre, pro coelo, fruuntur (Fortasse in *regione Aëris* melius coniunxeris: Sic *regio viarum* vidimus II, 737). — *viro* pro ei. — 892. *Laurentesque docet populos.* Nota inversam orationem, pro: quae bella gerenda cum Laurentibus h. e. Latinis ad Latini urbem.

894 sqq. Quum emittendus esset Aeneas e locis inferis porta alia quam qua ingressus erat, incidit in duplices Somni portas, quibus veteres Somnia prodire luserant. Fundus Odyss. τ, 562 sqq. Somnia sedem habere in Orci vestibulo supra vidimus v. 274, 282 sq. *veris umbris* pro somniis, vi oppositi; scilicet somniorum genus est, quo mortuorum umbrae somniantibus offerunt se, interdum ut Furiarum loco poenas expetant. V. ad Propert. IV, 7, 87 et al. hae sunt *veraeumbrae*, vera somnia. *nitens*, ornat; *perfecta*, τετυγμένη, vel ut Hom. αἰ δ' ἐλέφαντι τετεύχαται. *Sed*: altera porta meliore quidem materia est, scilicet eburna, sed ex ea etc. *Manes*, h. e. Inferi mittunt; ex inferis ad homines (nam id est *ad coelum*) procedunt hae altera porta non ipsae umbrae, sed phantasmata umbrarum seu Larvae; Horatii *vana imago, quae porta fugit eburna, somnium ducens* III, 27, 41; ita, vi oppositi, intelligi debent *falsa insomnia*; non somnia, quae falsa rerum specie illudunt. Nec vero ad poëtae consilium ullo modo referenda sunt; quae hic mythici tantum ornatus causa de somniis s. umbris veris ac falsis earumque ex locis inferis origine adiecit. — *viam secat*, τέμνειν ὁδόν, nota res, quasi sulco pedum ducto. *recto limite*, ut recta via. Tandem Pompon. Sab. *Sic finit Homerus lib. XI* (Odyss. λ.) *et Silius XIV.*

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER SEPTIMVS.

ARGVMENTVM

Caietam nutricem suam Aeneas sepelit locumque ipsum ab eius nomine Caietam appellat — 5. Inde Circis sedem praetervehitur — 24 secundoque vento ad Tiberis ostia defertur adversoque flumine subvectus in Laurentem agrum egreditur — 36. Digressione de prisco Latii statu et de prodigiis, quibus Troianorum adventus denuntiatus fuerat, facta — 106, pergit narrare poëta aliud ostentum comesarum mensarum; ubi cum ex Ascanii verbis Aeneas cognovisset eam esse terram fatis sibi debitam, ad Latinum regem, qui eius tractus regnum obtinebat, centum oratores mittit, qui et suo nomine illi munera offerrent et urbis condendae locum peterent. Interea castra metatur — 159. Latinus legatione benigne audita praeter postulata Laviniam filiam suam, quam et ex Fauni patris sui oraculis et augurum responsis externo viro tradere iussus fuerat, ultro Aeneae coniugem offert — 285. Interim Iuno prosperis Troianorum rebus offensa Alecto ad disturbandam pacem ab inferis evocat — 340, quae primum Amatam Latini uxorem — 405, deinde ipsum etiam Turnum furiis suis implet — 474 atque inde ad Troianorum iuventutem conversa, quae tum forte venationi operam dabat, mansuetum illis cervum obiicit Tyrrhi, armentarii regii, liberis inprimis carum; quem cum Ascanius sagitta vulnerasset, rustici, arreptis armis, in Troianos impetum faciunt — 510. Alecto ex superiore loco classicum canit: cadunt in eo tumultu Almon, Tyrrhi filius natu maximus, et Galesus, agricola regionis totius locupletissimus: qui cum in urbem mortui essent relati, Turnus et Amata regem Latinum ad bellum suscipiendum iniuriamque manu vindicandam exstimulant — 590. Verum, cum ille et fatorum et foederis nuper cum Troianis initi memor adduci non posset, ut illis bellum indiceret, Iuno ipsa Belli portas aperit — 622. Turni auspicio ad bellum sequitur

Mezentius una cum Lauso filio — 654, *item Aventinus Herculis ex Rhea filius* — 669, *Catillus et Coras Tiburtini fratres* — 677, *Camilla e Volscorum gente virgo fortissima* (803—817) *aliique complures: quorum inde a v.* 687 *ad finem libri recensus factus est.*

De sex posterioribus Aeneidis libris solent viri docti fere ita disputare, ut acceptum quisque hoc ab aliis tradat: inferiores esse eos libris sex prioribus inventionis laude, spiritu poëtico et ornamentorum copia ac varietate; itaque multo minorem voluptatem eos legentibus afferre; remitti animum et vix episodiis aliquot idoneis excitari ac languore abstersо recreari; neo mirum esse, si haec ita se habeant, cum ultimam manum poëtae carmini fatum invîderit. Quod ne frustra a veteribus traditum et a se ipsis assumtum sit, circumspexerunt viri docti curiose, quidnam inchoatum in his libris, non absolutum habendum sit.

Omni licet cupiditate ac studio in poëtam, ut mos meus est, deposito, tamen iure meo me hoc pronuntiare arbitror, in argutationibus his pauca esse, quae viro intelligenti ac probare possint. Adeo a poëtae consilio, carminis argumento, heroicae vitae indole, Augustei aevi sensu ac iudicio, communi naturae humanae lege ac more, carminis epici interioribus causis aliena sunt pleraque, ut illa centies recocta iterum perlegere, iterum refellere molestia omni molestius sit.

Vt tamen interpretationis hoc genus meum, quod non desultorium esse ab initio decrevi, sibi constet, non plane has argutias praetermittere licet. Perstringam igitur brevissime potiora reprehensionum vel laudum capita et tamquam levi digito attingam ea, quae causis idoneis in utramque partem destitui equidem arbitror. Actionem aiunt ab hoc libro procedere carminis alteram a priore diversam, res in Italia gestas, idque ipsum poëtam non ignorasse, cum sic ordiatur narrationem v. 44, 45: *Maior rerum mihi nascitur ordo: Maius opus moveo*: eum autem in hunc errorem inductum, quod sex prioribus libris Odyseam, his alteris sex Iliadem redhibere et exprimere voluerit. Quod, si quid aliud, frustra sumitur, etsi iam inter Serviana mugamenta (ad lib. VII, 4) venditatum, nec, si in singulis partibus vel episodiis Homeri vestigiis insistit Maro, eum ita imitatus esse credi debebat, ut eius corpus in partes dissectum novo exemplo conglutinaret. Antequam ad Italiam accederet Aeneas, iter Troia factum commemorandum erat. Quod in Africam defertur classis, quod, cum Iuno fraudibus hoc suis consequuta non esset, ut Didonis amore irretitus Aeneas Carthagine desideret, iterum conscensis navibus Siciliam adeunt Troiani et inde profecti tandem Tiberia ostia invehuntur: ea omnia ad unam illam actionem non minus pertinent quam difficultates, quae escensu in Latinum litus facto suboriuntur, quibusque verendum erat, ne a sedibus in Latio occupandis et nova colonia huc ducenda prohiberentur Troiani advenae. Invocatio Musae non per se partem operis constituere potest novam; sed ad excitandos et inflammandos sub magnae rei exordium tum poëtae tum lectoris animos valere debet. Quod autem

diversa sunt rerum in his ac superioribus libris narrandarum genera, hoc ipsum ad varietatis ac copiae laudem pertinet. Quis in Homero recensum navium novam carminis partem constituere diaerit, quoniam poëta Musis invocatis illam orditur? *Maius opus* se movere, ingredi, dicit poëta rerum naturas respiciens, bella ac pugnas, cum erroribus maritimis comparatas: *Dicam horrida bella, Dicam acies etc.* v. 41, 42.

Reprehendunt alii poëtam, quod horum sex librorum argumentum intra bella ac pugnas continetur: hae rerum semper ad idem genus redeuntium turba nasci legentis taedium. At enim sic ab omni narratione epica, quae in rebus gestis magnis ac mirabilibus factisque audaciae ac virtutis heroicae specie animos moventibus versatur, erit abstinendum. Nam et magna est omnium similitudo, et magna pars rebus bello gestis continetur. Tum *bello* ad ipsam historiarum fidem parstae fuerunt Troianis sedes in Latio; et variati sunt a poëta pugnarum casus mirifice, etiam episodiis suis distincti. Bellum aiunt propter puellam Aeneae numquam visam geri: quod ne verum quidem est. Geritur bellum de Troianorum sedibus in Latio; accedit Lavinae coniunctum tamquam pignus foederis cum Latino super his sedibus in Latio concessis facti: VII, 260 sq. 267 sq.; neque vero Laviniae amorem qualem nostra aetas probat, ab Aenea in heroica vita exspectari posse per se patet, neque Amatae reginae, Latini uxori, partes, quales Mariae Medicae vel Annae Austriacae, ea aetate dari potuisse. Praeterea icto iam cum Latino foedere causas belli aiunt (Macrobii exemplo Sat. V, 17) nimis essa exiles ac tenues; cervam, puellae Silviae delicias, casu a Troianis caesam. At vero haec causa belli non fuit, sed exacerbatis iam Latinorum animis prima, qua eruniperent irae, occasio (cf. ad VII, 475); eaque ad priscae vitae morem non mala attemperata; in primis si Latium cogites, quale illo tempore fuit, per vicos et tuguria sparsim inhabitatum, cum una urbs Laurentum esset; atqui poëta tenuitatem rerum diligenter ex oculis legentium remavit resque vitae heroicae pauperes et exiles epico splendore summo ornavit. Sed omnino belli exordia non ad cervam interceptam, sed ad Iunonis artes et ad evocatae Alecto fraudes referenda sunt, quibus exasperati Latinorum et Turni animi a novis in Latio sedibus Troianos prohibent.

In Latino tamen multa sunt, quae personam epicam dedeceant. Recte hoc moneretur, si epicam ille, quam volunt, personam sustineret, hoc est, si in hoc rege summa rerum verteretur. Nec vero eminere eum par erat, si Turnus in medium erat adducendus isque cum Aenea comparandus; non magis quam Priamum, cum Hectori belli summa esset tradenda: aut enim duo futuri erant Turni aut simplicitas actionis et argumenti unitas deserenda. Adumbratum est in Latino veterum regum exemplum, quorum vix alia auctoritas, quam ut consiliorum populi principes bellique duces essent. Latinus igitur non audet bellum gerendum detrectare, poscentibus populis: lib. VII, 591 sqq. Cum autem Turno summa belli esset mandanda, Latinus annis gravis a rerum actu erat removendus. Itaque Turnus copias cogit, agmen ducit, ad eiusque voluntatem in ipsa urbe novae copiae conscribuntur lib. VII, 367 sqq. Turni autem ferox ingenium ac violentia multo magis elucescit cum Latini

mitl ac mansueta mente comparata. At ipse Turnus plus audaciae ac vividae virtutis habet, quam Aeneas. Recte utique, ne duo essent Aeneae. Et dignus erat adversarius Aeneae obiiciendus. Cum autem huic semel esset tributa virtus cum prudentia et constantia animi, quam res adversae et rerum usus et experientia afferre solet: violenta illa et temeraria fortitudo in Aeneam non cadebat, Turno relinqui poterat. Annon Laviniae, si liberum erat puellae arbitrium, praeferendus fuisset Turnus, quaestio est ex nostris moribus ingeniisque arcessita, non ex heroicae vitae severioribus in femineum sexum institutis. Dabatur puellis maritus, quem il, in quorum manu erant, vellent; non quaerebatur nec petebatur a puellis. Nec vero Latino displicebat Turnus, immo probatus eximie (v. c. XII, 19 sqq.); prodigiis tantum et monitis deorum externum generum sibi adsciscendum esse Latinus intellexerat.

Potuere utique esse in Aeneide, quae minus se probarent Vario, Tucae, Maecenati vel Augusto; sunt quoque passim notata a nobis nonnulla, in primis in deorum ministeriis, parum subtiliter digesta; alia, maxime in sermonibus, rhetorum argutiis inquinata, quae displicere possunt: sed haec profecto, quae nostri aevi critici reprehendenda putarunt, ista aetate vix in vituperationem venerunt; nec omnino eum naturae integritate et simplicitate coniuncta, verum ex nostrae vitae fastidio et stomacho ducta sunt. Quodsi sex posteriores libri non aeque delectatione tenent animos magnae lectorum partis, ac priores: causas eius rei facile equidem assequor cum alias tum hanc, quod ad sex posteriores libros intelligendos doctrinae haud vulgaris copia rerumque antiquae Italiae scientia requiritur, quae ab interpretibus adhuc parum diligenter exposita erat; is autem, qui in rebus versatur obscuris ideoque difficilibus, ubi laboris molestia voluptatem intercipit et ingravescens tandem taedium librum manu excutit, non facile eius rei causam in se latentem agnoscit, sed in auctore rei, quae taedium afferebat, reperit. Adeo difficile est in se descendere, et iudicii sui causas exquirere occultas. Qui tamen antiquarum rerum lectione delectatur et tam ingeniose a poëta et sollerter innumera ex Italiae antiquitate commodo loco posita et ad finem epicum attemperata animadvertit, is non minus recordari debet magnam huius voluptatis partem etiam a doctrinae copiis, difficultatis superatae sensu, antiquitatis studio et amore et, quae alia, proficisci.

Mihi quidem invanti et doctrinae iudiciique in dilectu et ornatu multo maiorem laudem habere videtur Maro in sex posterioribus libris, quam Homerus in carminibus suis; nam versabatur hic in argumento multis iam carminibus vulgato; at Virgilius nonnisi rerum tenuium, exilium et obscurarum famam popularem, fortasse a Catone et Varrone docta diligentia conquisitam, ante oculos habebat, quae ipsi erat ita constituenda et ornanda, ut carmine digna et narratu memorabilis satis videri posset.

Tu quoque litoribus nostris, Aeneïa nutrix
Aeternam moriens famam, Caieta, dedisti;
Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.
At pius exsequiis Aeneas rite solutis, 5
Aggere conposito tumuli, postquam alta quierunt
Aequora, tendit iter velis portumque relinquit.
Adspirant aurae in noctem nec candida cursus
Luna negat; splendet tremulo sub lumine pontus.
Proxima Circaeae raduntur litora terrae, 10
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Adsiduo resonat cantu tectisque superbis

1-4. Caietae memoria in Aeneae erroribus non obscura erat; et promontorii portusque et urbis nomen in Latii et Campaniae finibus ab ea ductum vulgo ferebatur. *Tu quoque*, praeter Misenum, VI, 232 sq. — 3. Etiamnum *servat honos sedem tuus*, exquisite pro honos est adhuc, superest, servatur sedi tuae, tumulo; nam *sedes* pro sepulcro, ut v. 152, lib. VI. Honos autem ei habetur titulo et nomine seu inscripto, seu fama vulgato: unde fit, ut is titulus ipse appelletur *honos*. Idem erat supra VI, 507, *numen et arma locum servant*. — Quod sequitur: *nomen signat ossa*, eodem fere redit; *nomen* est titulus sepulcri signatque ideo ossa, quae in eo condita sunt. — *Hesperia magna* epitheton ornans, v. I, 569 et IV, 345 *Italia magna*. — tandem: *si qua est ea gloria*, Interpretes a Servio inde accipiunt, quasi dictum sit: si quis sensus eius gloriae in morte est. Bonus sensus. Verba tamen hoc tantum subiiciunt: quantacunque ea gloria est.

7-9. *tendit iter velis*, per vela vento data, docte, ut *cursum, gressum tendere* aliquis dicitur, pro vulgari tendere cursu, h. e. contendere, properare. Sic I, 656, *iter ad navis tendebat Achates*, i. e. ibat. VI, 290 tendere iter pennis, i. e. volare. — *In*, i. e. sub noctem, ἐπιπνεουσιν ἄῆται, ut saepe Apollonius, ventus et luna favet navigationi. *tremulo sub lumine*, epitheto a natura radiorum lucis petito. Nota rei imago expressa dudum ab aliis e. c. ab Ennio: *Lumine sic tremulo terra et cava caerula candent*, ap. Macrob. VI, 4.

10-14. *Circes insula* denique Geographiae studio incerta et falsa expellente facta terra continens, Circeii, notum Latii promontorium. Petita est fabula ex Odyss. κ, ubi adhuc est insula, indeque illustranda. *raduntur*; nam praetervehuntur Troiani: sic III, 699, 700. *Divitem* cur appellet Circen, causam puto esse domus opulentiam (unde mox *tecta superba*) quam Homerus quoque ei tribuit l. l. v. 210, 211, et 314, 315, in primis 348 sqq. cf. Ovid. Met. XIV, 260 sqq. — *inaccessos lu-*

Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenuis percurrens pectine telas.

cos, h. l. silva, ad quam raro accedunt homines, solitaria. Servius: *ad quos nullus debeat accedere*, sc. veneficiorum metu. At *lucos* memorat secundum Homerica ibid. 149, 150, ubi silvam in insula et in ea Circes aedes memorat. Esse autem Circeios densos silvis, ἄκραν ὑψηλὴν, ὀασεῖαν δὲ σφόδρα, καὶ ἔχειν δρῦν δάφνην πολλὴν καὶ μυρρίνην, monstrari porro Elpenoris (Od. μ, 14) tumulum et in ea nasci myrtum etiam Theophrastus receperat Histor. Plant. V, 8, et Plinius porro XV, 29 myrtum *in Europae citeriore solo... primum Circeiis in Elpenoris tumulo visam* tradi notavit. *resonat*, resonare facit, more Graecorum poëtarum verba neutra in activum sensum deflectentium. Luci *resonant cantu* et *cantum*; Georg. III, 838, *litoraque alcyonem resonant, acalanthida dumi* et Ecl. I, 5, Tityrus docet *silvas resonare Amaryllida*. Et *sonare aliquid* simpliciter φωνεῖν, loqui, XII, 529 simili modo: *Murranum, atavos et avorum antiqua sonantem Nomina*. Tam varias vides esse formas in poëta. Cantus Circes notus ex Odyss. κ, 221 sqq., qui iidem versus quum de Calypso quoque ab Homero positi sint Odyss. ε, 61, 62, ex eodem loc. v. 57-61 repetiit Maro reliqua de foco et de textura. Nam Πῦρ μὲν ἐπ' ἰσχαρόφιν μέγα κάετο, τηλόθι δ' ὀδμὴ Κέδρου τ' εὐκεάτοιο θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει, Διομέδων. Cf. Plin. XIII, 16, 30. Priscae vitae et Orientis nunc quoque communes eae lautiorum hominum deliciae, quas vel laxiorum nimio aestu corporum effluvia sudere possunt, ut suffimenta vel odores accendant. Hic igitur ad Nympham ab Homero bene traducium. Est autem et hoc ex eadem vita, ut posito in mediis aedibus foco ignis lumina per noctem praebeat. Sic v. c. Odyss. τ, 63, 64 et alibi. — *urit in lumina*, ut pro lumine esset; ita ti; pro *ad*. *Cedrus* autem Graecorum et Romanorum, ut iam ad Georgica notavimus lib. II, 443, e iuniperorum genere est, etiam oxycedrus (Iuniperus oxycedrus Linn. *B.*) dicta. V. Bodaeum a Stapel ad Theophr. II. Plant. III, 12, ubi icones visuntur, et post alios Celsium in Hierobot. P. I, p. 77, qui diligenter eam a cedro Libani, quae ex abietino genere est, distinguit; etsi ne sic quidem expedita satis res est. Sufficit θυΐαν, θύον, *cedrum*, esse aliam orientalem, aliam occidentalem, hanc quidem Theophrasti appellatam. (Sed θυΐα s. θύον est Thuia cupressoides Linn. *B.*) Homerico loco quoque versus 14 illustrandus: ἱστὸν ἐποιχομένη χρυσείῃ κερκίδ' ὕφαινεν, *telae* h. e. pro stamine vel trama, quam textrix ἐποίχεται κερκίδι, (non sedens illa, sed circumiens. *R.*) percurrit radio, navicula, adducta subinde, ad constipandum subtemen insertum spatha formae a nostro instrumento hoc diversae. *arguius pecten*, navicula, quae per tramam means stridorem illum facit, qui si similis fuit pectiui, quo lyra pulsatur, quumque ille *radii* etiam nomine declaretur; forma eius a nostrorum textorum navicula admodum diversa esse debuit. Cf. sup. Georg. I, 294. Egit nunc de his uberrima cum doctrina Schneider. in Indice Scriptor. R. R. sub v. *tela*.

Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum 15
Vincla recusantum et sera sub nocte rudentum:
Saetigerique sues atque in praesepibus ursi
Saevire ac formae magnorum ululare luporum,
Quos hominum ex facie dea saeva potentibus herbis
Induerat Circe in voltus ac terga ferarum. 20
Quae ne monstra pii paterentur talia Troës,
Delati in portus, neu litora dira subirent,
Neptunus ventis inplevit vela secundis
Atque fugam dedit et praeter vada fervida vexit.
Iamque rubescebat radiis mare et aethere ab alto 25
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis,
Quum venti posuere omnisque repente resedit
Flatus et in lento luctantur marmore tonsae.
Atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum
Prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amoeno, 30
Vorticibus rapidis et multa flavus arena
In mare prorumpit; variae circumque supraque
Adsuetae ripis volucres et fluminis alveo

15-18. Admodum ornate singula, si cum Homericis compares Od. κ, 212 sq. et Apollon. IV, 672 sqq. *formae luporum* simpl. pro lupis, forma dicendi poëtica, quam iam alibi vidimus, et *praesepia* paullo ante pro caveis. Sic iam Servius explicuit. Discessit autem Virg. ab Homero, qui mutatas has feras humanam mansuetudinem servantes exhibuerat l. c. v. 214 sq. — 20. *induerat in vultus ac terga*, h. e. corpora, *ferarum*; pro vulgari induerat eos formis ferarum, conf. Georg. I, 187, 188. *pii*, θεοφιλεῖς, diis curae sunt Troiani; sup. III, 265: *Di placidi servate* plos. — Mox 24 *fuga* pro celeri cursu et navigatione: et *praetervexit* eos per *vada fervida*, mare aestuosum, ut circa promontoria esse solet.

25-28. (Aurora V, 535 roseis quadrigis invehitur, h. l. bigis: nullo igitur currus discrimine facto e licentia poëtica. cf. Tibull. I, 3, 94 not. *R.*) 27. *quum venti posuere*, sese, quievere, ut X, 103. *in lento*, immoto a ventis, *marmore*, ut sup. VI, 729, ubi vid. not., pro mari, *luctantur* remi; vento cessante, qui navem ageret. Causam ornatus horum versuum in eo inveniri licet, quod de oriu memorabilis et magni istius diei agitur, quo primum Italiam illam a fatis promissam adibant Troiani. — *tonsae* pro remis. — 29-36. Simili cum iudicio ornata sunt haec ac praegressi versus, quum iam

Aethera mulcebant cantu lucoque volabant.
Flectere iter sociis terraeque advertere proras 35
Imperat et laetus fluvio succedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Quum primum Ausoniis exercitus adpulit oris,
Expediam et primae revocabo exordia pugnae. 40
Tu vatem, tu, diva, mone; dicam horrida bella,
Dicam acies actosque animis in funera reges
Tyrrhenamque manum totamque sub arma coactam
Hesperiam. Maior rerum mihi nascitur ordo;
Maius opus moveo. Rex arva Latinus et urbis 45
Iam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica
Adcipimus. Fauno Picus pater: isque parentem
Te, Saturne, refert; tu sanguinis ultimus auctor.

de rerum summa, de accessu ad Italiam, agatur; itaque locorum faciem exhibet poëta iucundissimam. — 34. *lucoque* per lucum. — 35. *flectere iter*, cursum, ut V, 28. Facit vero haec Aeneas, ut ad ipsa Tiberis ostia cursum regat, ad Creüsae monitum lib. II, 781, 782: *Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva Inter opima virum leni fluit agmine Thybris.* Escensus factus ad ripam fluminis in agrum Laurentinum. Erat autem ille olim lauris consitus; unde *lucus* et *fluvius opacus*.

37 sqq. Ad legentium animos excitandos invocationem novam valere nota in poëtis res est. *Erato* ponitur a poëta pro Musa qualicunque, ut recte Servius. Apollonii exemplum bene laudatur ab aliis lib. III, 1: Εἰ δ' ἄγε νῦν, Ερατώ etc., ubi tamen Erato proprio suo iure ad amorem Medeae exponendum advocari putatur. Mox *quae tempora rerum* fuerint, non tam quibus temporibus, quam quo rerum statu ac conditione Aeneas advenerit. (Quod *rerum* adiectum, prima, qua poëta hic utitur, vocabuli vis postulabat, quae est positio, status. *R.*) *exercitus* pro populo, turba, navalibus copiis. Sic apud Graecos tragicos στρατός, τάγμα, τάξις, στόλος et alia populum et cives, πολίτας, declarare notum est. *exordia pugnae*, venatione cervi inf. 479 sqq. — 42. *reges*, Latinum, Turnum, Mezentium, hinc *Tyrrhena manus*.

43-49. Latini genus ad Saturnum refertur, deum Aboriginum indigetem cum Crono comparari solitum. Ab hoc Picus procreatus, ex hoc Faunus, Latini pater. *Faunus* nomen fuit antiqui Latii, idque fatidicum. v. inf. VII, 82 sq. — *Marica*, nympha Latii, cuius religio apud Minturnenses servata est, et lucus ad fl. Liris con-

Filius huic fato divom prolesque virilis 50
Nulla fuit, primaque oriens erepta iuventa est.
Sola domum et tantas servabat filia sedes,
Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.
Multi illam magno e Latio totaque petebant
Ausonia; petit ante alios pulcerrimus omnis 55
Turnus, avis atavisque potens: quem regia coniunx
Adiungi generum miro properabat amore;
Sed variis portenta deum terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam multosque metu servata per annos: 60
Quam pater inventam, primas quum conderet arces,
Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus
Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.
Huius apes summum densae, mirabile dictu!
Stridore ingenti liquidum trans aethera vectae 65

secratus. *Laurentem*. eam appellat, quod Aborigines, Laurentes et nomen Latinum ad Lirim usque, ut poëta innuit, pertinuisse videtur.

52-58. De Lavinia. *servabat sedes*, eodem modo, ut *servare domum* puella dicitur, proprie intra domum se continens, κατάκλειστος, ex more priscae vitae: erat itaque in domo paterna unica filia et heres. Dixit *tantas sedes*, tantam sedem, domum, quia domus regia erat. (Praestat patrimonium salia amplum et laetum intelligere: sedes enim de possessionibus in usu esse constat. *R.*). — 54. *petere* solenne pro procare, ut αἰτεῖν. Bene autem ad prodigia et deorum ostentarem revocavit poëta; primum, ut totius carminis colori et indoli a religione ductae etiam haec pars conveniret; tum, ut Turnum praestantissimum adolescentem cum ratione aliqua Aeneae posthabitum narraret. Sed haud dubie fuere etiam veteres fabulae super ambobus prodigiis, quae 59-89 exponit.

59 sq. Revocandae in animum arbores et luci in impluvia veterum. Cf. IV, 491, 504. Tibull. III, 3, 15. — *Sacra comam*, frondibus intactis. *metus* pro religione, ut *horror* et similia. — 61-63. *Laurentes* dicti Aborigines, qui haec loca ad orientalem Tiberis partem incolebant, rege Latino. Inde *Laurentum*, Latini regia, eo loco situm, qui nunc *Paterno* et *Torre di Paterno* appellatur: ager eius usque ad mare ac Tiberim *Laurens* vel *Laurentinus* dictus; quod nomen interdum ad totum Latium transtulit poëta, ut modo in *Laurente Marica* vidimus. *primas arces*, cum primum urbem Laurentum conderet. Quod laurum Phoebo consecrat, ingeniose poëta adiicit, respectu ad suorum temporum religionem habito.

Obsedere apicem; et, pedibus per mutua nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum et partis petere agmen easdem
Partibus ex isdem et summa dominarier arce. 70
Praeterea, castis adolet dum altaria taedis,
Vt iuxta genitorem adstat, Lavinia virgo
Visa (nefas!) longis conprendere crinibus ignem
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalisque adcensa comas, adcensa coronam 75
Insignem gemmis; tum fumida lumine fulvo
Involvi ac totis Volcanum spargere tectis.
Id vero horrendum ac visu mirabile ferri:
Namque fore inlustrem fama fatisque canebant
Ipsam; sed populo magnum portendere bellum. 80
At rex sollicitus monstris oracula Fauni

Examen apum laurum βοτρυδὸν insidens praeclare ornavit v. 64—67. Conf. Ge. IV, 555—558. Est autem illud inter dira omina; vide vel Plin. IX, 17, 18; superstitione, ut probabile fit, ab incursus magnae multitudinis ingruentis opinione profecta — 70. *partibus ex iisdem*, a mari infero.

71—80. Prodigium hoc ex flamma petitum quotunque frequens: supra vidimus (hoc et simile quid ex electricitate, quam vocamus, explicandum. *R.*) lib. II, 680 sq. Cogita vero sacrum facere Latinum adstante filia, dum accendit ligna in altari. — 73. *nefas* de prodigio h. l., res dira et abominanda, quae praeter naturam fit; contra *fas* de naturae more et constantia. *comprendere* h. l. concipere, arripere flammam quasi ex foco ad proxima manantem. Vulgari oratione *ignis comprehendit crinem*; h. l. Lavinia *ignem comprehendit crinibus*. Verba v. 74 sunt ex Lucret. VI, 154: *Terribili sonitu flamma crepitante crematur*: de lauro. At hic visus est virginis ornatus cremari flamma: pro quo dixit *visa* est *cremari* (κατὰ) *ornatum*. — *coronam insignem gemmis*, regium insigne, v. lib. I, 655. Corona enim sacrificantis intelligi nequit: quippe quae vittis et infulis sacrisque frondibus implexa est, non gemmis ornata.

81 sqq. Fauni oraculum in luco Albuneae poëta narrat sive ex vetere memoria sive ex loci natura et fama de Sibylla Albunea rem ingeniose commentus. Scilicet in agro Tiburtino ab occasu in Anienem deferuntur Albulae aquae, sulfureae illae et medicatae; v. Cluver. Ital. pag. 715; nunc *Acqua zolfa*, vel *Solfatara di Tivoli*. Ex Albulae fluminis fontibus manior *Albunea*, fons et Nympha ex

Fatidici genitoris adit lucosque sub alta
Consulit Albunea nemorum, quae maxuma sacro
Fonte sonat saevamque exhalat opaca mephitim.
Hinc Italae gentes omnisque Oenotria tellus 85
In dubiis responsa petunt. Huc dona sacerdos

Horatio nota I Cerm. 7, 12: *domus Albuneae resonantis*; ut h. l. quae *fonte sonat*; etsi nunc, post tantas rerum vicissitudines, natura fontis et loci facies est diversa. Subiacebat autem fonti *lucus* Albuneae sacer. — 83. *alta Albunea*, fons in lacu inexploratae altitudinis; v. Cluver. l. c. — *nemorum quae maxima sacro Fonte sonat*, h. e. quae Albunea maxima, admodum magna, manat, larga aquarum vene fluit fonte suo. Sic VI, 659 plurimus amnis est, magna aquarum vi et copia profluens. *nemorum*, graece dictum, κατά, διὰ τοῦ ἄλσους, pro ἐν ἄλσει: difficiliorem dicendi modum ita constitues. Forme orationis non dissimilis illa Tibulli III, 5, 3: *Baiarum maxima silvis*, ubi cf. obss. Possis et *lucos nemorum* iungere; sed tum parum suaviter voces istae essent disiunctae; saltem collocari debebant sic: *nemorumque sub alta Consulit Albunea lucos*. Simplicissimum et optimum est coniungere *lucos nemorum*. Sic saepius iunguntur: e. c. nemoris sacri lucos tenetis ap Senec. Herc. Oet. 956. Quere interpunxi post *nemorum*. R.) Nec melius procedit, si *fonte nemorum* iungas. A sulphure aquarum exsurgit gravis odor, quem v. 84 *mephitim* appellavit. Hinc dea Mephitis, cuius aedes cum aliis locis tum in Hirpinie erat ad Amsancti vallem, v. Plin. II, 93 et inf. VII, 564, 565: ut in tutela eius fuisse videantur aquae sulfureae. Fortasse huius vaporis sulfurei vim aliquam divino spiritu afflandi esse crediderunt veteres Aborigines; quo factum esse videtur, ut oraculum in illo loco conderent. Albunea autem inter Sibyllas quoque memoratur a Tibullo II, 5, 69, 70, et Lactantio I Inst. 6, ut Suidem taceam, nec constat, utrum eadem cum Nympha habita fuerit an diversa.

85—94. Oraculum Fauni per incubationem peti solitum, ut fot alia in vetere Graecia. Fortasse poëta doctissimus ad Amphiarai (v. Pausan. I, 34) potissimum exemplum hoc Fauni oraculum assimulaverit; nam Tiburtus cum Catillo et Core infra v. 670—672 commemoratus Tiburis conditor et Amphiarai filius habitus est. v. Plin. XVI, 445, s. 87. Nec tamen video, cur non veteres Pelasgi hunc incubandi morem et in Latium una cum aliis suis religionibus intulerint. *Incubare* autem, ἐγκοιμᾶσθαι, voces propriae de iis, qui in locis sacris dormiebant ad accipienda responsa. Cf. Davis. ad Cic. de Div. I, 43 (Similis incubatio fiebat in Aesculapii templo Athenis, in cuius vicinia etiam fons fuit. Aristoph. Plut. 653 sq. cf. Paus. Attic. c. 21. Post multos egit egregie de hac incubatione F. A. Wolf. *R.*) Notatu autem dignum, quod *sacerdos* v. 86 ipse *incubuit*, et is qui consulebat; tum quod v. 91 necyomantiae speciem aliquam illud oraculum habuit. — 85. *Oenotria tellus*, latiore sensu h. l. v. lib. I,

Quum tulit et caesarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis somnosque petivit:
Multa modis simulacra videt volitantia miris
Et varias audit voces fruiturque deorum 90
Conloquio atque imis Acheronta adfatur Avernis.
Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus
Centum lanigeras mactabat rite bidentis,
Atque harum effultus tergo stratisque iacebat
Velleribus: Subita ex alto vox reddita luco est: 95
Ne pete connubis natam sociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis!
Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferent, quorumque ab stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens 100
Adspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Haec responsa patris Fauni monitusque silenti
Nocte datos non ipse suo premit ore Latinus:
Sed circum late volitans iam Fama per urbis
Ausonias tulerat, quum Laomedontia pubes 105
Gramineo ripae religavit ab aggere classem.
Aeneas primique duces et pulcer Iulus

532. — 86. *dona*, victimam, sacrificium. — 91. *Acheronta*, deos inferos et Manes, ex *im. A.* Quod 95 *ex alto luco reddita vox* est, Italicis religionibus convenit, in quibus voces ex luco auditae ut h. l. auctoritatem habebant. cf. Liv. 29, 18.

96—101. Oraculum multa cum verborum dignitate expositum est. Ad dignitatem quoque facit multitudinis numerus pro unitate. *connubia, thalami, externi generi* (*Connubis* scribendum est: sunt enim tres syllabae. cf. I, 73. Sic etiam Catull. 62, 57. Infra VII, 333. *R.*) Omnia *sub pedibus vertique regique videbunt* h. e. esse; simplicius dictum erat Ecl. V, 57: *sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.* — *Sol recurrens*, oriens et occidens.

107 sqq. Sequitur eventus vaticinii de mensis comesis, v. sup. III, 255—258. Observandum autem, quantam verborum dignitatem rei tenui et levi adiecerit poëta vitatis verbis propriis, quae exiliora erant pro carmine, v. c. panis. — *adorea liba*, placentae, proprie de farre, quae pro panibus erant priscis hominibus, antequam fermento et meliore panis coquendi arte uterentur. Haec liba nunc mensarum vicem praestant, quibus *epu-*

Corpora sub ramis deponunt arboris altae
Instituuntque dapes et adorea liba per herbam
Subiiciunt epulis (sic Iupiter ille monebat) 110
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumtis hic forte aliis ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti patulis nec parcere quadris; 115
Heus! etiam mensas consumimus? inquit Iulus
Nec plura adludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater ac stupefactus numine pressit;
Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus, 120
Vosque, ait, o fidi Troiae salvete Penates!

las, cibos, imponunt, poma agrestia. *sic Iupiter monebat*, animis, ut ita facerent, subiiciebat. Eadem liba mox *Cereale solum*, quatenus substernuntur pomis: hoc *augent* Troiani *pomis*, imposita pomorum strue (ut *augentur*, cumulantur, *arae donit*); eadem paullo post *exigua Ceres, orbis fatalis crusti et patulae quadrae*; cf. Moretum v. 46, 47; mox *penuria edendi* est penuria ciborum; *violare* eo refert Cerda, quod mensa inter res sacras habebatur. Potest ferri; potest etiam huc advocari locus ex Sext. Aurelio Vict. O. G. R. 10: *consumtoque quod fuerat cibi crustam etiam de farreis mensis*, quas sacratas secum habebat, *comedisse*, secundum quae fuisse videntur, qui liba sacra diis penatibus offerri solita in hac fabula memoraverint; cf. ibid. c. 11. In poëtica tamen oratione *violare* h. l. ut *laedere*, omnino esse potest frangere, comminuere.

116—129. Bene certo homini et maxime Iulo partes dicentis dat; etsi inter cetera hoc quoque traditum accipere potuit. *alludens*, arridens, subridens, aut simpl. ludens, iocans, ad socios. — 118. *tulit*, attulit, *finem*, significavit Troianis finem adesse. Sed vaticinia (adeo perturbatae sunt hominum notiones) dicuntur efficere ea, quae monent futura esse, multo magis tum, cum exitum habent. — 119. *Eripuit* simpliciter dicti, quod subiicit Aeneas, celeritatem declarat; excepit, *ac pressit*, vocem Ascanii repressit eumque loquentem interpellavit. *stupefactus numine*, h. e. oraculo, ut iam alias, cf. II, 703, vidimus. — 121. *o fidi Troiae salvete Penates!* Haec perpetua est Aeneae religio, ut Penates primo loco appellet. Promiserant tamen et illi, unde *fidi Penates*, per somnum Aeneam Italiam esse aditurum lib. III, 147, 162, 167: *Haec nobis propriae sedes; hinc Dardanus ortus* etc., unde nunc v. 122: *Hic domus, haec patria est* vestra, unde olim Troiam estis advecti. Tum *Genitor mihi talia* etc.

Hic domus, haec patria est. Genitor mihi talia (namque
Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit:
Quum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Adcisis coget dapibus consumere mensas, 125
Tum sperare domos defessus ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Haec erat illa fames; haec nos suprema manebat
Exitiis positura modum.
Quare agite et primo laeti cum lumine solis, 130
Quae loca quive habeant homines, ubi moenia gentis,
Vestigemus et a portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Iovi precibusque vocate
Anchisen genitorem et vina reponite mensis.

Tribui h. l. Anchisae vaticinium supra a Celaeno; Harpyiarum una, acceptum (III, 255 sqq.), mox ab Heleno confirmatum (lib. III, 394) omnes Intpp. monent. At varia ad interpretandum et excusandum afferri possunt: Anchisae omnino partes vaticiniorum interpretandorum dantur a poëta et ab aliis; igitur is Celaenus quoque verba disertius exposuit et saepe in ore habuit atque ad animum revocavit. Alii ad ea referre volunt, quae Anchisen natum in locis inferis docent lib. VI, 891, 892, 893. Omnino necesse non erat, ut, quaecunque ab Anchise dicta acceperat Aeneas, iam ante memorarentur a poëta (Locis laudd. III, 255 sq. 394 sqq. recte inspectis facile intellectu est Anchisen fatorum ibi fuisse interpretem, ideoque eum oraculis recte explicatis bene dici *fatorum arcana* explicata Aeneae reliquisse. Nemo h. l. excusationem poëtae recte intellecti desideraverit. *R.*) — 125. *accisis dapibus*, exquisite, pro consumtis. *moliri aggere tecta*, ornate, urbem aedificare, quod fit vallo ducto. — 129. *exitiis*, autumnis, ut οἶτος, λοιγός, *clades*, graviora pro levioribus.

133 sqq. Exspectabas hoc ab Aenea, religioso homine, ut a religione initium faceret, in primis cum hoc sollenne sit, ut preces et sacra faciant cum omine accepto, tum excursu vel aditu in locum optatum facto. Conf. in primis Odyss. ν, 353 sqq. Anchisen a filio consecratum Lactant. I Inst. 15, 12 ex h. l. 133, 134 probat. Factum id iam lib. V, 58 sq. vidimus. — 134. *reponite* pro apponite, ponite, poëtica ratione, cf. III, 333 not.: ut Ge. IV, 378, et *pateras* libare magis poëticum, quam vinum. In precibus, quae v. 136 sequuntur, augustam religionem faciunt et veneration em movent nomina deorum ex antiquiore religione desumta, qua naturam, naturae partes, vires et elementa fere in precum, foederum vel iurium iurandorum formulis ponunt, ut toi Homeri, Apollonii, nam et is veteres religiones sectatur, Pindari (P. IV, 343 sq.),

Sic deinde effatus frondenti tempora ramo 135
Inplicat et Geniumque loci primamque deorum
Tellurem Nymphasque et adhuc ignota precatur
Flumina; tum Noctem Noctisque orientia signa,
Idaeumque Iovem Phrygiamque ex ordine Matrem
Invocat et duplicis Coeloque Ereboque parentes. 140
Hic pater omnipotens ter coelo clarus ab alto
Intonuit, radiisque ardentem lucis et auro
Ipse manu quatiens ostendit ab aethere nubem.
Diditur hic subito Troiana per agmina rumor,
Advenisse diem, quo debita moenia condant; 145
Certatim instaurant epulas atque omine magno
Crateras laeti statuunt et vina coronant.
Postea quum prima lustrabat lampade terras
Orta dies, urbem et finis et litora gentis
Diversi explorant; haec fontis stagna Numici, 150
Hunc Thybrim fluvium, hic fortis habitare Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni

Aeschyli et ceterorum Tragicorum, etiam Herodoti loca docent. In v. 139 domestica numina subiicit, *ex ordine*, ἐφεξῆς, deinceps, ut iam Ge. IV, 507 vidimus. v. 140, *duplices Coeloque Ereboque parentes*, utrumque parentem, Venerem inter deos, Anchisen inter Manes.

141—147. Augurium laetum, tonitru coelo sereno, ex nube cerusca, quam *ardentem* dixit. *radiis lucis aureae*. Hoc v. 146 *omen magnum*, quo laeti iterum libationem faciunt et potant. De v. 147 *vina coronant* cf. sup. I, 724 not.

148—151. *diversi*, secundum illa v. 132: *a portu diversa petamus*. Hinc igitur ad Tiberim, illinc ad Numicium usque procurrunt, habitari loca a Latinis resciscunt. Numicii *fontis stagna* seu ornate pro fonte dicta, seu quod tardo se tacito motu amnis ferebatur, ulva ipse et limo obsitus, ut ex Ovid. XIV Met. 598, 599 intelligitur. Fluctuant de eius loco virorum doctorum iudicia, nisi forte totus fluvius nunc exaruit. Ceterum ab hoc inde loco observandum, quomodo in summa rerum et hominum tenuitate legationem missam et exceptam ornaverit et ad dignitatem miram extulerit partim rerum descriptionibus et adiunctis, partim verbis amplioribus.

152—156. *delectos ordine ab omni*, ex omnibus ordinibus; non est urgendum. — *ramis velatos Palladis*. ἱκετηρίας, frondes oleagineas vittatas manibus praeferre putandi sunt, unde inf. v. 236, 237, *ne temne, quod ultro Praeferimus manibus vittas ac verba precantia*. Res ipsa satis nota; conf.

Centum oratores augusta ad moenia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes;
Donaque ferre viro pacemque exposcere Teucris. 155
Haud mora: festinant iussi rapidisque feruntur
Passibus. Ipse humili designat moenia fossa
Moliturque locum; primasque in litore sedes
Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.
Iamque iter emensi turres ac tecta Latinorum 160
Ardua cernebant iuvenes muroque subibant.
Ante urbem pueri et primaevo flore iuventus
Exercentur equis domitantque in pulvere currus;
Aut acris tendunt arcus aut lenta lacertis
Spicula contorquent cursuque ictuque lacessunt; 165
Quum praevectus equo longaevi regis ad auris

inf. VIII, 116. 128. XI, 101. 332; et apud Graecos v. c. Sophocl. Oed. 1. 3: ἱκτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι: sed de modo loquendi quaerat aliquis. Scilicet *velari* ex στέφεσθαι proprie de corollis et vittis (v. ad V, 72), quae ambiunt ideoque tegunt frontem, tempora. Transtulit hoc poëta ad ramos vittis et infulis obvolutos, qui praeferebantur a supplicibus et tenebantur manibus. Sed infulis et vittis dependentibus a ramo manus ipsae obtegebantur, unde *manus velatae;* et dicta hinc *velamenta*, ipsi rami vittati. Igitur *velati ramis*, habentes ramos vittatos manibus. *pacem*, foedus et amicitiam, ut ad alibi.

157—159. Castrum hoc Troiae est seu *Troia nova* Tiberim praecingens; ita ut moenia ad amnem pertinerent: IX, 469, *nam dextera cingitur amni*, adstantibus subductisque a tergo navibus; IX, 68 sq. a sinistra campus mare prospiciens IX, 238 et ad mare pertinens; in quo infra lib. IX. Rutulos, qui castra oppugnant, consistere videbimus: vs. 468. cf. ad IX, 195. *molitur locum*, exquisite poëtico more pro moliri tecta in loco h. e. exstruere, ut sup. v. 127 et 290 dictum erat. *primas sedes*, int. in prima litoris parte: mox *pinnas* pro muris et *aggerem* pro vallo, quod fossam ab interiore parte ambit, dixit.

160—165. Laurentum missa legatio. Non modo Romanae militiae more, quod Servius putat, sed Graeco quoque et omnino priscae vitae ritu, ut in loco Hesiodi (Scut. 285, 286), ante urbem in campis exercet se cursu ac ludit armis iuventus urbana. Poëta autem eo more egregie usus est ad narrationis suavitatem. *domitant currus* pro equis iugalibus, ut alibi hi pro illis: noto poëtarum more. Mox *spicula*, int. iacula et epitheton *lenta* ad materiem refer, flexibilia. *lacessunt*, exquisite pro contendunt, certant: quandoquidem provocant se et lacessunt, qui pugnant.

Nuntius ingentis ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Vrbe fuit summa, Laurentis regia Pici, 171
Horrendum silvis et religione parentum.
Hic sceptra adcipere et primos adtollere fascis
Regibus omen erat; hoc illis curia templum,
Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso 175
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italusque paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,

170—176. *Pici* haec *regia* in arce Laurenti pro *curia* et *templo* erat Latinis, diversa utique a Latini regia v. 59 sq. descripta et improprie nunc vs. 171 *regia* dicta, h. e. aedificium magnificum. Quid quod iuncta haec esse solebant, ut in Palatio Augusti erat templum Apollinis Palatini. Imitatus locum est multo cum verborum tumore Seneca Thyest. v. 641 ad 664. — *urbe summa*, ἐν πόλει ἀκροτάτῃ, ut Il. χ, 172, h. e. ἐν ἀκροπόλει. Circa aedem illam lucus erat (v. 172), more veterum in templis et in principum aedibus. Alterum hoc ex lib. II, 299, 300 de Anchisae domo meminimus. — 173, 174. Hic regnum auspicari solebant reges. *omen* egregie pro more, cui bonum omen inerat, ut maiorum fortuna sequeretur regnum auspicantem. Auspicia regni a sumtis regni insignibus declarat. *attollere fasces* pro eo, quod sequitur, ut praeferantur novo regi. — 175, 176. Multa docte comminiscl licet in h. l. interpretando. Sed sequi praestat id, quod simplicissimum est. Est hoc templum pro prytaneo, curia aut simili aede publica, in qua sacrificia publica cum epulis sacrorum habentur. *ariete caeso*, proprio aliquo Latinorum more delecta victima epulae sacrae instituuntur; quia publicum fit sacrificium, confluunt primores gentis iique epulis excepti sedent *mensis perpetuis*, h. e. longa et multum procurrente mensa; ut *perpetuum tergum* et alia.

177-182. Etiam haec signa in vestibulo collocata sunt, ut in curia vel templo mos erat in aditu et porticu signa inter columnas ponere. Italus et Sabinus h. l. inter Latini maiores memorantur post illa, quae v. 45-49 edixerat poëta, tamquam agnatione iuncti. *Sabinus* Sabinorum gentis, quae Ausonum vetustissima fuit, auctor. *Italus* proprie ad Oenotrios in extrema Italiae parte spectavit: de quibus cf. ad I, 532. Antiquitatis genium exhibet etiam in materia *cedro*; nam vetustiora signa lignea erant vel fictilia. *Vitisator... falcem*: etsi Saturnus fere cum falce exprimitur;

Saturnusque senex Ianique bifrontis imago, 180
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges
Martiaque ob patriam pugnando volnera passi.
Multaque praeterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus curvaeque secures
Et cristae capitum et portarum ingentia claustra 185
Spiculaque clipeique ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Subcinctus trabea laevaque ancile gerebat

ex sermonis tamen rationibus haud dubie ad Sabinum spectant haec, quem nobis poëta ex prisca aliqua eruditione declarat vicearum colendarum auctorem fuisse: sub signo fortasse ad hermae morem in stipitem desinente *falx*, puta ad amputandas frondes (v. Ovid. Met. XIV, 628. 631 et 649), adiecta; qua specie Silvani heroinae occuparunt. Vocem *vitisator* ex Accio petiit, in cuius fragmentis ap. Macrob. VI, 5 occurrit: *O Dionyse, pater optime, vitisator, Semela genitus, Evie*, ut bene Vossius legit. *aliique ab origine reges*, h. e. prisci. Molestum est, quod cum Servio spectari Aboriginum nomen volunt.

183-186. Haec veterem donariorum et ἀναθημάτων in templis ritum referre facile intelligitur: hoc tamen loco, ut sup. II, 504, respiciuntur maxime *antefixa*, i. e. fictilia signa quadrigarum, spoliorum, armorum in foribus templorum et fastigiis, post haec etiam in aditu domus triumphantium. Alterum genus hoc passim memoratum a poëtis; Tibull. I, 154: *Vt domus hostiles praeferat exuvias.* Propert. III, 7, 26: *Atque onerare tuam fixa per arma domum.* v. Not. ad utrumque locum. Ad antefixa templorum spectat locus Maronis cum aliis a Cerda congestis. Videntur eo nomine ipsa signa deorum in fastigiis comprehensa esse, ut ap. Livium XXXIV, 4, *antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes*: adde XXVI, 23; proprie tamen sunt diversa. Sed praestat imitationem cognoscere Statii lib. VII Theb. 55-59 et Silii I, 647 sqq. *currus*: cogitandum est de forma curruum bellicorum priscae aetatis parvorum et humilium. *rostra* v. 186 subijcit, fortasse ex navibus λεστρικοῖς in litore.

187-191. Inter signa veterum heroum Pici in primis statua conspicua. Erat is e Latini maioribus; ac fortasse eius signum non infrequens illa aetate occurrerat Virgilio. Statua erat sedentis habitu. Fortasse etiam regiam condidisse dictus erat: sup. 171 *Laurentis regia Pici.* Prisca aliqua gravitas imagini inest; trabeatus est Picus, qui veterum regum erat habitus (cf. Plin. IX, 39, s. 63), quo Romulum quoque conspicuum narrant (*trabeatum Quirinum* vocat Ovidius Met. XIV, 828 et al.), cum *lituo* (ut ideo augurali scientia clarum fuisse necesse sit) et prisco armorum genere *ancili*. — *succinctus trabea et lituo*, nota forma, qua verbum binis adaptatur, cum de altero tantum proprie dicatur; lituo *instructus* saltem

Picus, equum domitor: quem capta cupidine coniunx
Aurea percussum virga versumque venenis 190
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divom patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit;
Atque haec ingressis placido prior edidit ore:
Dicite, Dardanidae (neque enim nescimus et urbem
Et genus, auditique advertitis aequore cursum) 196
Quid petitis? quae caussa rates aut cuius egentes
Litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?
Sive errore viae seu tempestatibus acti,
Qualia multa mari nautae patiuntur in alto, 200
Fluminis intrastis ripas portuque sedetis;
Ne fugite hospitium neve ignorate Latinos
Saturni gentem haud vinclo nec legibus aequam,

erat vel *insignis*, *conspicuus*. Indoctae sunt Gellii V, 8 et inde repetitae a Macrob. VI, 8 argutiae de h. l. *Quirinalem lituum* ornate dixit, quo Romulus aliquando usus est, in primis in urbe condenda: augurandi scientia ille excellebat. Conf. Plutarch. in Romulo p. 31 E. et Serv. *Picus equum domitor:* Homericum ἱπποδάμας. Eius mutationem in picum exponit Ovid. Met. XIV, 320 sqq. *coniunx* h. l. amans, ut et alibi vidimus Ecl. VIII, 18. Nam Circe, cum amorem suum ab eo spretum vidisset, in picum seu picumnum avem eum mutavit, quae priscis Italis inter sacras et augurales aves fuit. Mox v. 192 *templum* est ipsa illa curia iode a v. 170 descripta. Excepti legati in templo ex more; ut Romae plerumque factum; et sic sup. a Didone I, 505.

195-214. Simplicitate et proprietate commendabilis oratio, ut altera Iliooei fide et probabilitate cum gravitate. *auditique advertitis aequore cursum*, eleganter pro: noti estis. Sequentia v. 196 sqq. iis similia, quae apud Homerum occurrunt Odyss. γ, 71 sqq. ι, 252 sqq., sed λῃστρικῆς mentionem bene omisit Maro pro suo aevo. — 200. *qualia multa*; sic apud Homer. et alios οἷά τε πολλά (Sic Sophocl. Phil. 306. — πολλὰ γὰρ τάδε ἐν τῷ μακρῷ γένοιτ' ἀνθρώπων χρόνῳ. R.). v. 204 ornate, pro: huc pervenistis. *portum* simpl. de appulsus loco et statione accipe. — 202, 203. Dicta sunt secundum hos versus illa Ovidii Met. I, 89 de aurea *aetate*: *Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo, Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat. Poena metusque aberant.* Itaque Latini *iusti* nec necessitate ulla nec legibus, sed *tenent se*, continent se, moderate et iuste vivunt, sponte sua et more h. e. institutis ac moribus a Saturno sancitis. Ita *se tenent*, qui se coërcent, intra fines, praescriptum, legem, morem subsistunt. — 205.

Sponte sua veterisque dei se more tenentem.
Atque equidem memini (fama est obscurior annis) 205
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbis
Threïciamque Samum, quae nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia coeli 210
Adcipit et numerum divorum altaribus addit.
Dixerat. Et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiems vestris succedere terris,
Nec sidus regione viae litusve fefellit; 215
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Adferimur pulsi regnis, quae maxuma quondam
Extremo veniens Sol adspiciebat Olympo.

Longo tempore obscurata est fama, ut a paucis senibus adhuc teneatur eius rei memoria. *Auruncos* dixit tamquam communis cum Aboriginibus stirpis homines; affert tamen vel sic antiquitatis notionem animis ipsum nomen. De Dardani ex Tyrrhenis originibus v. sup. ad lib. III, 167 sqq. E pluribus de Dardano mythis poeta utitur hoc, eum e Tyrrhenis profectum Samothraciam inde Troadem obtinuisse. *his agris*, paullo latius dictum: nam Dardanus ex Corythio seu Cortona Etruriae oriundus ferebatur; *urbes Phrygiae* memoravit; h. e. loca ad incolendum idonea et a Teucro passim inhabitata, sub Idam; nam proprie dictae urbes tum in regione ea nullae erant. — 210, 211. *hinc*, ex hac urbe ille oriundus pro deo nunc colitur. — *stellantis* ex ἀστεροεὶς οὐρανός, quod Homericum est. — coelum *accipit*, pro vulgari accepit ideoque pro habet, poëtico more, et *addit*, eo recepto inter deos, *numerum altaribus deorum*, h. e. aram in eius honorem exstructam cumque ea templum; quo ipso novum sacrum adiicitur prioribus, h. e. conditur et instituitur. Vulgare est, *augere numerum deorum*; ut in Ciri 202 venit *cognatos augens reges numerumque suorum Ciris*. Pro hoc dictum: augere numerum altarium; et pro augere, *addere numerum altaribus deorum*.

212-227. Ilioneus etiam lib I, 521 ad Didonem verba facit. — 215. *sidus* pro tempestate; *litus fefellit*, ignoratio litorum ac terrarum, *regione viae*, linea viae, pro simplici: via et navigatione instituenda ac regenda. Variavit verba versus 199: *Sive errore viae seu tempestatibus acti*. Illud *regio viae* iam aute Virgilium frequentavit Lucretius lib. II, 249: *sed nihil omnino* recta regione viai *declinare, quis est, qui possit cernere*

Ab Iove principium generis; Iove Dardana pubes
Gaudet avo. Rex ipse, Iovis de gente suprema, 220
Troius Aeneas tua nos ad limina misit.
Quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos; quibus actus uterque
Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis,
Audiit et, si quem tellus extrema refuso 225
Submovet Oceano, et, si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per aequora vecti
Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores, nec vestra feretur 231
Fama levis tantive abolescet gratia facti,

sese? item lib. I, 1040. Et sup. Aen. II, 737: *et nota excedo regione viarum*. *Adferimur* pro exiliore, accedimus. In sqq. 216 sqq. multum dignitatis inest et magnifica oratio, in primis v. 222 sqq. Troiano bello per *tempestatem* adumbrato; unde v. 228 *diluvium* pro excidio et vastitate. Iovis f. Dardanus v. II. v, 215. — 220. *de gente suprema*. Ennianum laudatur ex Ann. V *nomine Purrhus, uti memorant, a stirpe supremo*, de prima origine et stirpis exortu a Iove. — 223. *quibus fatis* pro successu rerum et eventu fatali; et *acti* h. l. est vexati, calamitatibus afflicti. — 225, 226, 227 ornate pro omnibus gentibus. *si quem summovet dirimit* separat simpl. de habitatione in loco longinquo et remoto: et poëtico more signate extremas terrarum oras ad Oceanum et deserta Libyae nominat. — *refusum Oceanum*, qui de aestu et recessu maris proprie dicitur; accipies simpliciter diffusum late et extentum. Sunt enim *tellus extrema refuso Oceano* fines terrarum, quos ambit Oceanus, qui etiam Homero ἀψόῤῥος Ὠκεανός Il. σ, 399 et al., quatenus amnis instar terrarum orbem ille includit. — *plaga solis iniqui*, zona torrida nimis magno, infesto solis aestu, *extenta*, patens propter camporum arenas, *in medio quatuor plagarum, zonarum*.

228, 229, 230 sqq. Magna suavitas in extenuatione eius, quod petunt (*pia et verecunda petitio* bene ait Servius), tum in sui commendatione modestà ac gravi. *Dis patriis* a religione Penatium praeclare facit initium ad movendos animos. *feretur* pro tenui voc. *erit*. *Troiam* magnacum vi pro Troianis, ut toties *Troiam, Ilium, in Italiam inferri* vidimus. In v. 235 *Fides* ad foedera spectat, in quibus servandis et exsequendis constantia et strenuo fortique animo ac manu opus est. Simile saltem est, quod Cicero VII ad Div. 5 *manum tuam istam* (ad Caesarem scripta epistola) *et victoria et fide praestantem* dixit. — 237. Lau-

Sponte sua veterisque dei se more tenentem.
Atque equidem memini (fama est obscurior annis) 205
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbis
Threïciamque Samum, quae nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia coeli 210
Adcipit et numerum divorum altaribus addit.
Dixerat. Et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiems vestris succedere terris,
Nec sidus regione viae litusve fefellit; 215
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Adferimur pulsi regnis, quae maxuma quondam
Extremo veniens Sol adspiciebat Olympo.

Longo tempore obscurata est fama, ut a paucis senibus adhuc teneatur eius rei memoria. *Auruncos* dixit tamquam communis cum Aborigineis stirpis homines; affert tamen vel sic antiquitatis notionem animis ipsum nomen. De Dardani ex Tyrrhenia originibus v. sup. ad lib. III, 167 sqq. E pluribus de Dardano mythis poëta utitur hoc, eum e Tyrrhenis profectum Samothraciam inde Troadem obtinuisse. *his agris*, paullo latius dictum: nam Dardanus ex Corytho seu Cortona Etruriae oriundus ferebatur; *urbes Phrygiae* memoravit; h. e. loca ad incolandum idonea et a Teucro passim inhabitata, sub Idam; nam proprie dictae urbes tum in regione ea nullae erant. — 210, 211. *hinc*, ex hac urbe ille oriundus pro deo nunc colitur. — *stellantis* ex ἀστεροεὶς οὐρανός, quod Homericum est. — coelum *accipit*, pro vulgari accepit ideoque pro habet, poëtico more, et *addit*, eo recepto inter deos, *numerum altaribus deorum*, h. e. aram in eius honorem exstructam cumque ea templum; quo ipso novum sacrum adiicitur prioribus, h. e. conditur et instituitur. Vulgare est, *augere numerum deorum*; ut in Ciri 202 venit *cognatos augens reges numerumque suorum Ciris*. Pro hoc dictum: augere numerum altarium; et pro augere, *addere numerum altaribus deorum*.

212-227. Ilioneus etiam lib I, 524 ad Didonem verba facit. — 215. *sidus* pro tempestate; *litus fefellit*, ignoratio litorum ac terrarum, *ratione viae*, linea viae, pro simplici: via et navigatione instituenda ac regenda. Variavit verba versus 199: *Sive errore viae seu tempestatibus acti*. Illud *regio viae* iam ante Virgilium frequentavit Lucretius lib. II, 249: *sed nihil omnino recta regione viai declinare, quis est, qui possit cernere*

Ab Iove principium generis; Iove Dardana pubes
Gaudet avo. Rex ipse, Iovis de gente suprema, 220
Troïus Aeneas tua nos ad limina misit.
Quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos; quibus actus uterque
Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis,
Audiit et, si quem tellus extrema refuso 225
Submovet Oceano, et, si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per aequora vecti
Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores, nec vestra feretur 231
Fama levis tantive abolescet gratia facti,

sese? item lib. I, 1040. Et sup. Aen. II, 737: *et nota excedo regione viarum. Adferimur* pro exiliore accedimus. In sqq. 216 sqq. multum dignitatis inest et magnifica oratio, in primis v. 222 sqq. Troiano bello per *tempestatem* adumbrato; unde v. 228 *diluvium* pro exridio et vastitate. Iovis f. Dardanus v. Il. v, 215. — 220. *de gente suprema.* Ennisnum laudatur ex Ann. V *nomine Purrhus, uti memorant, a stirpe supremo*, de prima origine et stirpis exortu a Iove. — 223. *quibus fatis* pro successu rerum et eventu fatali; et *acti* h. l. est vexati, calamitatibus afflicti. — 225, 226, 227 ornate pro omnibus gentibus. *si quem summovet dirimit* separat simpl. de habitatione in loco longinquo et remoto: et poëtico more signate extremas terrarum oras ad Oceanum et deserta Libyae nominat. — *refusum Oceanum*, qui de aestu et recessu maris proprie dicitur, accipies simpliciter diffusum late et extentum. Sunt enim *tellus extrema refuso Oceano* fines terrarum, quos ambit Oceanus, qui etiam Homero ἀψόῤῥος Ὠκεανός Il. σ, 399 et al., quatenus amnis instar terrarum orbem ille includit. — *plaga solis iniqui*, zona torrida nimis magno, infesto solis aestu, *extenta*, patens propter ramporum arenas, *in medio quatuor plagarum, zonarum.*

228, 229, 230 sqq. Magna suavitas in extenuatione eius, quod petunt (*pia et verecunda petitio* bene ait Servius), tum in sui commendatione modestà ac gravi. *Dis patriis* a religione Penatium praeclare facit initium ad movendos animos. *feretur* pro tenui voc. *erit. Troiam* magnarum vi pro Troianis, ut toties *Troiam, Ilium, in Italiam inferri* vidimus. In v. 235 *Fides* ad foedera spectat, in quibus servandis et exsequendis constantia et strenuo fortique animo ac manu opus est. Simile saltem est, quod Cicero VII ad Div. 5 *manum tuam istam* (ad Caesarem scripta epistola) *et victoria et fide praestantem* dixit. — 237. Lau-

Nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Aeneae iuro dextramque potentem,
Sive fide seu quis bello est expertus et armis; 235
Multi nos populi, multae (ne temne, quod ultro
Praeferimus manibus vittas ac verba precantia)
Et petiere sibi et voluere adiungere gentes;
Sed nos fata deum vestras exquirere terras.
Imperiis egere suis. Hinc Dardanus ortus 240
Huc repetit, iussisque ingentibus urguet Apollo
Tyrrhenum ad Thybrim et fontis vada sacra Numici.
Dat tibi praeterea Fortunae parva prioris
Munera, reliquias Troia ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras; 245
Hoc Priami gestamen erat, quum iura vocatis
More daret populis, sceptrumque sacerque tiaras

dant omnes notum illud ex Il. α, 14: Στέμματ' ἔχων ἐν χερσί. De re cf. sup. v. 154. —240. *imperia deorum* sunt monita, quod iam alibi vidimus, ut mox *iussa*. *Huc repetit* ad Dardanum referunt Intpp. post Turnebum: in hanc nos terram, unde orti sumus, revocat Dardanus et quasi vindicat; neque aliter Donatus. Atqui hoc durum est et ignavum; multo deterior Servii ratio, ut Dardanus nunc Aeneas sit. Saltem Apollo is esse debet, qui *repetit* Troianos *huc*, in hanc terram retrahit, revocat, Italiam repetere iubet et urget ad Tiberim, h. e. retrahit, adire iubet; ideoque interpungendum: *Hinc Dardanus ortus; Huc repetit iussisque ingentibus urguet Apollo*. Etsi et hoc durum: *Apollo repetit huc.... et urget ad Thybrim*. Locum laborare suspicor (Donati explicatio haud dubie optima est, nec quidquam duri et ignavi invenire licet. Tum hereditatis iure, quod Dardanus nobis reliquit, tum Apollinis iussis, ait, huc pervenimus. Omnia bona et sana sunt. *R.*) *Numicium* v. ad 150. Ponit, ut poëta, fluvium ad designandam terram. Nota ratio; sed in Numicii tamquam sacri fluminis notione religio aliqua inest.

243—249. *Dat* quis? Aeneas ex v. 221. Dona commendat iterum a personis, quod alibi vidimus poëtam decere; cf. I, 647 sqq. — 245. Craterem vel pateram designat. Virtutem habet oratio, quod δραματικῶς s. dramatice res repraesentatur, non facta narratur. *Hoc Priami gestamen erat*: cum his verbis sceptrum tradere putandus est, quod proprie inter gestamina est: nam Servium diadema interpretantem quis audiat? mox tamen adiunxit alia, quae proprie gestari non dicuntur, sed ornant tamen, *tiaram* et *vestes* pictas. Summam subtilitatem in his sequi poëta noluit. — 246, 247. *iura daret*: v. sup. I, 507. Ius dicere praecipuum munus veterum regum fuisse notum est; itaque ab

Iliadumque labor vestes.
Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora soloque inmobilis haeret, 250
Intentos volvens oculos. Nec purpura regem
Picta movet nec sceptra movent Priameïa tantum,
Quantum in connubio natae thalamoque moratur:
Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.
Hunc illum fatis externa ab sede profectum 255
Portendi generum paribusque in regna vocari
Auspiciis; huic progeniem virtute futuram
Egregiam et totum quae viribus occupet orbem.
Tandem laetus ait: Di nostra incepta secundent
Auguriumque suum! Dabitur, Troiane, quod optas;
Munera nec sperno. Non vobis, rege Latino, 261
Divitis uber agri Troiaeve opulentia deerit.
Ipse modo Aeneas, nostri si tanta cupido est,
Si iungi hospitio properat sociusque vocari,
Adveniat voltus neve exhorrescat amicos. 265
Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

hoc munere eorum dignitas declarari solet. Sedent autem ius dicturi cum sceptro; res ex Homero satis obvia. *tiaras* improprie, nempe Phrygum pileus, quem aliis locis *mitram* dixit. V. sup. IV, 216. Conf. inf. IX, 616. *sacer* tantum ad venerationem Priami valere videtur, ut angustum significet ornatum. *Vestes* autem sunt *Phrygiae* vulgo dictae, a Trojanis mulieribus acu pictae, ἔργα γυναικῶν. Mox eadem *purpura picta*.

249—258. In primo versu Iliad. γ, 217 de Ulysse verba faciente expressum esse volunt; nimis docte. Communis is est oris habitus eorum, qui stant vel sedent cogitabundi. Ita inf. v. 291, cf. sup. I, 226, 228. — 254. *Fauni sortem* v. sup. v. 95 sqq. — 256. *paribus auspiciis*, communicato regno. Vide inf. XII, 190, 191. Sic IV, 102: *Communem hunc ergo populum paribusque regabimus Auspiciis.* — 258. *quae viribus* h. e fortitudine et virtute bellica, ut sit βίηφιν Homericum; sane sic et alterum, ut pro imperio dictum sit.

259—267. *Auguriumque suum* h. e. sortem, Fauni oraculum. *Munera nec sperno*, pro lubens accipin; ut saepe, *uber agri*, ubertas, h. e. agri uberes; abstractum pro concreto; v. sup. Aen. I, 534. — 266. *pacis*, foederis, et *tyranni* regis, cf. IV, 320, utrumque docte dixit, ut poeta. *Pars* erit pro signo, pignore.

Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro gentis quam iungere nostrae
Non patrio ex adyto sortes, non plurima coelo
Monstra sinunt: generos externis adfore ab oris. 270
Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. Hunc illum poscere fata
Et reor et, si quid veri mens augurat, opto.
Haec effatus equos numero pater eligit omni.
Stabant ter centum nitidi in praesepibus altis. 275
Omnibus extemplo Teucris iubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis
(Aurea pectoribus demissa monilia pendent;
Tecti auro fulvum mandunt sub dentibus aurum),
Absenti Aeneae currum geminosque iugalis, 280
Semine ab aetherio, spirantis naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos daedala Circe.

268—273. Heroicae vitae mores ita ferre, ut virorum fortium nuptias orent aut filiae aut patres, iam Servius notavit. Exemplum illustre Alcinoi Odyss. η, 311 sqq. *plurima coelo monstra*, ostenta divinitus missa. Sunt quae vss. 58 sq. 71 sq. exposita sunt. — 271. *Hoc Latio restare*, verba in medio posita puta, Latinos manere hanc fortunam, ut gener filiae meae advena sit. — 273. *Et reor et opto, si quid veri mens augurat. Opto* h. l. nihil aliud est, quam: eligo, amplectior, generum probo, quia eum fato esse destinatum auguror.

276—285. Vt dignitatem rebus per se exilibus addere posset, omnia in maius aucta et amplificata apponit, dissimillimam in hoc rationem sequutus, quam Homerus; quia alio aevo, aliis hominibus carmen suum commendatum ibat. Itaque alter rerum veritate placet, alter dignitate, gravitate ac splendore. — 276. *ordine*, deinceps, omnibus et singulis; sic v. 139. Erant oratores centum: sup. 153. — *ostro pictisque tapetis* h. e. vestibus stragulis purpureis auro intextis vel acu *pictis*: unde mox *tecti auro* equi: habet hoc ex Homero, in quo τάπητες πορφύρεοι inter munera Il. ω, 230. *Monilia* non tam ex unionibus ac gemmis, quam omnino torques aurei vel phalerae intelligendae. Neque Orientis fastum in hoc adoptasse putandus est poëta; verius ex antiquae Italiae vel Etruriae luxu rem petiit. Nam monilium et torquium inter Etruscos frequentissimum usum fuisse docent Etrusca monumenta. Mox *aurum sub dentibus* quis non videt esse frena? — 280 sqq. Aeneae mittit equos, quorum genus adumbratum est ex Il. ε, 265 sqq.; ubi equis a Iove Troï donatis Anchises submiserat equas; nunc Circe, ingeniosa Solis filia, cui in fabulis Italicis proprius aliquis locus est, uni equorum patris submisit

Subposita de matre nothos furata creavit.
Talibus Aeneadae donis dictisque Latini
Sublimes in equis redeunt pacemque reportant. 285
Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
Saeva Iovis coniunx aurasque invecta tenebat;
Et laetum Aeneam classemque ex aethere longo
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.
Moliri iam tecta videt, iam fidere terrae; 290
Deseruisse rates. Stetit acri fixa dolore.
Tum quassans caput haec effundit pectore dicta:
Heu stirpem invisam et fatis contraria nostris
Fata Phrygum! Num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuere capi? num incensa cremavit 295

mortalem equam, hinc *nothos furata creavit*, hoc est, furtim susceptam progeniem, pullum, nacta est. Nihil autem in poëtarum fabulis nobilius est Solis equis. *Sublimes in equis* 285 iungenda; ut saepe dictum; et *donis dictisque*, ut Graeci poëtae, absolute, pro: post ea dicta, cum his donis.

286 sqq. Nova περιπέτεια et rerum conversio inexspectata, cum iam sedibus in Italia captis ad eventum perducta viderentur Troianorum fata. Iterum Iunonis odio et ira utitur poëta, etsi in toto loco ante oculos fuit Neptunus Odyss. ε, 282 sqq.: etiam multum similitudinis huic Iunonis orationi est cum illa lib. I, 36 sqq. A Pachyno usque Siciliae promontorio prospicit Latium; scilicet supra illa loca in aëris regione invecta, non monti insistens. Iter autem facere putanda Argis versus Carthaginem. Permutant enim dii loca, quae amant. Mox v. 291, *fixa dolore*, transfixa, ex Homerico ὀδύνῃσι πεπαρμένος, ut vulgo *dolor infixus animo* dicitur.

293 sqq. Nolim poëtae nimis argutam dictionem defendendam suscipere; multo minus ea placet in dea irata. Verum est hoc acumen illud tragicorum, quod Graeci in scena probarunt et Maro in epos transtulit. Ferant illud: *fata contraria fatis nostris* h. e. ei, quod fatale est a me constitui et novari in Troianorum fortunis posse; est autem in fatis Iunonis, ut fata Troianorum intercipere haud possit: cf. inf. IX, 133. 136, 137; sed, quae sequuntur, *num occumbere, num capti potuere capi, num incensa cremavit Troia viros?* annon luxuriantis sunt ingenii? etsi reprehensio hactenus retractanda est, quod veritas tamen sua sententiae subest. Exemplis alii defensionem parant, ut loco Ennii, quem expressit Maro, ut iam Macrob. VI, 1 monuit: *Quae neque Dardaneis campeis potuere perire, Nec, cum capta, capi; nec, cum combusta, cremari.* Sed, ut in ceteris, si recte Virgilium novi, tragicorum, in primis Euripidis rhetoricos spiritus aemulatus est.

Troia viros? Medias acies mediosque per ignes
Invenere viam. At, credo, mea numina tandem
Fessa iacent, odiis aut exsaturata quievi:
Quin etiam patria excussos infesta per undas
Ausa sequi et profugis toto me opponere ponto; 300
Absumtae in Teucros vires coelique marisque.
Quid Syrtes aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Thybridis alveo
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Inmanem Lapithum valuit; concessit in iras 305
Ipse deum antiquam genitor Calydona Dianae,
Quod scelus aut Lapithas tantum aut Calydona merentem?
Ast ego, magna Iovis coniunx, nil linquere inausum
Quae potui infelix, quae memet in omnia verti,

297—303. At fortasse taedio victa vel odiis expletis a persequendis Troianis post Troiam eacisam destiteram: ut adeo mirum non sit, si illi excidium effugerant. Immo vero etiam a patria digressos omnibus modis vexavi (299, 300, 301). Cuncta tamen, quae tentavi, nihil profuerunt; Italiam nihilominus tenent (202, 203, 204). Nunc orationem, moneo, poëticam excutias.

304—309. Cf. l. I, 30-49 non satis variata re (v. paullo ante ad v. 286). Vtroque loco ad maiores iras se eaacult Iuno eaemplis aliorum deorum, qui idem felicius ausi sint, propositis. De Lapitharum cum Centauris pugna in Pirithoi nuptiis e Met. XII Ovidii narratio petenda est. Vulgo tamen causa ab ebrietate ducitur: sic quoque Ge. II, 457. cf. Hygin. f. 33. At de Martis in Lapithas odiis obscurior est fabula, exposita h. l. a Servio; cf. Lactat. ad Stat. Theb. II, 563; verbo: Mars in Pirithoi sacris inter ceteros deos solus praeteritus in Lapithas exarsit et furorem immisit, quo illi cum Centauris infestis armis concurrerunt. Magis nota est fabula de Dianae ira, cum Oeneus ea sola omissa ceteris diis omnibus primitias sacrificasset; hinc immissus aper Calydonius, ortaque super eius exuviis contentione, Plenronii Calydonem oppugnarunt. Locus classicus Hom. t, 529 sqq. et Schol. ad 525. add. Apollod. I, 8, 2. Nostri Maronis vestigiis institit Statius VII Theb. 203 et 204. — 305. *concessit in iras*, ad poenam et vindictam. —307 pro vulgari: Quo tamen scelere aut Lapithae aut Calydonii tantam poenam meruerant? Scilicet *poenam scelere merere* ad exquisitiorem formam revocatum est: *scelus merere*; ideoque poenam sceleris: ut sup. II, 229, *scelus expendisse merentem*. Sic ἄτη.

308—319. *quae potui*, h. e. sustinui, semel in eum locum me demisi, ut omnia auderem. Haerent Intpp.,

Vincor ab Aenea! Quod si mea numina non sunt 310
Magna satis; dubitem haud equidem inplorare quod usquam est.
Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo!
Non dabitur régnis, esto, prohibere Latinis,
Atque inmota manet fatis Lavinia coniunx:
At trahere atque moras tantis licet addere rebus; 315
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener atque socer coëant mercede suorum!
Sanguine Troiano et Rutulo dotabere, virgo!
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum
Cisseïs praegnans ignis enixa iugalis;
Quin idem Veneri partus suus et Paris alter
Funestaeque iterum recidiva in Pergama taedae.

sed posse et alibi obvium hoc sensu. Supra v. 300 idem hoc sic eloquuta erat: *Quin etiam patria exeussos infesta per undas ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto.* — In vs. 312 cum Aeschyli Supplic. 160, 168 sententiae similitudo quaedam occurrit. Etsi displicet fortasse animi impotentia in dea ad tam humilia consilia progressa, in verbis tamen multum virium et δεινότητος, in primis v. 317, 318, 319, est. — 314. *immota manet fatis coniunx* exquisitius pro: manent immota fata de Lavinia ab Aenea coniuge ducenda, ut lib. I, 257, *manent immota tuorum Fata tibi*, coniugium hoc interverti nequit. — 317. *merces* pro malo et pernicie, etiam alibi frequentatum. *coëant* est coniungantur foedere et matrimonio Aeneae et Laviniae. — In v. 318 Euripidem expressum putant Hippol. 550. Est saltem similitudo aliqua. — 319. *Bellona pronuba.* Graviter dictum, si e Iunonis persona proferri memineris; nam proprie *Iuno pronuba* est, v. c. sup. IV, 166.

319—322. Docta et cum arte elaborata oratio secundum plura tragicorum graecorum loca. Non tum modo Hecuba, Cisseï f., *praegnans face*, cum facem utero gerere somniarel (cf. inf. X, 704, 705 et versus ap. Cic. de Div. I, 21). *enixa est ignes iugales*, coniugales, peperit matrimonio filium, qui Asiae incendium erat futurus; verum simili modo facem edidisse partu credenda erit Venus; similis ignis erit Veneri filius suus, Aeneas (exquisitius: *quin idem Veneris partus suus*), et erit ille *alter Paris*, et erunt *iterum funestae taedae in Pergama recidiva*, h. e. nova haec Troia seu restituta Troianorum fortuna iterum experietur tamquam alterum Iliacum excidium. *recidiva Pergama.* cf. ad IV, 344. Multum tragici spiritus huic loco inest. Versus 318 sententiam similibus Tragicorum locis illustrat Guel-

Haec ubi dicta dedit, terras horrenda petivit:
Luctificam Allecto Dirarum ab sede sororum
Infernisque ciet tenebris: cui tristia bella,
Iraeque insidiaeque et crimina noxia cordi. 325
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareae monstrum: tot sese vertit in ora,
Tam saevae facies, tot pullulat atra colubris.

lius: Aeschyli Agam. 416, 417, Euripidis Hippol. 550-3.

323 sqq. Sequitur locus de *Alecto* Furiarum una ex inferis excitata a Iunone et Amatae Latini uxori, mox Latinis quoque matribus familias, tum Turno, Tencris quoque et Aboriginibus immissa, egregie quidem ille tractatus et ornatus, Iuvenalis quoque iudicio VII, 66 sq. commendatus. Excogitatu certe facillimum videtur, odiis et inimicitiis ex ipsa re natis, Furiis hoc negotium dare, ut tumultus et bellum excitetur. Poëtae simul ea in hoc contigit felicitas, ut non in allegoricis personis ipsi esset acquiescendum. Sunt enim Furiae ex poëtica ac mythica doctrina verae deae apud inferos collocatae, ut supra vidimus VI, 280, immissae Oresti et Herculi. Λύσσαν Herculi a Iunone immissam in scenam protulit Euripides Herc. fur. 822 sqq. Ceterum inventio hoc, etsi per se haud difficili, certatim usi sunt poëtae sequiores. Sic Ovid. IV Met. 422 sqq. (quo comparato Virgilii sapientiam intelligas; nam hic rerum summam persequi contentus *terras*, inquit, *petivit*, et *ciet*; at apud illum ipsa Iuno descendit ad inferos et evocat Furias, ut Athamantem in furorem coniiciant): Statius I Theb. 88 sqq., Silius II, 526 sqq. Nonnum lib. XXXI et Claudian. in Rufin. I, 25 sqq. excitat Cerda. Partem loci in Laii umbram transtulit Statius Theb. II, 94 sqq. Semina prima rei sunt apud Homer. Il. ε, 665, 667, 668; in ceteris Eris Homerica exemplo esse potuit.

323—329: *horrenda*, ut *saeva*, pro irata. — 327, 328. Habes similia Aeschyli verba Eumen. 69, 70, ubi post alis tandem de Furiis: Μισήματ' ἀνδρῶν καὶ θεῶν Ολυμπίων. cf. ibid. v. 190 sqq. et 414, 415. Sed Maro Alecto ad Martis Homerici exemplum adumbrasse videtur. Il. ε, 890 sq. Εχθιστος δέ μοι ἐσσὶ θεῶν οἱ Ολυμπον ἔχουσιν· Αἰεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη πόλεμοί τε μάχαι τε· etsi rem varisvit feliciter. Quid enim Furiae faciem horribilem et abominandam gravius declarare possit, quam: ipsi patri ipsisque sororibus eam detestabilem haberi. Sed et locum in Ennio fuisse coniectare licet huic non dissimilem, unde fragmentum a Probo et a Varrone servatum est (Enn. Frag. p. 120 sq.): *Corpore Tartarino* (horrendo, terribili, ut Festus interpretatur) *prognata paluda* (paludata; etsi Probi lectio *palude* probare se potest) *virago*. Pergit, ei par nihil esse in tota rerum natura. Imitationem Lucani vide lib. X, 645 sqq. — 328, 329. *tot sese vertit in ora*, ad declarationem τοῦ *monstrum* pertinere putandum. Nec vultus mutationes pro vario mentis habitu se sensu (nam id nimis tenue foret) nec in varias species et figuras mu-

Quam Iuno his acuit verbis ac talia fatur: 330
Hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem,
Hanc operam, ne noster honos infractave cedat
Fama loco, neu connubis ambire Latinum
Aeneadae possint Italosve obsidere finis.
Tu potes unanimos armare in proelia fratres 335
Atque odiis versare domos; tu verbera tectis
Funereasque inferre faces; tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. Fecundum concute pectus,

tatum os velim intelligere (nam id Furiis non sollenne est; etsi novas formas assumere Furias dubitari nequit; quod in h. l. quoque Alecto facit inf. vers. 415, ubi Turnum adit, *in vultus sese transformat aniles etc. Fit Chalybe*. Et similem formae mutationem videbis ap. Claudian. in Ruf. I, 434. etc. et Silium II, 553 sqq.): sed *in tot ora*, sc. saeva, tot horrendos vultus, terribiles ac minaces oris habitus, ex eo quod subiicitur: *Tam saevae facies*. Saepe enim sic epitheta ex sqq. retrahenda sunt ad priora. Solent scilicet Erinnyes varias oris species et vultus ad terrendum idoneos sumere, ut inf. v. 447, cum Turnus obtemperare nollet. In hunc sensum αἰολομόρφους eas dici arbitror apud Orpheum H. LXVIII, 8. Nec diversum est, quod Ge. III, 553 Tisiphone ... *Inque dies avidum surgens caput altius effert*. — 327. *Pluton pater*. Sensit cum Orpheo eod. I. Αἰδὼς χθόνιαι, φοβεραὶ, κόραι.

330—340. *acuit*, eum dilectu pro alloquitur, hortatur. *virgo sata Nocte*, cf. VI, 250. Eumenides ἀεὶ παρθένους esse nota res. *Hunc mihi da proprium* pro vulgari: singulare hoc mihi praesta, mea gratia suscipe. *infracta cedat loco*, cumulate pro infringatur, labefactetur, convellatur; hocque vulgarius diceres: ne ego vincar. — *connubiis ambire Latinum* docte; translatum ad socerum, quod puellae debebatur. Nam *ambire puellam, coniugium puellae*, propria sunt; doctius: *ambire puellam connubio*: nunc, ipsum *patrem*. Prohibe, ne Aeneas matrimonio iungatur Laviniae. Aliena a sermonis genio videtur interpretum illa ratio, ut *ambire* sit circumvenire (Fortasse ambire est h. l. adire, se applicare: sic IV, 283. Horat. Od. I, 35, 5. Nec opus erat, ut Aeneas a Latino connubium illud peteret, quod ille ultro iam 270 sq. obtulerat. *R.*) — 336. *versare* aliter hoc loco dictum quam sup. II, 62 *versare dolos*. Nunc est exagitare, vexare. Porro tu in ipsis aedium penetralibus flagris et facibus insequeris sceleratos. Hoc est *inferre verbera* (pro flagris, quod perpetuum poëtis, etiam de Furiis, ut et inf. 561) *et faces tectis*, quandoquidem semel hoc in usum venit, ut scelerum commissorum terrores et conscientiae perpetratorum stimuli per Furiarum faces et stimulos declarentur. *tibi nomina mille*, πολυώνυμος. Deorum enim potestates, vires, proprietates, facta per tot *nomina* declarantur. —

Disiice conpositam pacem, sere crimina belli;
Arma velit poscatque simul rapiatque iuventus. 340
Exin Gorgoneis Allecto infecta venenis
Principio Latium et Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatae,
Quam super adventu Teucrum Turnique hymenaeis
Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant. 345
Huic dea caeruleis unum de crinibus anguem
Coniicit inque sinum praecordia ad intima subdit,
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille inter vestis et levia pectora labsus

339. *Disiicere* fortius quam dirimere, rumpere, et *crimina* quam causae. Et paullo ante *concute te*, fere ut apud Aristoph. Nub. 701: Πάντα τρόπον τε σαυτὸν Στρόβει πυκνώσας. Ductum ab eo loquendi usu, cum movetur, versatur, agitatur animus et cogitatio. Non absimile Horatianum I Serm. 3, 34 *denique te ipsum concute*; pro vulgari excute.

341—405. Alecto primo adit Amatam reginam, Latini coniugem. Omnes hoc poëtas sequi videas, ut mandatis datis, inprimis a potentiore, non verba, sed ipsa res statim subiiciatur. Et merito; quis dubitet? In Virgilio igitur hoc nihil magnum. *Gorgoneis Alecto infecta venenis* accipiunt sic, ut venena secum afferat; quomodo apud Ovidium in simili loco Met. IV, 499: *Attulerat secum liquidi quoque monstra veneni* etc. Sed sic *infecta* parum placere potest, et in nostro loco venenum non ipsa dea miscet; sed 354 ex afflatu serpentis illud corpori se insinuat. — At v. 346 anguem illa de capite detractum immittit Amatae. Ergo illa caput *anguibus* cinctum habebat: scilicet ex poëtica ratione *venena* pro serpentibus dicta, quibus Furia comas habet implexas: cum semel *venena* posuisset, *infecta* quoque bene dicebat. Nihil igitur amplius cogitandum, quam: Exin Alecto, quae caput anguibus horridum habet, petit etc. *Gorgonei* angues, quales Medusae caput cingunt. — 343. *tacitum* limen aut pro tacite obsedit, ut Servius, aut quatenus de matris familias cubiculo agitur in secretiore domus parte. Cerda ad curas retulit; sc. ut *tacita* sit Amata (cf. Georg. II, 247. Aen. IV, 364. *R.*). — 344, 345. Proprie dicimur *coquere iram pectore*, ut πέπτειν, πέσσειν, sic Silius II, 327: *impatiens asperque coquebat Iam dudum inimites iras*, ubi v. Drakenb.; tum vero exquisite ipsa *ira* dicitur *coquere nos* vel *pectus nostrum*, h. e. agitare, vexare. Haec ratio iam Ennio frequentata in noto illo apud Ciceronem versu: *curam .... Quae nunc te coquit et versat sub pectore fixa.* — 346. *Huic*, in hanc. — mox 349 *levia* epitheton egregie delectum, ut serpentis lubricum lapsum adiuvet; alias est molle, tenerum. — *fallitque furentem*, latet eam, dum volvitur. Bene Serv. *sine accipientis*

Volvitur adtactu nullo fallitque furentem 350
Vipeream inspirans animam; fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longae taenia vittae
Innectitque comas et membris lubricus errat.
Ac, dum prima lues udo sublabsa veneno
Pertentat sensus atque ossibus inplicat ignem, 355
Necdum animus toto percepit pectore flammam,
Mollius, et solito matrum de more, loquuta est
Multa super nata lacrimans Phrygiisque hymenaeis:
Exsulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret nataeque tuique? 360
Nec matris miseret, quam primo aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abducta virgine, praedo?
At non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor

sensu. Nisi malis iungere: *fallit inspirans*, ἕλαθεν εἰσπνέων. Afflare autem putandus est serpens halitu venenato, tanquam furoris aura antiqua, pectus reginae, circa quod errat, nondum illapsus, ut e sqq. patet. Halitu autem, spiritu, afflatu, dicimus fieri ea, quae per sensus animos attingere et afficere videntur. — Illa v. 351-353, *fit tortile collo* etc. nescio an pro epica dignitate nimis ingeniosa sint. Ovidio fortasse ea condones. Is tamen, cum superiora ad verbum fere expressisset (Met. IV, 485, 489-499), haec intacta reliquit. Torques autem, etiam in antiquis operibus, videmus gestatos saepe serpentibus similes. *taenia vittae*; h. e. vitta; nisi proprie h. l. oras et vincula vittarum vel fasciarum dependentia *taenias* dixit, tortiles et serpentibus similes.

354—357. Primo furoris accessu in lamenta fertur Amata. *lues*, ut *tabes*, *sanies*, pro veneno, h. l. est halitus ille venenatus et humidus, unde *lues udo veneno*, quo afflatum Amatae pectus. Ovidius modo non dissimili scorpium *nigri madidum sudore veneni* dixit II Met. 198, non quasi exsudare eum venenum crediderit; sed *sudor veneni*, humor, poëtae est elegantior ratio pro veneno, quod humidum diceres; *madidus* autem omnino ad profluentem oris saniem spectat. Insinuat ille se in praecordia et animum: *Pertentat sensus*, subit et *ossibus implicat ignem*, quatenus flamma circumvolvitur; eadem vulgari oratione ambire et involvere rem dicitur.

359—372. Oratio bene morata et argumentis instructa probabilibus et gravibus sed breviter enumeratis. Cum primis versu locum Euripidis (Supplic. 249 sqq.) comparat Cerda. — *Exsulibus Teucris* gravius quam Teucro, ut sup. 98: *Externi veniunt generi* et alia. Quantam vim habent illa: *nec matris ... praedo!* — 363. *At non sic*; ut vulgo: quasi non simili modo Paris Helenam avexerit. *penetrat*;

Ledaeamque Helenam Troianas vexit ad urbes!
Quid tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum 365
Et consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque sedet Faunique premunt te iussa parentis;
Omnem equidem sceptris terram, quae libera nostris
Dissidet, externam reor et sic dicere divos. 370
Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres mediaeque Mycenae.
His ubi nequidquam dictis experta Latinum
Contra stare videt, penitusque in viscera labsum
Serpentis furiale malum totamque pererrat; 375
Tum vero infelix, ingentibus excita monstris,
Inmensam sine more furit lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,

praeterita res in praesens adduci potest, in primis à poëta. Hinc enallage illa, quam vocant, pro penetravit. — In v. 365, 366 epithetorum bonus est dilectus factus. *consanguineo*; filius enim est Veniliae, sororis Amatae. — 367 sqq. Callide elevat id, quod tantam ad mariti animam vim habebat, Fauni oraculum, dum id non minus ad Turnum referri posse ait; esse enim externos habendos omnes, qui non Latini regno subsint. Tum vero Turnum originem quoque habere a gente peregrina et extra Italiam agente, ab Argivis. — *mediae Mycenae* accipiendum ut in illo: Ex media Graecia eius stirps ducta est. Dedit autem hoc poëta seu famae seu ingenio, ut Turni originem a Danaë Persei matre peteret, quae, cum iram patris Aerisii metueret, navi in Italiam est delata ibique Ardeam condidit. Conf. inf. 408 sq.; contra quam vulgaris inter Graecos fabula ferebat, qua in arcam cum puero inclusa mari ad insulam Seriphum enatasse narrata est.

373—377. Tentatu ita Latini animo, cum eum videt *contra stare* (pro vulgari resistere), cumque venenum (docte: *serpentis furiale malum*) interea in intima Amatae praecordia penetravit etc. — *monstra* sunt terrores et phantasmata furentia animo obiecta. — 377. *sine more*, sine modo ac lege ideoque ἀκόσμως, ἀπρεπῶς (cf. ad V, 694; Burm. ad Ovid. I, A. A. 149) discurrit per totam urbem. Locum hunc ante oculos habuit Statius IV Theb. 378 sq.

378—384. Lineas ornatissimi loci in Iliad. ξ. 413 invenire sibi videntur viri docti; sed ibi Aiax rotat saxum ὡς στρόμβον. *turbo* lignum illud conoïdes, quo pueri ludunt, diversum a trocho, qui aeneus vel alterius materiae circulus est. At *turbo* est ῥόμβος vel βόμβιξ ex Epigr. I Callimachi notus; ubi et ὑπὸ πληγῆσι

Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habena 380
Curvatis fertur spatiis; stupet inscia supra
Inpubesque manus, mirata volubile buxum;
Dant animos plagae. Non cursu segnior illo
Per medias urbis agitur populosque feroces:
Quin etiam in silvas, simulato numine Bacchi, 385
Maius adorta nefas, maioremque orsa furorem
Evolat et natam frondosis montibus abdit,
Quo thalamum eripiat Teucris taedasque moretur,
Evoe Bacche! fremens, solum te virginè dignum
Vociferans; etenim mollis tibi sumere thyrsos, 390

θοὰς βέμβικας ἔχοντες Εστριφον, ut h. l. *torto sub verbere*, flagello, mox *habena*. — *vacua circum atria*, ornate, ante domum. Callimach. εὐρείῃ ἐνὶ τριόδῳ. *exercent*, agunt, versant, δονοῦσι. turbini *dant animos* (concitatiorem motum) *plagae*, verbera ingeminata. Ad pueros minus bene hoc referas. Verum est eorum animos incendi ipso ludo: sed hic de motu turbinis agitur. Comparatio ex Tibullo nota est lib. I, 3: *Namque agor, ut per plana citus sola* verbera turbo, quem celer *adsueta versat ab arte puer*. Sed, ne res ex puerorum lusibus ducta epicae dignitati detraheret, tractatione et dictionis gravitate effecit Maro. Versatur autem comparationis vis in discursu rhombi.

385. Praeclarus locus est, qui sequitur; sed, ut eius praestantiam sentias, sacrorum Bacchicorum ritus a nostris sensibus tam alieni notitia aliqua; ex Euripidis v. c: Bacchis, imbutum habere animum necesse est. Inter eos homines, qui orgia Bacchi frequentabant, facile hoc in animum veniebat feminae, ut ira furore acta, cum inviso genero subducere vellet filiam, Bacchico se teneri furore simularet, quo filiam iisdem sacris iniitiaret ideoque in silvas abduceret. Eiusmodi furoris Bacchici, qui totam Thebarum civitatem invasit, exempla in tragicis occurrunt. Solent autem iidem saepe consiliis dramatum suorum adhibere furores Bacchicos, ut per orgiorum opportunitates efficiantur nova ac mira, ut in Antiope Euripidis. — 390, 391. *Etenim tibi*, σοὶ γὰρ δὴ et σοὶ γάρ τοι, non ignota forma, docta tamen et variandae orationi commoda. Certe quidem tibi, in tuum honorem, Bacche, ait illa filiam Bacchicis orgiis se initiare (Servius infinitivum pro indicativo positum esse volebat: ita esset infinitivus narrationum). Hoc extulit per attributa Baccharum: *thyrsos sumere*, Bacchum *lustrare choro* (ut inf. X, 224 *agnoscunt longe regem lustrantque choreis*) h. e. choreas ducere circa eum medium stantem tamquam choragum: quem sequuntur ii, qui chorum celebrant, ut ideo Bacchae furore correptae deum tamquam praesentem

Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.
Fama volat; Furiisque adcensas pectore matres
Idem omnis simul ardor agit, nova quaerere tecta.
Deseruere domos; ventis dant colla comasque.
Ast aliae tremulis ululatibus aethera conplent 395
Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas.
Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet ac natae Turnique canit hymenaeos
Sanguineam torquens aciem torvumque repente
Clamat: Io matres, audite, ubi quaeque, Latinae: 400
Si qua piis animis manet infelicis Amatae
Gratia, si iuris materni cura remordet;
Solvite crinalis vittas, capite orgia mecum.
Talem inter silvas, inter deserta ferarum,
Reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi. 405
Postquam visa satis primos acuisse furores
Consiliumque omnemque domum vertisse Latini,

ducere putent. — *pascere crinem*. In sacris Bacchicis comam promissam et solutam haberi et iactari solitam notum est. Cf. Inf. 394, 403 (Laudat ex Catulli Galliambo locum Cerda: *Tibi spargimus capillum, Tibi verticem rotamus*. Sed is est Mureti Galliambus, in eius Catullo pag. 86, quod idem carmen pro Catulli fetu habuit Guellius ad Ge. II, 392). Rarius occurrit, quod comam quoque Baccho alunt Bacchae; sed Euripidis versum iam alii laudarunt ἱερὰς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ τ' αὐτὸν τρέφω (Bacch. 493. cf. Barnes. ad v. 450). — 392 sq. Idem furor Bacchicus ceteras Latinas matronas invadit. — *nova tecta*, silvarum recessus. — 396. *pellibus*. Pelles sunt nebrides. Hastas *pampineas*, pampinis tectas, ut bene Serv. monet; thyrsos (cf. Ecl. V, 31), qui hinc *molles* dicti supra v. 390, et *pinum*, facem pineam, cf. ap. Eurip. Bacch. 145 sqq. Omnia enim hic a sacris Bacchicis petita sunt; non a nuptialibus ritibus. *Sanguineam* (cf. IV, 643) *torquens aciem*, διαστρόφους κόρας ἑλίσσουσα, Eurip. Bacch. 1120. — Ad v. 400 conferunt Intpp. Il. σ, 52 sq. de Thetide ad Nymphas, nec tamen quicquam inde proficere potuit Maro. *piis animis*, pro vobis. — 402. Si cura est, si ius maternum in filias tuendum vobis putatis. — *capite orgia*, exquisite, ut suscipere sacra, hoc est celebrare, agere. At dicas: quo consilio? qua spe? scilicet, ut sibi adsint filiamque a nuptiis cum viro alieno vindicent.

406—413. Ad Turnum nunc Allecto procedit, postquam consilia Latini ab ea turbata et causae belli satae erant; qua ipsa re verendum erat, ne domus Latini everteretur. *acuisse*, cum di-

Protenus hinc fuscis tristis Dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem
Acrisioneis Danaë fundasse colonis 410
Praecipiti delata noto. Locus Ardea quondam
Dictus avis, et nunc magnum manet Ardea nomen;
Sed fortuna fuit. Tectis hic Turnus in altis
Iam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Allecto torvam faciem et furialia membra 415
Exuit; in voltus sese transformat anilis
Et frontem obscenam rugis arat; induit albos
Cum vitta crinis; tum ramum innectit olivae;
Fit Chalybe Iunonis anus templique sacerdos
Et iuveni ante oculos his se cum vocibus offert: 420
Turne, tot incassum fusos patiere labores
Et tua Dardaniis transscribi sceptra colonis?
Rex tibi coniugium et quaesitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quaeritur heres.

lectu pro excitasse. — 408. Vides Furiam alatam ut et alibi: v. c. apud Euripid. Orest. 317. — 410. Danaë igitur Acrisii f. cum Argivis fugae comitibus navi vecta ad Rutulorum litus appulisse et Ardeam exstruxisse dicitur. — 411, 412. Vrbs olim dicta a maioribus, *avis*, Ardea; manet ea urbs etiamnum magnum nomen, h. e. loci nomen adhuc nobile est propter veterem Turni et Rutulorum famam; sed, opibus antiquis deletis, iam Maronis tempore Ardea cum vicinis locis solo aequata fuit. Vid. Strabo V, p. 232.

415. Observa dictionis ornatum in hoc, quod vulgare: assumit formam anus, rugosae, canae etc., in verba illa resolvit: *arat*, *induit*, *innectit*: h. e. habet innexas, et sic reliqua. — 417. *obscenam* simpl. pro turpem. — 419. *Fit Chalybe*, *anus sacerdos Iunonis templique*. Si aliter iungas verba, minus commodè fit; etsi nec hoc satis commodum. Est ut ἀνὴρ ἱερεύς, γυνὴ ἱέρεια. Igitur sacerdos Iunonis tali erat habitu, ut vitta et oleaginea corona vinctas haberet comas. Imitatus est in Tiresia Statius II Theb. 97, 98, 99 et in Amphiarao VII, 88, 89. *Iunonem* autem merito posuit, quippe quae Turni rebus studet, et cuius templum fuisse Ardeae ex locis Plinii constat, in quibus antiquissimas Ardeatis templi picturas miratur XXXV, 3, s. 6, et 10, s. 38. — 421. *patiere fusos*, graece, pro patiere effundi — *et transscribi*. De voce *transscribi* s. sup. V, 750; h. l. transferri ait regnum Latini dotale cum Lavinia ad exteros. — 423. *coniugium et dotes*, dotem, regnum dotale, paratum *sanguine*.

I nunc, ingratis offer te, inrise, periclis; 425
Tyrrhenas, i, sterne acies; tege pace Latinos.
Haec adeo tibi me, placida quum nocte iaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.
Quare age et armari pubem portisque moveri
Laetus in arma para et Phrygios, qui flumine pulchro
Consedere, duces pictasque exure carinas. 431
Coelestum vis magna iubet. Rex ipse Latinus,
Ni dare coniugium et dicto parere fatetur,
Sentiat et tandem Turnum experiatur in armis.
Hic iuvenis, vatem inridens, sic orsa vicissim 435
Ore refert: Classis invectas Thybridis alveo
Non, ut rere, meas effugit nuntius auris:
Ne tantos mihi finge metus, nec regia Iuno
Inmemor est nostri.
Sed te victa situ verique effeta senectus, 440
O mater, curis nequidquam exercet et arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
Cura tibi divum effigies et templa tueri;

Nam pro Latino saepe pugnas suscepisse putandus est ex v. 425, 426. — *tege pace Latinos*, sc. avertendo et repellendo hostes. — 427. Comparant Intpp. Iliad. σ, 184: Ἥρη μὲ προΐηκε etc. — 430. *laetus* poëtis est simpl. alacer. *flumine pulchro*, est καλλίῤῥοος, ornans epitheton. Sic sup. 30 *amoenum*. — 432. *Coelestum vis magna*, magnum deorum numen, τὸ τῶν θεῶν κράτος. *Phrygios duces et carinas exure*, nota dicendi forma: alterum improprie. — 433. *dicto parere*, pro vulgari: promisso stare se velle profitetur.

435—444. Nota *vatem* simpl. pro sacerdote. *orsa* pro vulgari dicta; ut *solio sic orsus ab alto*. — 440, 441, 442. Per senectutem vanis rumoribus captandis indulges. Docte ornata res. — *Senectus te exercet curis nequidquam* ideoque curis vanis, et *ludit te falsa formidine*. Addit *inter arma regum*, ut appareat, qua super re cura illa suscepta sit. *Senectus* autem dicta *victa situ*, desidia et inertia; *verique effeta*, paullo audacius dicta, cui nihil veri iudicii adest, vanis inhians, proclivior ad amplectendos falsos rumores quam ad vera exploranda. Vi *frugibus* vel *frugum effetus ager*, inhabilis longo usu et parum idoneus ad ferendas fruges; sic aetas illa inhabilis ad videndum verum et ad veros timores diiudicandos et a falsis discernendos. *Irae*, *belli*, *Martis*, *feta* praecordia passim apud poëtas occurrunt. — 442. *Vatem* iterum, ut v. 435. — 443. Aedituam ναοκόρον designat. Forma increpandi Ho-

Bella viri pacemque gerent, quis bella gerenda.
Talibus Allecto dictis exarsit in iras. 445
At iuveni oranti subitus tremor occupat artus;
Deriguere oculi: tot Erynnis sibilat hydris
Tantaque se facies aperit. Tum flammea torquens
Lumina cunctantem et quaerentem dicere plura
Repulit et geminos erexit crinibus anguis 450
Verberaque insonuit rabidoque haec addidit ore:
En, ego victa situ, quam veri effeta senectus
Arma inter regum falsa formidine ludit;
Respice ad haec: adsum dirarum ab sede sororum;
Bella manu letumque gero. 455
Sic effata facem iuveni coniecit et atro
Lumine fumantis fixit sub pectore taedas.
Olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus
Perfundit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit, arma toro tectisque requirit. 460
Saevit amor ferri et scelerata insania belli;
Ira super: magno veluti quum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aheni,

mero iam frequentata est Iliad. ε, 428 sqq.: ζ, 490 sqq.; πόλεμος δ' ἀνδρεσσι μελήσει· add. Il. υ, 137 sq.

446 sqq. Exuit iam Erinnys anum, ut soleat interdum dii, et vera forma adstat. Praeclara autem rei exponendae ratio affectu ab initio statim posito: Turnum ita loquentem horror invadit etc. — 447. *tot Erinnys sibilat hydris.* Nam horrendi angues ex capite sibilant et dira deae facies vera apparet. — 448. *tanta* pro talis. — 451. *verbera insonuit*, concussit, flagello increpuit. Proprium hoc Furiis, ut monitum sup. ad v. 366, *tu verbera tectis funereasque inferre faces.* VI, 557 a Tisiphone *saeva sonare verbera.*

456. *facem iniecit* in iuvenem et in pectus infixit. — 460. *arma fremit* plus est quam: deposcit, clamat. — 461, 462. Elaborata oratio! pro belli cupiditate et ira incenditur. *amor ferri* et *insania belli* unum idemque declarant. *scelerata insania*, quoniam ad caedes, rapinas et *scelera* rapit, quae proprie de bello dicuntur; at *super ira*, non satis expedito: an eodem modo positum, ut πέρι, pro περισσοτ? eminet? Magis adhuc, quam amor pugnae, saevit, furit ira.

462—466. Fundus comparationis in Homero Il. φ, 362 sqq., qui legendus est, ubi de Xantho Vulcani flammis submissis ebullienie agitur;

Exsultantque aestu latices; furit intus aquai
Fumidus atque alte spumis exuberat amnis, 465
Nec iam se capit unda; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem polluta pace Latinum
Indicit primis iuvenum, et iubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem;
Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque. 470
Haec ubi dicta dedit divosque in vota vocavit,
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formae movet atque iuventae;
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus inplet, 475

sed primum ornatu verborum in re tenui superat Virgilius, ut facile exspectabas ab imitatore Marone. conf. Macrob. Sat. V, 11; tum vero etiam aliud comparatum idque elegantius, suaviore et doctiore metaphora, substituit, animum ira aestuantem. — *Flammam virgeam* pro virgis, et *costas* ollae (sed gravius nominavit *ahenum*) dixit, ut γάστρην τρίποδος Homerus Odyss. ϑ, 437; et ex utroque loco Quintus Cal. lib. V, 381 sqq. de Aiacis ira. Ornate reliqua quoque: *Fumidus amnis aquae*, vapor, *furit intus atque alte spumis exuberat*, spumat.

467—474. *polluta pace*, violata iam: sc. consilio, conatu et voluntate Turni. Videtur hoc verius esse quam alterum: ut a Latino pax sublata sit, erepta Turno coniuge. — 470. *venire* est gravius quam esse, ut alibi monitum. — 471. *divos in vota vocavit*, invocavit votis, cf. ad lib. V, 234. ἐπηύξατο: — 472. *se exhortantur*, ὤρσαν, ἐπῶρσαν, Homericum. — 472-474. Rutuli se acuunt ad bellum, alii pulchritudine, alii nobilitate Turni, alii virtutis fama erecti. Et sic Servius. Male Pompon. et alii *Hunc* sc. Turnum accipiunt.

475 sqq. Principium belli inter Latinos et Troianos cervus venatione interemtus. Reprehensum hoc iam apud Macrob. V, 17, et hinc a multis tamquam tenue et vi epica destitutum. Enimvero haudquaquam cervi belli est causa; sed occasio tantum et initium. Haec ipsa caedes cervae et concursus propter eam factus pro illis temporibus narrationem hanc facit probabilem, cum semel non consilio, sed animorum impetu committendi essent Latini cum Troianis et res ad manus deducenda. Tum poëta aemulatus putatur belli Iliaci initia et retentae in Aulide classis Achivorum causas, interemta ab Agamemnone cerva Dianae sacra. Omnino invento hoc poëtae strenue usi sunt, ut pugnarum et odiorum causas ab occisis casu sacris animantibus, quae (ἀνειμένα, ἄφετα) libere vagarentur, arcesserent. Exempla sunt ap. Cerdam, sed ex imitatoribus Virgilii, Statio VII Theb. 564 sq. et Valerio Fl. III, 15 sq. petita. Insignius est illud exempl. cervae Dianae ab Agame-

Allecto in Teucros Stygiis se concitat alis,
Arte nova speculata locum, quo litore pulcer
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus.
Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Obiicit et noto naris contingit odore 480
Vt cervum ardentes agerent: quae prima laborum
Caussa fuit belloque animos adcendit agrestis.
Cervus erat forma praestanti et cornibus ingens,
Tyrrhidae pueri quem matris ab ubere raptum
Nutribant Tyrrheusque pater, cui regia parent 485
Armenta et late custodia credita campi.
Adsuetum imperiis soror omni Silvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatque ferum puroque in fonte lavabat.
Ille, manum patiens mensaeque adsuetus herili, 490
Errabat silvis rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidae venantis Iuli
Conmovere canes, fluvio quum forte secundo

mnone in Aulide caesae, qua navigatio classia retardata est.

475—483. *animis Rutulos audacibus implet*: Homericum θάρσους πλῆσεν φρένας, ut Il. ρ, 573 animos audacia. Facit nunc Alecto, quod Eris Homerica Il. δ, 444: νεῖκος ὁμοῖον ἐμβαλε etc. — 477. *arte nova*, alia fraude, novo dolo. Supra I, 657: *At Cytherea novas artes, nova pectore versat Consilia.* — 484. *prima laborum causa fuit.* Comparant Il. ε, 63. χ, 116. Est primum initium calamitatum, quae insequuntur sunt.

483 sqq. Molles et bucolicis propiores versus sunt, qui sequuntur. Similes deliciae Cyparissi cervus apud Ovid. Met. X, 109 sqq. occurrunt; sed iuvenili carminis luxuria expolitae. Calpurnii quoque imitatio Ecl. VI, 33 sq. et Statii locus de tigribus Bacchi mansuefactis (Theb. VII, 564 sqq.) a Cerda notatur. De id genus animantibus cf. not. ad Lucian. pro Merc. Cond. c. 1. — 484. *Tyrrhidae pueri* pro Tyrrhei filiis. Fuit autem nomen hoc in historia Albanorum regum non ignobile. Tyrrheus enim erat regii armenti magister, apud quem Lavinia Silvium enixa est: v. Victor. O. G. R. 16. — 487. *soror* scil. puerorum, Tyrrhei filia. — *mollibus sertis*, seu vittis, seu corollis. — 490. χειροήθη et ὁμοτράπεζον fuisse dicit. — 492. *Ipse*, Αὐτός pro αὐτομάτως.

493—495. Cervus post natationem (eleganter *defluere* pro natare) in ripa se ab aestu recreabat, cum canes

Deflueret ripaque aestus viridante levaret. 495
Ipse etiam, eximiae laudis succensus amore,
Ascanius curvo direxit spicula cornu;
Nec dextrae erranti deus afuit, actaque multo
Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit 500
Successitque gemens stabulis questuque cruentus
Atque inploranti similis tectum omne replebat.
Silvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat et duros conclamat agrestis.
Olli, pestis enim tacitis latet aspera silvis, 505
Inprovisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis: quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrheus,
Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
Scindebat, rapta spirans inmane securi. 510
At saeva e speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua tecta petit stabuli et de culmine summo
Pastorale canit signum cornuque recurvo

eum se reficientem (sagientes procul et persecutae. *R.*) excitarunt. Ergo iam *defluxerat*, ut bene Cerda accipit *deflueret*. — 498. *dextrae deus adesse* dicitur ad eam regendam. Nunc negotio addita: *Nec abfuit deus*, h. e. adfuit fortuna *dextrae*, quo minus ea aberraret; mutatum hoc in epitheton, *dextrae erranti*. At Servius ad Alecto refert, ut sit ἡ θεός. *acta venit* plenius pro adacta est. — *nota tecta*, τὰ ἤθεα. In miseratione cervae, placidae ac mansuetae ferae, vss. 500 sqq. notabilem artis sagacitatem adhibuit poëta.

505. *pestis*, Furia. Conf. sup. 476, 477. Latet enim illa in silva ad speculandam nocendi rationem et viam; neque inde nisi v. 511 discedit. — *Torrem obustum* quis non videat esse sudem praeustam? cf. inf. 524; ut mox stipites nodosos memoral. — *cuneis coactis*, adacto cuneo, accurrit pater ira saeviens, *spirans immane*, μέγα πνέων.

511. *stabulum*, pastoris tugurium, ut et alibi. — 513. Fuit scilicet idem, qui nunc in agris est, mos buccina convocandi ruricolas repentino aliquo metu, periculo vel incursu. Idem mos in priscis civitatibus. Itaque Romae primis aetatibus Comitia non aliter convocari solebant. *Per corniciuem centuriata* ap. Gell. XV, 27. Subnata autem Maroni Furiae buccina videri potest ex Eridis horrendo clamore Iliad. λ, 5, 11. — In 514-518 expressus Apollonii locus, pri-

Tartaream intendit vocem: qua protenus omne
Contremuit nemus et silvae intonuere profundae 515
Audiit et Triviae longe lacus; audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua fontesque Velini;
Et trepidae matres pressere ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres, qua buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis 520
Indomiti agricolae; nec non et Troïa pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxere acies. Non iam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur sudibusve praeustis;
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late 525
Horrescit strictis seges ensibus aeraque fulgent

mum quidem III, 1217, Hecates canum latratu: Πείσεα δ' ἔτρεμε πάντα, et multo magis draconis sibilo IV, 127-139: ἀμφὶ δὲ μακραὶ Ἠιόνες ποταμοῖο καὶ ἄσπετον ἴαχεν ἄλσος. Ἐκλυον, οἳ καὶ πολλὸν ἐκὰς etc. Δείματι δ' ἐξέγροντο λεχωΐδες, ἀμφὶ δὲ παῖδι Νηπιάχοις, οἵ τέ σφιν ὑπ' ἀγκαλίδεσσιν ἔκυον, Ῥοίζῳ πάλλομένοις χείρας βάλον ἀσχαλόωσαι: unde noster: *Et trepidae matres pressere ad pectora natos;* non tam ornate, sed meliore iudicio: nam a Furia inflatam buccinam iam horrendum sonitum edidisse probabilius est dictum, quam draconis sibilum iam longe esse auditum. Virgilii imitatorem habes Statium I Theb. 118 de anguium Tisiphones sibilo: *Audiit et medius coeli Parnassus* etc., ubi omnia multo magis portentosa videbis — 515, *profundae* cum dilectu. In intimis magnae silvae recessibus audiebatur vox. — 516. *Triviae lacus* est Lacus Aricinus cum nemore et templo Dianae nobilissimo. cf. inf. v. 761. Nunc *Lago di Nemi*, non longe ab vico *Genzano*. Paullo remotior ab his locis versus septentrionem est *Nar*, qui inter Sabinos et Vmbros ad Tiberim descendit, *sulfureis aquis* satis notus, de quo iam Ennii versus VI Annal. *Sulfureas posuit spiramina Naris ad undas* (V. Cluver. p. 705), quarum natura *candorem* facit. In proximo *Lacus Velinus*, amne Velino inter montium iuga super Reate stagnante; in Narem ille quoque aliquando a M. Curio exciso monte emissus. Cic. IV ad Att. 15. Conf. Plin. III, 12, s. 17.

520. Ennii Ann. III. versus sunt ap. Macrob. VII, 3: *Postquam defessi sunt stantes spargere sese Hastis: ansatis concurrunt undique telis.* — 521. *Indomiti agricolae;* simpliciter accipio: duros, asperos. Sunt enim ἄτρυτοι: quod primo loco est, qui atteri nequeunt aut frangi ac fatigari laboribus et aerumnis; altero ἄτρυτος etiam invictum, hinc validum, magnum, ingentem simpliciter denotat. — *nec non et Troia pubes.* Castrorum portis reseratis miltunt auxilium Troiani. Vulgari oratione: copiae effundunt se, effunduntur, ἐκχέονται. — Mox vs. 525, 526, *seges atra horrescit ensibus.*

Sole lacessita et lucem sub nubila iactant:
Fluctus, uti, primo coepit quum albescere vento,
Paullatim sese tollit mare et altius undas
Erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo. 530
Hic iuvenis primam ante aciem stridente sagitta,
Natorum Tyrrhi fuerat qui maximus, Almo
Sternitur (haesit enim sub gutture volnus et udae
Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam);
Corpora multa virum circa seniorque Galaesus 535
Dum paci medium se offert: iustissimus unus
Qui fuit Ausoniisque olim ditissimus arvis:
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, et terram centum vertebat aratris.

seges pro agro isque ideo pro acie: eleganter autem *acies* statim per segetem effertur et reliqua ad eam attemperantur; qui comparandi modus exquisitae est venustatis. Locus similis inf. videndus lib. XI, 601, 602. Primae autem lineae sunt Iliad. ν, 338, ubi *horret pugna hastis*, ἔρριξε μάχη ἐγχείῃσι μακρῇς. Itaque h. l. proprie diceres *enses strictos horrere*, eductos et elatos ad ictum inferendum; quandoquidem horrent omnia aspera et acuminata et erecta; tum *horret ensibus acies, ager, seges*. *Atra* propter soli naturam, sive refertur ad oculorum sensum in campo longam hominum seriem prospicientium. — At 527 *aera sole lacessita* venuste pro percussa radiis. Debetur hoc Lucretii exemplo lib. IV, 218: *Corpora quae feriant oculos visumque lacessant:* unde patet, ut ex aliis locis, ubi *visum, aures, lacessere* occurrit, *lacessere*, quod proprie est irritare, provocare, esse simpliciter ferire, percutere; cf. inf. ad lib. X, 10.

528-530. *Uti mare ... quum fluctus coepit.* Saepius ornata a poëtis comparatio, primum quidem ab Homero Il. δ, 422 sqq. Eandem elaboratius extulerat Maro Ge. III, 237 sq. *primo vento*; cum primum aura mare impellit fluctosque ciet spumeos.

533, 534, *vulnus* pro sagitta, ut II, 529, et *inclusit* pro vulgari interclusit, *iter vocis udae*, traducto epitheto a gutture, per quod vox emittitur; proprie *iter udum*. Sic *tenuis vita* est anima. Quomodo Virgilius ornatu praecellat Homerum, vide in hoc: Iliad. ν, 388: ὁ δὲ μιν βάλε δουρὶ Λαιμὸν (κατὰ λ.) ὑπ' ἀνθερεῶνα, διὰ πρὸ δὲ χαλκὸν ἔλασσε. — 536-539. Homerica arte Galaesi memoriam nobis commendat et miserationem facit. Cf. Il. ε, 612, 613, 614. Quod *ditissimum* eundem et *iustissimum* exhibet, ad primae vitae mores comparatum est. Illud vero ad miserationem praeclare: *Dum paci medium sese offert*, ut iam Macrob. IV, 4 monuit. *corpora* v. sternuntur.

Atque, ea per campos aequo dum Marte geruntur,
Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum 541
Inbuit et primae commisit funera pugnae,
Deserit Hesperiam et coeli convexa per auras
Iunonem victrix adfatur voce superba:
En, perfecta tibi bello discordia tristi! 545
Dic in amicitiam coëant et foedera iungant,
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros.
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas:
Finitimas in bella feram rumoribus urbis.
Adcendamque animos insani Martis amore, 550
Vndique ut auxilio veniant; spargam arma per agros.
Tum contra Iuno: terrorum et fraudis abunde est.
Stant belli caussae; pugnatur commìnus armis.
Quae fors prima dedit, sanguis novus inbuit arma.
Talia connubia et talis celebrent hymenaeos 555

540—571. Alecto Iunoni mandata peracta nuntians in sedem suam in inferis relegatur, quam illa petit per lacum Amsanctum. *aequo Marte*, pari utrinque belli fortuna, pugna in neutram partem inclinata. Comparant transitus formam Il. ε, 84: Ὡς οἱ μὲν etc. *Promissi potens*, promissis expletis, ἐγκρατὴς γενομένη ὧν ὑπέσχετο. Cf. ad 341. *sanguine bellum imbuit*; Servius, initiavit. Scilicet proprie *Latini imbuebantur sanguine* (ut v. 554; *sanguis novus imbuit arma*), inducebantur, trahebantur prima caede facta ad bellum. Conf. inf. 547. Ductius ipsum *bellum imbuitur*, instituitur, sanguine. Ex copiis, quae apud Cerdam habentur, unum huc referas Propertii IV, 11, 5: *Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae:* hoc est infers exemplum, quo imbuantur, moveantur, ad similem conatum alii. —542. *funera pugnae* pro pugna simpliciter; quae hinc quoque poëtis *funerea* dicta. — 543. *per auras, coeli convexa*, iungenda; si modo vera lectio est. Tum subint. verbum motus, *evecta*. —546. cf. 316, 317. *Dic*, ironice, tamquam ἀδύνατόν τι χρῆμα. —548. *hoc addam: in bella feram*, rapiam, doctius quam: ad bellum accendam.

552 sq. Dignitatem orationi Iunonis inesse facile agnoscas. *Stant belli caussae* facta sunt belli auspicia manibus semel consertis. Burmannus: certae, fixae sunt. *Stare* omnino poëtae pro *esse*, ut Graeci ἱστηκέναι, usurpant, ne exilitate vocis poëticam vim frangant. Stant ea, quae cum masime aguntur, in actu sunt. Eo referendum: *stant praelia* et similia. Inde *stare* etiam dicitur illud, quod constitutum, paratum, effectum est. Sic *stat sententia*; sic *stat* h. l. *caussa belli* gerendi pugna semel facta; et hinc *stare*

Egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.
Te super aetherias errare licentius auras
Haud Pater ille velit, summi regnator Olympi.
Cede locis. Ego, si qua super fortuna laborum est,
Ipsa regam. Talis dederat Saturnia voces. 560
Illa autem adtollit stridentis anguibus alas
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus Italiae medio sub montibus altis
Nobilis et fama multis memoratus in oris,
Amsancti valles; densis hunc frondibus atrum 565
Vrguet utrimque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis et torto vertice torrens.
Hic specus horrendum, saevi spiracula Ditis,

pro decretum, fixum, certum esse. — 556, 557. cf. 317, 318. Pronuntiandum autem connubja, trinis syllabis. — 559. Comparant Iliad. α, 522, 523. Reliquos belli casus ipsa moderabor: et sane inf. 572, *extremam bello imponit manum.*

561—571. Nova Furiae species, quod non modo alata est (ut sup. 476), verum quod serpentes alis implicitos habet. Locum descensus eius ad inferos non dicam an primus protulerit poëta; est tamen ille rei admodum accommodatus. Est enim in Hirpinis non longe ab Aeculano (nunc *Fricenti* in Principatu Neapol. R. ulteriore) lacus tetro colore et odore et inter spiracula referri solitus, quae Plutonia vel Charonea (*Moffete*) appellant, v. Plin. II, 93. Cic. de Div. I, 79; hinc v. 569 *spiracula Ditis.* Dictus ille lacus *Amsanctus*, quod nomen etiam Plin. II, 95 et Cic. de Div. I, 36 in Hirpinis memorant. Nec urgendum *Italiae in medio;* aliter enim geographus, aliter poëta et popularis scriptor loquitur. Faciem quidem loci nunc paullo diversam reperit Cluver. Ital. pag. 1201; silvae saltem deerant. Montes situ paullo remotiores sunt: sed silva olim inde a montibus ad planitiem protendi debuit. In vallis medio, ut quidem Maro locum describit, fons ex rupe ortus interque saxa progressus cum strepitu et fragore ferebatur. Lacum et vallem sub colle Ilicibus consito, qui utrinque vallem claudit, vidit nuper Swinburne; et Cluverius lacum viderat media sui parte aquam magna cum vi ebullientem et resorbentem. Mutata tot annorum intervallo loci facies Maronis fidem non labefactat. — 566. *latus nemoris* eleganter collis nemorosus, qui latus vallis et lacus facit. — 567. *saxis et vertice*, h. e. vortice aquarum inter saxa fundi, vorticoso amne. — 568. *Hic specus*: non addit, an amnis illud fecerit. Potuit olim specus esse odorem sulfureum exhalans eodem loco, qui nunc lacum recepit, torrente in stagnum mutato. Hoc docet descriptio loci, quam Abbas Fortis dedit, ut qui loca adiit et ipsam vim mephiticam

Monstratur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauçis; quis condita Erinnys, 570
Invisum numen, terras coelumque levabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Inponit regina manum. Ruit omnis in urbem
Pastorum ex acie numerus caesosque reportant,
Almonem puerum foedatique ora Galaesi; 575
Inplorantque deos obtestanturque Latinum.
Turnus adest medioque in crimine caedis et ignis
Terrorem ingeminat: Teucros in regna vocari;
Stirpem admisceri Phrygiam; se limine pelli.
Tum, quorum adtonitae Baccho nemora avia matres 580
Insultant thiasis (neque enim leve nomen Amatae)
Vndique conlecti coëunt Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deum, perverso numine poscunt.
Certatim regis circumstant tecta Latini. 585
Ille velut pelagi rupes inmota resistit,
Vt pelagi rupes, magno veniente fragore
Quae sese, multis circum latrantibus undis,

expertus est. — 571. *numen invisum*, μισητόν. *levabat* eleganter pro relinquebat. Res enim, quae abominamur, gravant nos.

573—600. Narrat poëta quae alia accesserint ad exacerbandos Latinorum animos, ut arma moverent. — 577. Medias inter criminationes, quas in Troianos iacit, metum iniicit fore, ut caede et igni omnia misceantur; ideoque terrorem caedis et ignis (sic enim legendum est, non *igni*) facit. — *se limine pelli*, pro regno, domo, regia.

580—582. Auctoritate reginae commoti filii seu propinqui feminarum, quae Baccharum more *thiasis*, choreis Bacchicis, *insultant uentora*, thiasos in silvis agunt (v. sup. 395, 396), coëunt et Latinum bellum poscunt. Proprie *fatigant* Latinum clamoribus ac precibus super Marte sed bello faciendo. Hinc *fatigant*, exposcunt, *ipsum bellum*. Solet enim poëtae *fatigare* de iis actionibus dici, in quibus quis fatigatur: est igitur precibus flagitare, cf. ad VIII, 94 et ad I, 280.

583, 584. *contra omina*, respectu ad apes et ardentes Laviniae comas, sup. v. 64 sq. *contra fata deum*, Fauni oraculum v. 81 sq. — *perverso numine* pro adverso, irato, Serv. cf. Burm. Nescio tamen annon potius esse debeat: perversa, conturbata et infirmata deorum voluntate. — 586 — 599. Imago rei ad sensum obvia et a

Mole tenet; scopuli nequidquam et spumea circum
Saxa fremunt laterique inlisa refunditur alga. 590
Verum, ubi nulla datur caecum exsuperare potestas
Consilium, et saevae nutu Iunonis eunt res:
Multa deos aurasque pater testatus inanis,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella!
Ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas,
O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium, votisque deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus;
Funere felici spolior. Nec plura locutus
Sepsit se tectis rerumque reliquit habenas. 600

multis frequentata, ut exempla coacervare pigeat. Virgilius tamen Homericum locum Il. o, 618-621 ante oculos habuit et exornavit.

591 sqq. Latinus rea, cum diu reluctatus esset, tandem victus rebus gerendis se abdicat easque partes Turno concedit. — 593. *auras*, coelum manibus sublatis obtestatur. *inanes*: epitheton perpetuum aëris et aetheris, iam Lucretio frequentatum. — 594. Fato se vinci ait, quatenus non suum sed caecum turbae consilium, h. e. temerarium impetum et furorem sequi cogitur. — *Sacrilego... sanguine*, quatenus ipsi Aborigines sacrilegi, impii habendi sunt, qui contra deorum voluntatem bellum suscipiunt foedusque ictum violant. *has poenas*, docte, *pro scelere hoc* poenas. — 598, 599. Sibi rex paratum esse ait refugium in morte vicina, nec sibi eripi aliud, praeterquam ne, ut felix vixerit, ita felix beatusque moriatur. Sententia verborum expedita est, concinnata illa ex vulgari dicto: ante obitum neminem dicendum esse beatum, et posse aliquem felicem vivere, mori infelicem; itaque fuisse multos, qui uno die citerius vita discedere debuissent; hos *spoliatos* dixeris *funere felici*. Sed de verbis ambigi potest: ego *omnis*, totus sum *in limine*, aditu *portus*, in portu iam tantum non navigo. *funus* pro ipsa morte, haud dubie; non de exseqniis (Fortasse simplicior haec ratio est: omnisque portus est in limine, i. e. omne auxilium mihi ante pedes et paratum est seni; limen enim vitae ut de initio ita de fine ponitur. cf. Burmann. ad Val. Flacc. I, 823. *R.*)

599, 600. Ne quis temere factum arbitretur Latinum regni munia deserere (cf. ad VIII, 1), tenendum est ad Turni nomen illustrandum ita res attemperatas esse, ut is summam imperii teneret. Nam, cum semel Turnus ad Aeneae virtutem illustrandam insigniore laude celebrandus esset, fieri hoc non recte potuisse, si secundas is partes ageret et alterius auspiciis res gereret. Eodem spectant alia, quae a Marone sollerter provisa sunt. Contineatur Rutuli nomine Latino, et Turnus, licet Regis nomine ornatus, Latini tamen principatui paret; nunc autem in Latini

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes
Albanae coluere sacrum, nunc maxuma rerum
Roma colit, quum prima movent in proelia Martem,
Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos 605

locum succedit: quemadmodum apud Etruscos factum videmus aut inter Achivos, ut plurium civitatium reges principatum uni, Agamemnoni, deferrent. Ex dictis intelligitur, quomodo Maro saepe *Rutulorum* nomen pro *Latinis* ponere, alias discernere potuerit: scilicet ut Hernicos, Aequos, Volscos. Hinc quoque apparet, cur Turni matrimonium *connubiis Latinis* designaretur VII, 96. et idem *Laurens Turnus* VII, 650.

601—622. Bellum indicitur. Egregium poëtae commantum bellum motum et illatum narraturi primum morem patrium Iani reserandi arcessere; tum ad dese ministerium eam rem referre, unde augusta rei species exoritur. Quod poëtam v. 601, 602 ab historica fide recessisse contendunt intpp. post Serviom, cum Livius ib. I, 19 a Numa demum Ianum, indicem pacis belliqua factum, memoret; id vanum est. Nam, si nos historiam Romanam nunc ex Livio potissimum hanrimus, secus res se habuit illo tempore, quo multi praeclari scriptores in manibus erant, a quibus Romae origines diversis modis traditae fuerant; e quibus unom vel alterum Livius delegit, idque parum curiose in antiquioribus. Antiquissima autem per Latium fuit Iani religio et a maioribus haud dubie tradita Romanis inter instituta cetera, quae propter obscuram vetustatem a Romulo Numaque vel alio rege vulgo repetebantur, cum instituta fuissent patria a maioribus Alba Longa in novam coloniam profectis apportata. Cum itaque semel invaluisset opinio Numam religionum auctorem fuisse, etiam Ianum pacis bellique indicem ad eum retulerunt, qui annales populi Romani condideraot.

604—606. *Latium Hesperium*, non aliter quam Hesperia Italia, adscito usu loquendi Graecorum. Male argutatur Servius cum aliis esse *antiquum* Latium. — *protinus* h. l. iugiter, ut bene Serv., perpetuo ab eo inde tempore. *urbes Albanae*, coloniae. Nam Alba XXX oppidorum Latinorum mater. cf. Dionys. III, 31. — *maxima rerum*, res maxima, *μέγιστον χρῆμα*. cf. ad Ge. II, 534 (Si compares Ovidiana illa, *caput rerum urbs romana, domina rerum* etc., fortasse *rerum* publicarum praetuleris. *R.*) *cum prima movent* (ad Romam hoc referendum propter sqq.) *in praelia Martem* nove dictum. Vulgo *Movetur bellum*, *Mars*; nec quicquam adiicitur: tum quoque *moventur arma*, pro quibus *Martem* dixit et adiecit *in praelia*. Quod indicto bello ancilia commovebantur, alienum ab h. l. est. — Vs. 604-606. Splendida est oratio. Bellis enim cum extremis orbis terrarum populis gerendis imperii R. maiestas praeclare declaratur. Quod *Getas* narrat, non est urgendum; voluit tantum fines imperii ad Danubium declarare, et sic porro in sqq.; quamquam fuere bella Romanorum et victoriae ea aetate, quae huc revocari possunt, vide

Auroramque sequi Parthosque reposcere signa.
Sunt geminae Belli portae (sic nomine dicunt)
Religione sacrae et saevi formidine Martis:
Centum aerei claudunt vectes aeternaque ferri
Robora; nec custos absistit limine Ianus. 610
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnae,
Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul;

Vit. Virg. a. V. C. 724, 725, 729, 731, 734; nec dubitare licet poëtam in Augusti gratiam illa saltem adiecisse: *seu tendere ad Indos Auroramque sequi. Auroram sequi*, magnifice, ad extremum Orientem usque progredi. Ferebat hoc multo magis usus loquendi Romanorum, cum v. c. dicerent, *ad Orientem missum, profectum esse* aliquem. *Bellum* autem *lacrimabile* est Homericum πολύδακρυς Αρης· πολυδάκρυτος μάχη, δακρυόεις πόλεμος.

607—610. Vides hic exemplum fabulae veteris nova interpretatione interpolatae. Iani religio ab initio haud dubie symbolica fuit ad denotandam rerum naturam variasque eius proprietates. Traducta ea est postea ad alia, et Romae Iani templum a Romulo conditum ex Numae, ut aiunt, instituto clausum vel apertum belli pacisque habebat indicia. Hoc vero ornavit poëta remque ita expressit, quasi in eo templo Bellum et Mars vincti tenerentur, custode in foribus Iano. Fecerat hoc idem I, 294-296. Contrario commento Horatius Ianum ait clausis foribus cohiberi, tamquam pacis auctorem et custodem II Epist. I, 255: *claustraque custodem pacis cohibentia Ianum*. Pacem includi dixere alii. — *Belli autem portae* proprio nomine dictae videntur: iterum inf. 622 esse templum Belli binis foribus ait. *ferri robora* ornate pro ferro simpl. seu ferreis repagulis: Lucretii exemplo lib. II, 249. — *nec custos absistit*. Videri potest Iani signum in ipso templi aditu (ἐν προνάῳ) stetisse. Verbo, poëta nobis templum Iani exhibet hac specie: esse aedem Belli gemino aditu, ab antica et postica parte (ναὸν ἀμφιπρόστυλον), clausis foribus ferratis, posito ad fores Iani signo: quoties bellum a Senatu decretum fuerit, Consulem reserare fores, bellum indicere; tum cani classicum.

614—615. *Has* portas, *stridentia limina*, reserat Consul trabeatus. Trabea, *Quirinalis*, dicta, puto, quod, uti Regibus, ita ipsi Romulo, trabeae fuerat usus. Plin. VIII, 48, s. 74: *Trabeis usos accipio reges*: et IX, 39, s. 63: *Purpurae usum semper Romae fuisse video*, sed Romulo in trabea. Itaque recte Maro antiquissimum Latii regem Picum trabea vestiebat sup. v. 187, 188. *cinctuque Gabino*, a Gabiis translato et sacris servato. Bene Servius, qui in ceteris argutatur: *toga sic in tergum reicota, ut ima eius laciniа a tergo revocata hominem cingat, simul caput tegat et ambiat*. Obvia res in vett. monumentis in primisque in numis. *vocat pugnas*; ut sup. v. c. III, 253, *vocantur venti*,

Ipse vocat pugnas; sequitur tum cetera pubes;
Aereaque adsensu conspirant cornua rauco. 615
Hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus
More iubebatur tristisque recludere portas.
Abstinuit tactu pater aversusque refugit
Foeda ministeria et caecis se condidit umbris.
Tum Regina deum coelo delabsa morantis 620
Inpulit ipsa manu portas, et cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.
Ardet inexcita Ausonia atque, inmobilis ante,
Pars pedes ire parat campis; pars arduus altis
Pulverulentus equis furit: omnes arma requirunt; 625
Pars levis clipeos et spicula lucida tergunt
Arvina pingui subiguntque in cote securis,
Signaque ferre iuvat sonitusque audire tubarum.
Quinque ideo magnae positis incudibus urbes
Tela novant, Atina potens Tiburque superbum, 630

velis expansis excipiuntur, ita nunc pugnandi potestas datur et admittitur, indicitur bellum. Mox v. 615 classicum canitur. Nec tamen intercedo, si quis moram recondilum et formulam solennem respici dicat, qua in reserando Iano usus sit Consul, ut in ea invocaverit Martem et Bellum, et adstans multitudo verbis sollennibus responderit: etsi ea de re aliunde nihil nunc constat. In vss. 616-619 orationis copiam observa et ornatum in singulis. Cf. sup. ad v. 601. — 620. Succedit in regis locum infesta Iuno et Ianum reserat seu Belli templum. — vs. 622. Ennianum exemplum servavit Servius ex Annal. *postquam Discordia tetra Belli ferratos posteis portasque refregit*; unde etiam intelligitur, quomodo Virgilius in Iunonis ministerium hoc inciderit. Adumbrasse eadem videtur Statius V Theb. 446 de Amazonibus .... *ubi arma Indulget pater et saevi movet ostia Belli.*

623. *inexcita atque immobilis ante.* Nam v. 45: *rex arva Latinus et urbes Iam senior longa placidas in pace regebat. pulverulentus;* nil frequentius hac imagine molae pugnae vel cursus concitatioris vel industriae et studii. κόνις, ἐγκονεῖσθαι, κονίσαλος. *omneis arma requirunt* debitum Ennio esse notat Macrob. VI, 4. Sed in v. 626 ad nostros decori sensus exigendus non est laevor et splendor ex axungia et suillo adipe (ἀργέτι δημῷ apud Homerum) quaesitus. Nec tamen per se teuior aut vilior rei est species quam acumen ex cote.

629 sqq. Voluntariam has urbes militiam suscepisse putabat Cerda, cum ceteris imperatum esset, ut militarent. Enimvero Latinus regnabat

Ardea Crustumerique et turrigerae Antemnae.
Tegmina tuta cavant capitum flectuntque salignas
Vmbonum cratis; alii thoracas ahenos
Aut levis ocreas lento ducunt argento.
Vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri 635
Cessit amor; recoquunt patrios fornacibus ensis.
Classica iamque sonant; it bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus rapit; ille frementis
Ad iuga cogit equos clipeumque auroque trilicem
Loricam induitur fidoque adcingitur ense. 640
Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete:

Laurentibus, non toti Latio: confluunt igitur e ceteris civitatibus, aut armorum societate iuncti aut, qui armorum studio tenentur. Equidem verbis tantum inesse video hoc: non modo agrestes ex Laurente agro confluxisse (ut 573 sq. narratum erat), verum etiam magnas urbes bellandi studio exarsisse. Quinque autem praeter Laurentum et Ardeam numerat, quarum debuit inter reliquas Latii urbes praecipuum nomen esse antiquissimis temporibus: in finibus quidem occidentem versus Crustumerium et Antemnae, ad orientem autem Latii, Atina in Volscis. *Tibur superbum* a magnificentia partim ex opibus et cultu, partim ex situ in edito loco. Astute, ne metrum repugnaret, pro *Crustumerio* cives *Crustumerios* dixit. Quae sequuntur, ad has potissimum urbes spectant. — 632. *alii* galeas cudunt, *umbonum salignas crates*, acuta de vimine facta, coriis inductia. — 636. *recoquunt*, liquefactum ferrum vomeris et falcis recudunt. — 637. *it tessera*, signum bello, h. e. diditur, distribuitur. *longo fugit ordine velox Tessera*, Statius Theb. VII, 236-639. *trilicem*. V. ad III. Aen. 467: *fido ense*, cui quis fidit. Vidimus eum iam VI, 525.

641 sqq. Enumerationem, quae sequitur, copiarum Latinarum ipsa rerum ratio poëtae ingenio obiiciebat: ea enim, quae sigillatim exponuntur, multo maiorem mirationem faciunt, quam si sub uno numero quamvis grandi efferantur; porro, antequam res magnae et clarae geruntur, eos cognoscere avemus, per quos eas res gestae sunt. Homerico navium catalogi exemplo eam esse adumbratam obvium est et ab Interpp. observatum. Ab eodem Homero Iliad. β, 484 petita est Musarum invocatio; et recte, ut in rebus a prisca memoria repetitis. Comparationem autem inter Homericam et Virgilianam rationem a Macrobio inde Sat. V, c. 15 passim instituerunt viri docti; sed partium fere studio et alterutrius poëtae amore abrepti. Nobis ea notasse sufficit, quae Virgilio propria sunt. Cum itaque Graecarum urbium et populorum enumeratio, ut in re communi Graecise consensu suscepta gestaque, ad singulorum oppidorum laudem et gloriam avitam pertinere videretur: multa Homerus simpliciter nomine

Qui bello exciti reges, quae quemque secutae
Conplerint campos acies; quibus Itala iam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis;
Et meministis enim, divae, et memorare potestis: 645
Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.
Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris

designare potuit. At Latii urbes pleraeque aut solo erant aequatae aut antiquo splendore exciderant. Necesse igitur fuit poëtae commemorare pseucas et commendare eas a vetere fama et antiquis fabulis, in primis de iis, qui eas condiderant. Fabulas autem plerumque ad Graecanicae fabulae naturam accommodavit, origine quoque urbium Italicarum a Graecis repetita. Cum itaque urbium et populorum varietate locorumque et morum diversitate inferior esset Homero; delectationem ex fabulis priscis recte quaesivit. Quod adversam, Troianam inquam, aciem non adiecit ad Homericum exemplum, nemo facile miretur; quam enim varietatem et delectationem ea enumeratio promittere poterat? Etruscorum auxilia enarrare non oblitus est lib. X, 163 sq. Erant enim in genere hoc rerum hominumque, quae animum tenere possent. Quod ad ordinem, quo urbes recenset poëta, attinet, etsi vana ea de re virorum doctorum est subtilitas, v. Macrob. l. c.; tamen non videntur observasse ab occidente Latii ad orientales usque fines eum progredi. Sunt autem socii Turni ideoque Latini hi fere: Copiae ex Agylla Etruriae duce Mezentio, turma adducta ab Aventino, Tiburtini, Praenestini cum Gabinis Anienis accolis et Hernicis, Fescennini, Falisci aliique Etruriae populi Latio finitimi a Messapo ducti, Sabini, Aurunci et Osci Campaniae, Aequi, Marsi et Aricini. His originem Graecam assignavit poëta veterum scriptorum commenta secutus.

641-646. Quid est *pandere Heliconem?* ut aditus poëtae pateat? nunc demum? utque eas canentes audiat? ut fere Cerda exponit; et est utique proprium de aditu patefaciendo τὸ *pandere:* an ut Musae seu descendant seu in conspectum veniant, ut in Hesiodi Theog. pr. Hoc equidem malim, *adeste et dicite,* ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, ut iam rem vetustate memoriae sibi esponant. De Helicone ut scena aulaeis remotis paudendo cogitare non licet. — 643. Sunt haec in laudibus Italiae Ge. II, 167 sq. ubi illa v. 174 est *parens magna virum.* — *iam tum* praeclare dixit ad laudem sui aevi, tacita quidem comparatione. — 644, quos populos bellantes habuerit. — 645, 646 ex Hom. conversi Il. β, 486 sq.: sequuti sunt alii, ut Statius Theb. IV, 32 sqq. Ovid. XV. Met. 622, 623. κλέος, *fama,* et doctius *famae aura.*

647-654. Quod Mezentium *Agyllae,* mox Caere dictae, Lucumonem inter socios Latinorum memorat, ab antiqua fama mutuatus est. v. VIII, 478 sq. — *Tyrrhenis ab oris Mezentius,* oriundus ex Etruria. Pulsus enim Agylla, apud Rutulos tunc agebat. v. VIII, 492, 493. — *Lausus, quo pulcrior alter* sq. Imitationem Homerici Nirei multi notarunt Iliad. β, 673,

Contemtor divom Mezentius agminaque armat.
Filius huic iuxta Lausus, quo pulcrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni. 650
Lausus, equum domitor debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina nequidquam ex urbe secutos
Mille viros; dignus, patriis qui laetior esset
Imperiis et cui pater haud Mezentius esset.
Post hos insignem palma per gramina currum 655
Victoresque ostentat equos satus Hercule pulcro

674, et similem locum de Euryalo Odyss. ϑ, 116, 117; et de Aloidis λ, 309, *corpore Turni* pro *Turno*, nota ex Graecis forma. cf. VI, 22. — Idem Lausus *equum domitor*, ἱππόδαμος, *debellatorque ferarum*; quod Homerico exemplo in laude viri fortis posuit. v. Iliad. ε, 49-51. — 652. Agyllae seu Caere tyrannidem tenuerat. v. VIII, 481 sqq. — *nequicquam* iungam cum *secutos*, qui ei in pugna cadendi frustra erant adfuturi, saltem nullo cum fructu aut ad se ab eo aut a se ad ipsum: exulabant enim patria. — 653. *dignus patriis qui laetior esset imperiis*, ornate, dignus, qui meliore patre gauderet; ad patrem autem declarandum *imperia* non minus valent, quam in filio *obsequium*. Comparant Homericum de Peripheta Eurysthei filio: Τοῦ γένετ' ἐκ ματρὸς πολὺ χείρονος υἱὸς ἀμείνων παντοίας ἀρετάς. Il o, 641.

655 sqq. Aventinum ut unum ex heroibus Homericis inducit cum curru, quo victoriam curuli certamine obtinuerat. Eundem exhibet clipeatum v. 657, quod ferri potest: sed, cum paulo post v. 666 eundem leonis exuviis indutum incedere narrat, in eo fateor me poëtae diligentiam et iudicium desiderare; nam diversorum vitae priscae temporum fuit spoliis ferarum tectum esse et de curru armatum pugnare. Quod primum *curru vectum* (v. 655), mox *peditem* incedere facit (v. 666), in hoc morem Homericorum heroum sequi potuit, qui non raro, exiguo intervallo subsequente curru, pedites incedunt. Aventinum in nonnullis signis agnoscunt recentiores veterum operum interpretes; sed is idem Hercules puer esse potest. Ceterum Aventinus heros Virgilii ingenio deberi videtur Homeri exemplo, qui in similibus heroum filiis et nepotibus commemorandis felicissimus est. Herculis autem accessus ad haec loca (v. VIII, 200 sq.) facile poëtae animum impellere potuit, ut in Aventinum incideret; cuius nomen Romanis lectoribus placere potuit, cum mons Aventinus urbis Romae pars facta esset.

655. *insignem palma currum* simpl. intelligo νικηφόρον, ἀθλοφόρον quadrigas vel bigas, quae praemium cursus obtinuerant. Lauri vel palmae insigne currui infixum recentioris moris ne sit vereor. *satus Hercule pulcro Pulcer Aventinus*. Cogitandum est de pulcritudine; qualis esse potest herois, qui robore corporis omnes mortales superabat. — 657, 58. Tragicorum more clipeum dat Aventino insigne gerentem hydram. *centum*

Pulcer Aventinus, clipeoque insigne paternum
Centum angues cinctamque gerit serpentibus Hydram;
Collis Aventini silva quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit oras, 660
Mixta deo mulier, postquam Laurentia victor
Geryone exstincto Tirynthius adtigit arva
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.
Pila manu saevosque gerunt in bella dolones
Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello, 665
Ipse pedes, tegumen torquens immane leonis

angues cinctamque serpentibus hydram; eleganter variata oratio pro vulgari: *hydram centum cinctam serpentibus.* Ceterum poëtae de parvis et tenuibus parum laborantis generosam incuriam observes in hoc, quod hydram nunc *centum*, at lib. VI, 576 *quinquaginta* capitibus horrendam exhibuit. Comparent deliciarum harum studiosi praeter Silium II, 158, 159, Eurip. Phoeniss. 1142 sqq.; Quintum Cal. VIII, 349, 350.

659-663. Bellum poëtae commentum a Rheae Silviae, quam Mars compressit, exemplo ductum: Herculem, actis per Italiam Geryonis armentis, cum Rhea aliqua sacerdote consuevisse, unde natus sit Aventinus heros. — *mixta*, μιγεῖσα θεῷ, congressa. *furtivum edidit* pro vulgari: furtiva partu edidit. *in luminis oras* s. pro locis s. pro *auras* dictum, quod malim. conf. Ge. II, 47. *Laurentia arva*, ut poëta, latius dixit; nam apud Evandrum, qui tum loca circa Palatinum et Aventinum tenebat, deverterat Hercules: qua de re v. VIII, 200 sq. — v. 663 poëticum ornatum habet commode ab eo petitum, quod in armentorum cura proprium est, lavare gregem; pro: *et armenta ex Hispania adduxit.* — 664. *in bella* h. e. ad usum belli.

664 669. *gerunt* sc. Aventini comites: quos paullo durius intelligi non infitior; etsi eo ducere potest τὸ *Ipse* v. 666. *Pila* bene memorat tamquam Romanorum et Italorum telum; v. de iis Polyb. VI, 21, ubi ὀσσοὶ appellantur. De *dolone* unica amplectendum est, quod e Varrone affert Servius: esse ingentem contum cum ferro brevissimo. Tale genus teli illis temporibus accommodatum. Petiit hinc Silius III, 250. — *Mucronem teretem* non nisi de gladio exiguo accipi posse puto, *Sabellum* autem *verum* nullum aliud esse videtur quam verutum, iaculi seu teli missilis genus. Samnitium quidem proprium hoc telorum genus, σαυνίον dictum, a quo adeo nomen eorum ductum esse volunt Saunitarum et Samnitarum seu Samnitum. v. Festum voc. *Samnitibus* et qui ad c. l. laudantur et Strabon. V, p. 383. B. Iam, cum Samnites Sabinae gentis propago sint, etiam Sabinis idem hastae genus sollenne esse aut saltem tribui potuit, unde *veru Sabellum*. Nisi omnino commune fuit populorum Latii et reliquae Italiae. Sic Ge. II, 168, *Volscos verutos* vidimus. — 666. *tegumen leonis*, eui nunc *saeta* tribuitur, ut inf. 790 bovi, sunt

Terribili inpexum saeta, cum dentibus albis
Indutus capiti: sic regia tecta subibat
Horridus Herculeoque humeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt, 670
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Coras, Argiva iuventus;
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur,
Ceu duo nubigenae quum vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Homolen Othrymque nivalem 675
Linquentes cursu rapido; dat euntibus ingens
Silva locum, et magno cedunt virgulta fragore.
Nec Praenestinae fundator defuit urbis,

exuviae: has *torquet*, retorquet in cinctum corporis. VIII, 460: *Demissa ab laeva pantherae terga retorquens.* Easdem exuvias ita accommodat capiti, ut rictus pellis pro galea sit, ut XI, 680, 681: *caput ingens oris hiatus Et malae texere lupi cum dentibus albis.* Cf. mox v. 688, 689. Dentium nitorem, ut in apro, sic in leone non memini usquam praedicatum: itaque *albus* tantum ornans esse videtur epitheton. In ceteris scabra est oratio. Idem est *tegumen torquens* et *indutus* (illud) *capiti* et *humeros innexus amictu.* Praestat saltem distinguere post *capiti*, ut sit: *Ipse pedes* (pugnat) *torqueus tegumen, indutus* (sc. illud s. ille) *capiti:* (caput eo indutum habens). *Sic regia tecta subibat Horridus* etc. Vulgo post *Sabello* ponitur punctum, post *capiti* comma.

670—677. In condenda urbe Tiburte tres fratres consociasse operas suas narrantur, Amphiarai, qui ad Thebas ab terra haustus interiit, Argivi filii. Transfert hos in Aeneae tempora poëta. — *gentem*, ut poëta, narrat, cum *urbem* in oratione soluta dixisset; cf. IV, 40 not.: v. 673 *προμάχοντα* heroum Hom. exemplo procurrentes ante aciem. Comparatio v. 674 splendida est; eadem imitatione expressa à Statio IV Theb. 139-141: IX, 220-222. *nubigenas* Centauros cum prisca loquendi ratio appellasset, quod altissimos Thessaliae montes, ex quibus Othrys et Homole sunt (v. de hoc Steph. Byz. h. v. et Theocr. Id. VII, 103), inhabitabat, gens fera et silvestris, φῆρες ὀρεσκῷοι, semiferi: cum montes isti intra nubes conditi videri ipsique intra nubes habitare dici possent, genus eorum fabula a nube repetiit, quam Ixion pro Iunone erat amplexus. — 677. *cedunt virgulta* sc. perrumpentibus; ut apro Calydonio Ovid. VIII Met. 340: *Sternitur impulsu nemus et propulsa fragorem Dat silva.* Tum *virgulta* pro silvis, v. c. Ge. II, 328 et alibi, Lucretii exemplo; ut arbusta simpl. pro arboribus.

678 sqq. De *Praeneste* fabula domestica veterum Latinorum affertur, de conditore urbis *Caeculo*, cum infans esset, in fuco reperto et pro

Volcano genitum pecora inter agrestia regem
Inventumque focis omnis quem credidit aetas, 680
Caeculus. Hunc legio late comitatur agrestis;
Quique altum Praeneste viri quique arva Gabinae
Iunonis gelidumque Anienem et roscida rivis
Hernica saxa colunt, quos, dives Anagnia, pascis,
Quos, Amasene pater. Non illis omnibus arma 685
Nec clipei currusve sonant. Pars maxuma glandes
Liventis plumbi spargit, pars spicula gestat
Bina manu fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti; vestigia nuda sinistri
Instituere pedis; crudus tegit altera pero. 690

Vulcani filio habito. cf. Serv. et Solin. c. 2, ad eumque Salmas. pag. 46. — 679. *genitum inter pecora* iungere fas est, non *regem inter pecora*. — 682. *Praeneste altum* a situ. v. Strabon. V, p. 365. A. — 682, 683. *Gabinae Iunonis*. Pelasgorum religio in Latium illata, unde *Iuno Lanuvina* et hic *Gabina*. Repetiit eam hinc Silius lib. XII, 537: *Iunonis tecta Gabinae*. — 684. *qui Hernica saxa colunt*. Si verum est, quod a Festo et Servio traditur, *Sabinorum* seu (quod Festus habet, quodque eodem redit; nam Sabina stirpe oriundi fuere Marsi), Marsorum lingua *herna*, vocata *saxa* fuisse; docte poëta *Hernica saxa* dixit: erat autem Hernicorum ager saxosus circa *Anagniam*, quam *divitem* cur dixerit, ex Silii imitatione intelligitur, XII, 532, 533, *surgit suspensa tumenti Dorso frugiferis Cerealis Anagnia glebis*. Cf. idem VIII, 392, 393: ergo fertilia est. — Iam *roscida rivis* quod ait, rivi esse possunt nulli praeterquam Trerus et Cosa, Cluverio quoque monente. *Amasenus* supra Setiam in Volscis ortus Privernum praetergressus per Volscum agrum in mare apud Circeios exit. — 686. *sonant* eleganter pro iis *sunt*. — 688. Vt lupi exuviae caput tegunt sup. v. 666, sic istis e lupina pelle factus *galerus*, pilei genus, pro capitis tegmine est. — 689. Laevum pedem nudum, dextrum perone, hoc est corio crudo, καρβατίνῃ, tectum habent. Facit hoc mirationem; nam laevum pedem seu ocreatum seu alio modo tectum et munitum cum alibi legimus, v. c. Liv. IX, 40, tum vero ipse status pugnantis postulat, quandoquidem pedi laevo insistit eumque anteriore in vestigio ponit is, qui aut funda glandem aut qui iaculum emittit aut arcu sagittam. Dixeris pedi laevo pro munimento fuisse clipeum sinistra manu gestatum; atqui 686 dixerat eos sine clipeis esse. Status igitur eorum talis fuisse videtur, qualis in progressu esse solet, ut dexter pes antecederet. *vestigia instituere*, statuere, ponere pedem, de gradu militum pugnantium. Lucretium praeeuntem habuit l. IV, 374, *qui capite ipse suo instituit vestigia retro*: qui capiti suo institit, contra quam debebat pedibus insistere. Ita intelligo

At Messapus, equum domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro,
Iam pridem resides populos desuetaque bello
Agmina in arma vocat subito ferrumque retractat.
Hi Fescenninas acies Aequosque Faliscos, 695
Hi Soractis habent arces Flaviniaque arva
Et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.
Ibant aequati numero regemque canebant,
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni
Quum sese e pastu referunt et longa canoros 700

locum. Idem Lucret. I, 407: *Cum semel institerunt vestigia certa viai.*

691 sqq. *Messapi* obscura est fabula, saltem in his Etruriae ad Tiberim locis, in quibus ille constituitur a poëta. Nam Messapum, conditorem et regem Messapiorum in extrema Italia, quae Messapia et Iapygia est, traditum huc vocare non licet. *equum domitor* ut vs. 651 Lausus. — 692. Invictus igni et ferro, qui laedi non poterst. *fas*, δυνατόν, ut interdum apud poëtas. 693. *resides* ut I, 721, 722; VI, 814. — 695. Quae sequuntur urbes, in Etruriae parte ad Tiberim vergente quaerendae sunt: *Falisci* seu *Faleriii*, nec longe ab his *Fescennia* cum *Flaviniio* s. *Flavina*, quae mature e medio sublata esse videtur. *Mons Soracte* (cf. XI, 785 sqq.) *Lacus Ciminius* cum Monte et Saltu Ciminio, e Liv. IV, 367 noto, nunc *Lago di Vico* (*nam*, inquit Pompon. Sab., *illic oppidulum nuper dirutum appellabatur vicus Cimini*) et *Lago di Bonciglione*; tandemque *Capena* Faliscis contermina cum *luco Feroniae* in agro Capenate sito. v. Liv. XXVI, 11. I, 30. Dionys. III, 32. Silium XIII, 84 sqq.; qui idem locum nostrum expressit lib. VIII, 491 sqq. Quod autem *Aequos Faliscos* appellat, ad antiquum Faliscorum nomen spectat, *Aequum Faliscum*; ab Aequis enim vel Aequiculis et Aequanis, a quibus tamen diversi sunt, traxerunt illi nescio quid. V. Cluver. Ital. ant. p. 538 ex Strab. V, p. 346 A. *Aequos Faliscos* etiam Silius dixit lib. VIII, 490. — 698. *aequati numero* pro aequatis, aequalibus, numeris h. e. ordinibus. At, si *ibant numero*, h. e. ad numerum s. numero, numeroso incessu ad rhythmum facto, convenire id videri potest cum altero *regemque canebant* et firmari Silii imitatione lib. III, 345-348. Idem simili exemplo Sabinos expressit lib. VIII, 420: *Ibant et laeti pars Sancum voce canebant Auctorem gentis* (magis hoc consentaneum, quam h. l. Virgil. *regem*), *pars laudes ore ferebant, Sabe,* (eius filium) *tuas.* Praefero tamen prius ut minus argutum. Certe hoc ipsis est proprium, quod incedunt agmine canentes.

699. Comparationem ex Homero Il. β, 459 sqq. et Apollonio lib. IV, 1300 sqq. adumbratam esse in oculos incurrit. Virgilio propria vis in illis: *cum sese e pastu referunt* et dant modos *per longa colla. Asia palus*

Dant per colla modos; sonat amnis et Asia longe
Pulsa palus.
Nec quisquam aeratas acies ex agmine tanto
Misceri putet; aëriam sed gurgite ab alto
Vrgueri volucrum raucarum ad litora nubem. 705
Ecce! Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis:
Vna ingens Amiterna cohors priscique Quirites, 710
Ereti manus omnis oliviferaeque Mutuscae;

(ἄπιος λιμνῶν ap. Hom.), campus palustris ad Caystrum, cf. Ge. I, 383 sqq. *pulsa*, scil. modis, sono, resonans; non remis, ut alii accipiunt. Burmannus ait: a cygnis natantibus vel plaudentibus aquas alis suis. Etiam hoc longius petitum.

703—705. Vt agmen incedebat cum cantu et tripudio, nemo putaret illud ad pugnam faciendam incedere. Petitum ex Apollon. IV, 238. *miscentur acies*, dum congrediuntur, pugnant: sollenni vocabulo. — 704, 705. An et hoc commode satis ad cygnos referri possit, dubito: malim de avibus, v. c. gruibus, accipere agmine austrinas plagas ultra mare petentibus. Lib. VI, 310: *ad terram gurgite ab alto Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus amnis Trans pontum fugat et terris immittit apricis.* Inest alia difficultas in comparationis ratione et vi: num comparatio ad *ordines incedentium aequatos* spectet, an ad *modos canoros* et carmina. *Scilicet ut incedebat agmen cum cantu, e longinquo aliquis volucrum cum clangore volantium gregem, non viros militares accedere putasset.* Poëta vix aliam comparationem sequi potuit, si grammaticam rationem et sententiarum ordinem expendas. Omnino tamen illa: *Nec quisquam putet... sed...* pro variatione formulae comparandi habenda memineris nihilque aliud voluisse poëtam declarare quam: *et erat agmen simile agmini volucrum.*

706—709. Commode gentis Claudiae originem ab Alta, vel Atta seu Attio, Clauso arripuit, etsi vulgo auctor stirpis habebatur ille Clausus, qui quinto a regibus eiectis anno cum clientibus Romam Regillo in Sabinis venerat. Nota res ex Livio II, 16; Sueton. Tib. c. I. — *prisco de sanguine Sabinorum* iungunt fere post Servium alii: nec male, cum Sabinorum stirpem vetustissimam esse constet. Suavior tamen videtur mihi unctura: *Clausus, prisco de sanguine agens agmen magnum Sabinorum magnique* etc. Virgilii locum expressit Silius VIII, 414-425.

710—717. Situs locorum, qui nunc commemorantur, docet agri Sabini fines a poëta antiquiora quippe tempora respiciente paullo latius constitui, quam apud Strabonem et Plinium produntur. *prisci Quirites*, h. e. Curites, Curenses, ex Curibus Sabinis:

Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,
Qui Tetricae horrentis rupes montemque Severum
Casperiamque colunt Forulosque et flumen Himellae;
Qui Thybrim Fabarimque bibunt, quos frigida misit 715
Nursia et Hortinae classes populique Latini,
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen;
Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Saevus ubi Orion hibernis conditur undis,
Vel quum sole novo densae torrentur aristae 720
Aut Hermi campo aut Lyciae flaventibus arvis.
Scuta sonant pulsuque pedum tremit excita tellus.
Hinc Agamemnonius, Troiani nominis hostis,
Curru iungit Halesus equos Turnoque feroces
Mille rapit populos, vertunt felicia Baccho 725

puta scriptum fuisse olim *Quires*. *Mutusca* est Trebula Mutusca; *Nomentum* VI, 773 inter colonias Latinas nominatum: via Nomentana ab eo dicta. — *Rosea* seu *Campi Roseae*, in agro Reatino ad lacum Velinum fertilitate summa satis celebres. — 716. *Hortinae classes* simpl. pro copiis: a classibus, quae populi partes sunt; contra quam Fontanin. de Antiqq. Hortae l. I, c. 1, p. 8 statuebat. — *populi Latini*, oppida Latinorum in agro Sabino vel Sabinis accenso. — 718, 719. Ex Apollonio I, 1201 sq. adumbratum. Mare tempestatibus vexatur sub Orionis occasum, qui fit ineunte hieme. Cf. Petav. ad auctarium Op. de Doctr. temp. p. 90. Est enim et occasus Orionis matutinus apparens circa Decembris initia. — 720, 721. *sole novo* prima aestatis parte bene Serv. explicat. Nam *Sol* nunc est pro aestivo tempore, solis aestu dictus. *Lycia*, aspera et saxosa regio, nescio an alibi fertilitatis laude celebretur. Fidem tamen poëtae facit Phrygiae et Lydiae, quam *Hermus* alluit, vicinis. Ceterum, comparationis vis ut teneatur, observandum est aut v. 718 cum superioribus iungi, ut sit: u et hi quidem *tam multi* incedunt, *quam multi* fluctus volvuntur vel aristae torrentur, quum torrentur sole novo. Ita pro epiphonemate est: *Scuta sonant*; u aut distingui potest 717 post *nomen*. *Quam multi* nova sententia facta, cui apodosis supplenda sit: tam multi erant in illo agmine. Pro quibus subiicitur declaratio: *Scuta sonant* sqq.

723 sqq. Halesus adducit populos e priscis Auruncorum et Oscorum sedibus. Ipse *Agamemnonius* seu Agamemnonis olim comes et miles seu originem ab Agamemnone ducens; ab eo natus esse non potuit, nam pater X, 417 *vates*. Novat poëta hoc, quod Campanorum ducem facit: nam alias eius memoria ad Faliscos spectat. Cf. Ovid. Fast. IV, 73, 74. — *rapit Turno*, nota elegantia, quam mox et Tacitus aliique sunt sequuti, pro *adducit*. Proprie vim et festina-

Massica qui rostris et, quos de collibus altis
Aurunci misere patres Sidicinaque iuxta
Aequora, quique Cales linquunt amnisque vadosi
Adcola Volturni pariterque Saticulus asper
Oscorumque manus. Teretes sunt aclides illis 730
Tela, sed haec lento mos est aptare flagello;
Laevas caetra tegit; falcati comminus enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Oebale, quem generasse Telon Sebethide nympha
Fertur, Teleboum Capreas quum regna teneret 735
Iam senior; patriis sed non et filius arvis
Contentus late iam tum ditione premebat
Sarrastis populos et, quae rigat, aequora, Sarnus,
Quique Rufras Batulumque tenent atque arva Celennae
Et, quos maliferae despectant moenia Abellae: 740
Teutonico ritu soliti torquere cateias,

tionem innuit (Eadem ratione nostri quoqua poëtae *raffen* uti coeperunt. *R.*) *Aurunci* ultra Lirim in Campania montium iuga, *Sidicini* camporum planitiem tenuisse dicuntur poëtae; nam *aequora* nulla alia sunt, quam camporum, cf. 739. *Vulturnus* Campaniae *vadosus*, saltem nonnullis in locis, fortasse sub egressum in mare: alias *rapax*, *celer*, *sonorus* poëtis est; nomen quoque a vulture ductum. *Saticulus:* Saticula, Campaniae urbs, unde Saticulani; ad priscos Ausones urbs refertur. — 730. *aclidas* seu *aclydas* ipse Virgilius satis declarat iacula fuisse *flagello*, amento h. e. loro, aptata, illigata, quae emitti et retrahi possent. Mox *falcati comminus enses* sc. armant, ex antec. *tegunt*; sed simplicius est accipere: *falcati enses* ipsis sunt *comminus*, quoties cominus pugnatur.

733. *Teleboae* relicta Tapho, quae una ex Echinadibus insulis Acarnaniae obiectis erat, *Capreas* occupasse dicuntur. Rex eorum *Telon* ex Nympha Sebethi fluvii ad Neapolin filia auscepit *Oebalum*, qui in continente ex insula transgressus loca circa Samam in Hirpinis et in extrema Campania occupavit. Qua fama haec acceperit Maro, nunc non constat; sed Silius et Statius eum sequuntur. — 735. *Capreas, Teleboum regna*, insulam, quam Teleboae incoluisse dicuntur. — 738. *Sarrastes*, Sarni fl. (quem olim Sarrum pronuntiatum esse apparet) accolae: memorantur quoque Silio VIII, 538. *aequora* camporum: ut v. 729. — 740. *quos despectant moenia Abellae.* Videtur altum in monte situm habuisse hoc oppidum, unde prospectus erat in agros et camporum planitiem. Alias *Avellana nux* huic urbi nobilitatem facit. — 741. *Cateia*, teli genus hoc

Tegmina quis capitum raptus de subere cortex,
Aerataeque micant peltae, micat aerens ensis.
Et te montosae misere in proelia Nersae,
Vfens, insignem fama et felicibus armis: 745
Horrida praecipue cui gens adsuetaque multo
Venatu nemorum, duris Aequicula glebis.
Armati terram exercent, semperque recentis
Convectare iuvat praedas et vivere rapto.
Quin et Marrubia venit de gente sacerdos 750
Fronde super galeam et felici comtus oliva,
Archippi regis missu fortissimus Vmbro:
Vipereo generi et graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat
Mulcebatque iras et morsus arte levabat. 755
Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum

loco Teutonibus tributum, quo nunc Serrastes et Hirpini utuntur. E Virgilio Valerius et Silius eam repetierunt. Vocem Celticam esse, quae longius hastae genus designet, docuere viri docti. Mox 744 *suberis cortex* recens detractus in galeam inflecti et formari videtur.

744—749. Sequuntur *Aequi* vel *Aequiculi*, qui ad utramque Anienis ripam habitarunt. Oppidum eorum obscurum Nersa. — 746. *Aequicula* (sc. gens: nam haec iungenda; sic *Aequicula rura* Silius dixit; adiectiva forma) *duris glebis*, cui est ager asper et aratu difficilis; unde *gens horrida et venatui dedita*. Hinc etiam rapto vivebant, cum, unde viverent, partum et conditum non haberent, cf. IX, 609 sq. 613.

750. *Marrubiam* gentem exquisite dixit ab urbe praecipua, Marrubio, pro Marsis. Ducit hos sacerdos Vmbro, cuius soror fuit Angitia, Nympha v. 759 memorata. Nobiles autem Marsi serpentum incantationibus, cf. Cluver. p 759. *Vmbronem*, sacerdotem quam regem adducere in praelia malnit poëta, quoniam incantationem ei fama prisca tribuerat, qua ille notior erat. *fronde ... et oliva*, nota forma poëtici sermonis pro fronde olivae, qua sacerdos ornatum caput habuit apud Volscos. — 753. *graviter spirantibus*, afflatu nocentibus. — 754. *manuque*. Haerent intpp. De offis soporiferis vel hernis manu admotis Burm. accipit. Sed res ipsa fert, ut de tactu accipiatur. Est hoc genus domandi et sopiendi angues satis notum, quod manuum contactu fit. Cf. Plin. VII, 2. Etiam Silius in loco ex nostro expresso VIII, 501: *tactuque domare venena*, h. e. serpentes venenosos. Idem I, 411, 412: *nec non serpentes diro exarmare veneno Doctus Atyr, tactuque graves sopire chelydros*. Adde III, 302 et ibi not. — 756. Suavis haec rei serius gestae anticipatio, ut et mox orationis con-

Evaluit; neque eum iuvere in volnera cantus
Somniferi et Marsis quaesitae montibus herbae.
Te nemus Anguitiae, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus. 760
Ibat et Hippolyti proles pulcerrima bello
Virbius, insignem quem mater Aricia misit
Eductum Egeriae lucis humentia circum
Litora, pinguis ubi et placabilis ara Dianae. 764
Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte noverca
Occiderit patriasque explerit sanguine poenas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Aetheria et superas coeli venisse sub auras
Paeonis revocatum herbis et amore Dianae.

versio v. 759, 760; utraque tamen iam in Homero obvia, cf Il. β, 858 sqq. *in vulnera* docte poëtae dicunt pro: ad vulnera sananda. *Fucinus lacus* inter Apenninorum montium iuga: ad quem *lucus Anguitiae* fuit.

764 sqq. In nemore Aricino Diana peregrino more culta, quem Scythicum esse ediderunt veteres. In eodem templo *Virbius* heros indigena divino honore habitus. Arcebantur antiqua religione ab hoc luco equi; inde factum, ut eum Hippolytum, Thesei f., interpretarentur ab equis lugalibus dilaniatum, a Diana ex inferis reductum et in hoc luco collocatum: Dianae amor repetendus estoa venationis studio. V. Ovid. Met. XV, 532 sqq. At Maro Hippolyti filium facit Virbium ex Aricia Nympha susceptum. *pulcerrima bello* iungunt interpp. Ergo erit insignis, clara, conspicua, ex καλὸς. Praestat fortasse: *ibat bello*, ad bellum; multo tamen magis malim iungere tertio loco *bello insignem*: ne *insignem* nudum frigeat. *Egeriae* fons et *lucus*, in quo educatus fuit Virbius, ad Aricium est; alius vulgo narratur prope Romam ad portam Capenam, ubi Egeriae domus, antrum sub Aventino, in quo congressa ea esse ferebatur cum Numa. — *humentia litora* ad lacum Aricinum, ubi ara Dianae seu templum. — 764. *ubi ara pinguis et placabilis Dianae* est: ieiuna haec, nec epitheta bene conveniunt: *ara* si *pinguis* bene dicta est propter victimas, non eadem bene est *placabilis*, sed Diana est *placabilis*; praestat ergo copulam eiicere: *pinguis ubi placabilis ara Dianae* est. — 765-769. *arte novercae*, dolo, τέχνῃ Phaedrae. *explerit sanguine poenas* novedisit, ut essolvere, esbaurire, dare, quantum imperatum est, morte luere. — *turbatis* pro consternatis. — *ad sidera rursus* ornate pro revivisse. — *Paeoniis herbis* simpl. pro medicamentis, medicis, a Paeone deorum medico, Apolline. Il. ε, 401: Παιών, Παιώνιος. De Aesculapio Phoebi f. a Iove fulmine percusso obvia est fabula. V. Apollod. III, 10, 3 et Notas

Tum Pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitae, 770
Ipse repertorem medicinae talis et artis
Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit in undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus et nymphae Egeriae nemorique relegat, 775
Solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum
Exigeret versoque ubi nomine Virbius esset.
Vnde etiam templo Triviae lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quod litore currum
Et iuvenem monstris pavidi effudere marinis. 780
Filius ardentis haud secius aequore campi
Exercebat equos curruque in bella ruebat.
Ipse inter primos praestanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens et toto vertice supra est:
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimaeram 785
Sustinet Aetnaeos efflantem faucibus ignis;
Tam magis illa fremens et tristibus effera flammis,

p. 701. Pindar. P. III, 96 sq. — 775. Diana Hippolytum vitae restitutum, ut irae Iovis subtraheret, abscondit in silva Aricina. *Nemori* eum *relegat*, legat, mandat, tradit, commendat. Alii, *relegat ad nemus*, segregat; ut Ge. III, 242: *tauros procul atque in sola relegat Pascua* Tum *ignobilis*, in bonam partem, utpote in secessu et solitudine, placide ideo et tranquille: alias *ignobile aevum* effertur. — 778. Religiosus igitur erat mos, ut ad lucum curru vehi nefas esset. Causa ab Hippolyti ab equis consternatis discerpti pristina fortuna arcessitur. — 781. *haud secius*, etsi equi a luco parentis arcebantur, haud minus tamen filius eos agitabat.

783 sqq. De Turno eiusque origine v. VII, 371, 372. *vertitur* vertit se, docte ad animi corporisque vigorem designandum; movet, agit se, pro incedit: ut στρέφεσθαι. *supra est*, ὑπερέχει. Comparant intpp. Il. β, 226, 227. — Mox in 785 sq. manifeste vestigiis Homeri insistit, ornatis sane verbis, sed ut rei miraculo fidem parum faciat. Nam Il. ε, 4 sqq. Diomedis galea aerea, clipeus et thorax in sole coruscans non male ignem effundere narratur, idemque, etsi paullo magis in miraculum conversum, tribuit Achillis galeae Iliad. σ, 205 sqq. Virgilius expressit eum locum lib. X, 270 sqq.; hic vero, vss. 787, *tam magis illa* (Chimaera) *fremens*, etiam auxit prodigium, ut galea Chimaera ornata, furente in praelio Turno, inter motus rapidos et multiplices ita coruscet, ut Chi-

Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae.
At levem clipeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, iam saetis obsita, iam bos, 790
Argumentum ingens, et custos virginis Argus,
Caelataque amnem fundens pater Inachus urna.
Insequitur nimbus peditum, clipeataque totis
Agmina densentur campis, Argivaque pubes
Auruncaeque manus, Rutuli, veteresque Sicani 795
Et Sacranae acies et picti scuta Labici;
Qui saltus, Tiberine, tuos sacrumque Numici
Litus arant Rutulosque exercent vomere collis
Circaeumque iugum; quis Iuppiter Anxurus arvis
Praesidet et viridi gaudens Feronia luco; 800

maeram, quo magis pugna exardescat, eo magis flammas spirare dicat: motu enim crebro corporis et capitis coruscare sole adverso aeream galeam necesse est: quod transfertur ad signum Chimaerae in galea et eius natorae accommodate ornatur. Conf. Macrob. V, 13 extr. Est autem *galea crinita triplici iuba*, ἔχουσα τρεῖς λόφους, quam τρυφάλειαν dictam volunt pro τριφαλείᾳ. — 787. *illa*, Chimaera 789 sq. In clipeo expressa Io cum Ioacho: nam ab hoc ducebat genus Turnus sup. v. 371 sq. *sublatis cornibus Io* ornate pro Io cornuta. — *tollens cornua*, pro habens. Locum perquam similem laudant iotpp. ex Europa, quod Moschi est Idyll. II, v. 43, 44. Reddita res ut argumentum anaglyphi. Io iam in bovem mutata, adstante custode Argo, et fluvius Inachus recubans in urna, e qua aqua se effundit. *nimbus peditum*, νέφος πεζῶν, Iliad. δ, 274 et al. *Argiva pubes* pertinet ad originem Turni et colones Argivos, qui cum Danaë ad Italiam veoerant. *Aurunci* h. l. sunt qui cis Lirim habitabant. *Sicanos* int. reliquias Sicanorum, quae ad Tiberim in Rutulorum finibus consedisse videntur. Conf. XI, 317. — *Sacranas acies* confidenter satis definire non licet. Ardeatium fuisse dicuntur, dicti seu a vere sacro, cum gravi pestilentia laborante Ardeates ver sacrum diis vovissent, a quo illi orti; seu quod genus hominum fuit Matri Deum sacratum. Prius Festi auctoritas, posterius Silii versus VIII, 417 firmare videtur. — 797. *sacrumque Numici litus*: proprie ipse Numicius amnis sacer, ὅσιος. — 799. Asur vel *Anxur*, Volscorum nomine Iupiter appellatus, pueri forma in numis occurrit; com Veiove comparari solitus, de quo Ovid. Fast. III, 437 sq. Idem urbi Ansuri, mox Tarracinae nomen dedisse videtur: cuius ager h. l. per arva, *quels Iupiter Anxurus praesidet*, declarantur. Ad tertiom inde lapidem *Feroniae lucus*, fons et templum. Fuit ea ex diis Latii Indigetibus, mox modo inter Nymphas relata, modo cum Inoone comparata et pro Iovis Ansuris coniuge habita. Qoae Dionys. recitat lib. II, 49, p. 113 et lib. III,

Tum Pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitae, 771
Ipse repertorem medicinae talis et artis
Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit in undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus et nymphae Egeriae nemorique relegat, 775
Solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum
Exigeret versoque ubi nomine Virbius esset.
Vnde etiam templo Triviae lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quod litore currum
Et iuvenem monstris pavidi effudere marinis. 780
Filius ardentis haud secius aequore campi
Exercebat equos curruque in bella ruebat.
Ipse inter primos praestanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens et toto vertice supra est:
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimaeram 785
Sustinet Aetnaeos efflantem faucibus ignis;
Tam magis illa fremens et tristibus effera flammis,

p. 701. Pindar. P. III, 96 sq. — 775. Diana Hippolytum vitae restitutum, ut irae Iovis subtraheret, abscondit in silva Aricina. *Nemori* eum *relegat*, legat, mandat, tradit, commendat. Alii, *relegat ad nemus*, segregat; ut Ge. III, 212: *tauros procul atque in sola relegat Pascua* Tum *ignobilis*, in bonam partem, utpote in secessu et solitudine, placide ideo et tranquille: alias *ignobile aevum* effertur. — 778. Religiosus igitur erat mos, ut ad lucum curru vehi nefas esset. Causa ab Hippolyti ab equis consternatis discerpti pristina fortuna arcessitur. — 781. *haud secius*, etsi equi a luco parentis arcebantur, haud minus tamen filius eos agitabat.

783 sqq. De Turno eiusque origine v. VII, 371, 372. *vertitur* vertit se, docte ad animi corporisque vigorem designandum; movet, agit se, pro incedit: ut στρέφεσθαι. *supra est*, ὑπερέχει. Comparant intpp. Il. β, 226, 227. — Mox in 785 sq. manifeste vestigiis Homeri insistit, ornatis sane verbis, sed ut rei miraculo fidem parum faciat. Nam Il. ε, 4 sqq. Diomedis galea aerea, clipeus et thorax in sole coruscans non male ignem effundere narratur, idemque, etsi paullo magis in miraculum conversum, tribuit Achillis galeae Iliad. σ, 205 sqq. Virgilius expressit eum locum lib. X, 270 sqq.; hic vero, vss. 787, *tam magis illa* (Chimaera) *fremens*, etiam auxit prodigium, ut galea Chimaera ornata, furente in praelio Turno, inter motus rapidos et multiplices ita coruscet, ut Chi-

Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae.
At levem clipeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, iam saetis obsita, iam bos, 790
Argumentum ingens, et custos virginis Argus,
Caelataque amnem fundens pater Inachus urna.
Insequitur nimbus peditum, clipeataque totis
Agmina densentur campis, Argivaque pubes
Auruncaeque manus, Rutuli, veteresque Sicani 795
Et Sacranae acies et picti scuta Labici;
Qui saltus, Tiberine, tuos sacrumque Numici
Litus arant Rutulosque exercent vomere collis
Circaeumque iugum; quis Iuppiter Anxurus arvis
Praesidet et viridi gaudens Feronia luco; 800

maeram, quo magis pugna exardescat, eo magis flammas spirare dicat: motu enim crebro corporis et capitis coruscare sole adverso aeream galeam necesse est: quod transfertur ad signum Chimaerae in galea et eius naturae accommodate ornatur. Conf. Macrob. V, 13 extr. Est autem *galea crinita triplici iuba*, ἔχουσα τρεῖς λόφους, quam τρυφάλειαν dictam volunt pro τριφαλεία. — 787. *illa*, Chimaera 789 sq. In clipeo expressa Io cum Inacho: nam ab hoc ducebat genus Turnus sup. v. 371 sq. *sublatis cornibus Io* ornate pro Io cornuta. — *tollens cornua*, pro habens. Locum perquam similem laudant intpp. ex Europa, quod Moschi est Idyll. II, v. 43, 44. Reddita res ut argumentum anaglyphi. Io iam in bovem mutata, adstante custode Argo, et fluvius Inachus recubans in urna, e qua aqua se effundit. *nimbus peditum*, νέφος πεζῶν, Iliad. δ, 274 et al. *Argiva pubes* pertinet ad originem Turni et colones Argivos, qui cum Danaë ad Italiam venerant. *Aurunci* h. l. sunt qui cis Lirim habitabant. *Sicanos* int. reliquias Sicanorum, quae ad Tiberim in Rutulorum finibus consedisse videntur. Conf. XI, 317. — *Sacranas acies* confidenter satis definire non licet. Ardeatium fuisse dicuntur, dicti seu a vere sacro, cum gravi pestilentia laborante Ardeates ver sacrum diis vovissent, a quo illi orti; seu quod genus hominum fuit Matri Deum sacratum. Prius Festi auctoritas, posterius Silii versus VIII, 417 firmare videtur. — 797. *sacrumque Numici litus*: proprie ipse Numicius amnis sacer, ἱερός. — 799. Asur vel *Anxur*, Volscorum nomine Iupiter appellatus, pueri forma in numis occurrit; cum Veiove comparari solitus, de quo Ovid. Fast. III, 437 sq. Idem urbi Anxuri, mox Tarracinae nomen dedisse videtur: cuius ager h. l. per arva, *quels Iupiter Anxurus praesidet*, declarantur. Ad tertium inde lapidem *Feroniae lucus*, fons et templum. Fuit ea ex diis Latii Indigetibus, mox modo inter Nymphas relata, modo cum Iunona comparata et pro Iovis Anxuris coniuge habita. Quae Dionys. recitat lib. II, 49, p. 143 et lib. III,

Qua Saturae iacet atra palus gelidusque per imas
Quaerit iter vallis atque in mare conditur Vfens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla
Agmen agens equitum et florentis aere catervas,
Bellatrix: non illa colo calathisve Minervae 805
Femineas adsueta manus, sed proelia virgo
Dura pati cursuque pedum praevertere ventos.
Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina nec teneras cursu laesisset aristas;
Vel mare per medium fluctu suspensa iumenti 810
Ferret iter celeris nec tingueret aequore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effusa iuventus
Turbaque miratur matrum et prospectat euntem
Adtonitis inhians animis, ut regius ostro
Velet honos levis humeros, ut fibula crinem 815
Auro internectat, Lyciam ut gerat ipsa pharetram
Et pastoralem praefixa cuspide myrtum.

32, Graecanicae arguliae aunt. — *Satura palus* circa Vfentem amnem, ad paludes Pomtinas spectasse videtur, quae, viginti trium urbium solo occupato, tamen olim non tam late per agrum Pometinum ac nunc patebant. V. Cluver. p. 1003 et qui hae de regione egerunt, Adler, Maier, Nicolai al. De Saturae tamen situ nihil notum. Cf. Silius VIII, 382 sq. ubiq. Ruperti.

803. De *Camilla* v. XI, 535 sqq. Penthesileae exemplo eam poëtae ingenio esse subnatam nullus dubito. *florentes aere catervas* h. e. splendentes, fulgentes. Servius notavit Ennii et Lucretii exemplo hoc factum. Sane locus quem laudat e Lucretio (lib. V, 1441), ubi *mare florere navibus* dicitur, non tam commodus erat, quam alter lib. IV, 452: *Bina lucernarum florentia lumina flammis.* Sic ἀνθηρός, ἀνθεμόεις pro αἴθων, fulgens; τὸ ἄνθος, ἄνθεμον de fulgore auri. Vnde Pind. O. II, 132: ἄνθεμα χρυσοῦ φλέγει. — (80?. Forlasse poëtae animo obversabatur Euripid. Iphigen. Taur. 221 sq. οὐδ' ἐστοῖς ἐν καλλιφθόγγοις Κερκίδι, Παλλάδος Ἀτθίδος εἰκὼ Τιτάνειν ποικίλλουσα etc. *R.*) — 806. *sed adsueta pati praelia dura*, virgo cum esset, etc. — Velocitatis denotationem v. 808 sqq. temere reprehendunt viri docti. Nec illa utique convenit nostris sensibus; sed, cum Maro ea utereiur, a vetustate quasi per manus erat tradita; expressit enim Iliad. ν, 226-229 de equabus Erichthonii. Similiter de Euphemo Apollon. I, 179 sq. — 811. *volaret*, volasset. *Ferret iter*, docte, ut *ferre pedes*: cum alias *pedes ferant* aliquem.

812 sq. Ornate, quae simpliciter Homerus dederat: Τὸν δ' ἄρα πάντες Ἀχαοὶ ἐπερχόμενον θηεῦντο Od. β, 13; ρ, 64. *ut regius ostro velet*, sc. apud se reputans et cum miratione, memorans ut. — 814. Indutam illam puta chlamyde purpurea; is est *regius honos*, qui *velat humeros ostro*, dum ipse ex ostro est (*levis* i. e. pulchros. Quum non sit Amazon, *laevos*, quae est amici acuta coniectura, non praeferam. *R.*) Accipio *fibulam* de acu: et *Lyciam* dixit pharetram, ut solent poëtae praestantius genus designare: sic *arcus Cretici*. E *myrto* hastilia v. Ge. II, 447, et *pastoralis myrtus* de iaculo, quo pastores utuntur.

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER OCTAVVS.

ARGVMENTVM

Turnus belli signo ex Laurenti arce proposito Latii totius finitimarumque urbium sibi auxilia adiungit, et Venulus Argos ad Diomedem mittitur, ut eum periculi contagione et metu ad belli societatem impellat — 17. Quibus rebus permotus Aeneas copiarumque suarum paucitati diffidens Tiberini monitu adverso flumine in ea loca subvehitur, in quibus postea Roma condita est, Evandrique regis, qui ex Arcadia profugus in Palatino monte oppidum nomine Pallanteum condiderat, auxilium implorat — 100. Evander Aeneam, adventus eius causa cognita, benigne hospitio excipit sacrisque Herculis, quibus tum intentus erat, adhibitum causam eorum a Caci nece repetitam — 185—267, et ritus sacrificii edocet locaque eius tractus nobiliora obiter hospiti recenset — 310—369. Postridie Aeneas, equitum quadringentorum subsidio adiutus, quibus Pallas unicus Evandri filius praeerat, partem copiarum secundo flumine ad suos remittit; ipse cum reliquis Agyllam florentissimam petit Tyrrhenorum civitatem, cui cum Mezentio ob intolerandam crudelitatem regno expulso interuecina odia intercedebant — 454—519. Interim Vulcanus uxoris blanditiis adductus privigno suo arma fabricatur — 370—453, eademque a Venere ad Aeneam deferuntur: qui armorum pulchritudine delectatus cum cetera omnia tum clypeum inprimis, qui res a posteritate sua strenue gerendas habebat depictas, studiose admiratur — 520 ad f.

Etiam hic liber bello parando consumitur in primisque auxiliis arcessendis, dum Turnus per legatos Diomedem, Aeneas ipse Evandrum adit. Quae res episodio viam munit elaboratissimo de Evandro, quo fabulas veteres Italiae et origines coloniae Arcadicae in Palatino monte exponit Romanis cognitu lucundissimas. Qui autem de Aeneidis praestantia recte

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit et rauco strepuerunt cornua cantu,
Vtque acris concussit equos utque inpulit arma:
Extemplo turbati animi, simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium saevitque iuventus 5

iudicare vult, non ex nostrorum hominum huiusque aetatis ingenio iudicium facere debet, id quod importunum esset, etsi plerique ita faciunt; sed id respicere animoque assequi, quam delectationem poëtae carmina Romanis potissimum afferre poterant, quibus ille ea meditabatur. Nam origines Latii et Romae ad nostrum sensum forsan parum iucundae Romanis haud dubie esse debuerunt cognitu gravissimae; ni, qui delectationem, quae inde capi potest, aestimare velit, ante omnia ipsis illis originibus accurate cognoscendis et evolvendis operam impendat necesse sit. Quod idem ut faciat, tanto magis interpreti incumbere recte aliquis indicet. Succedit aliud episodium de armis et clipeo Aeneae, quod et ipsum ad Romanorum studia comparatum esse manifestum fit.

1. Mira res videri debet potuisse Turnum in aliena regis bellum instruere et copias parare. Talia animadvertere et poëtam reprehendere in promtu est. Sed poëta ad priscas aetates singula componere et adornare debuit, non ad sua nec ad nostra tempora. In regnis istis antiqui aevi summa rerum erat apud populum, rexque eius voluntatem seu impetum exsequebatur. Bellum adversus Troianos plebis studiis susceptum erat, renitente frustra Latino; tum ille, quod senectutis infirmitas et solitudo suadebant, rerum summam prorsus derelinquit: *Nec plura loquutus Sepsit se tectis rerumque reliquit habenas*, VII, 600; et, cum Ianus esset reserandus, Latinus *foeda refugit ministeria et caecis se condidit umbris*. Itaque Turnus succedere in partes Latini debuit: quo assumto in carminis argumentum nactus est heroem, quem ornaret poëta et quem Aeneae opponeret. Cf. dicta ad VII, 599, 600. Principium quidem libri parum splendet; repetuntur ea, quae iam satis ex libro superiore constabant; poscebat tamen oratio nexum et progressum a superioribus ad alia; narratio poëtae procedit a v. 9. *Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem*. In belli signo vexillo ex arce prodendo Romanum morem adumbrasse videri potest, qui in comitiis superstes mansit, ut vexillum in arce tolleretur; sed puto argutius hoc quam vere dici. *signum* puto per ipsa illa *cornua* va. alt. explicari. Sic VII, 513 *Pastorale canit signum cornuque recurvo Tartaream intendit vocem* (Sed *efferre signum* de cornibus vix intelligi potest. *B.*)

3. Simplicissimum est de apparatu bellico accipere: ubi Turnus equos et arma excitavit, in medium produxit, extemplo totum Latium ad bellum est inflammatum. Nam *simul* simp. est copula. *concussit*, concitavit adhuc otiosus. Aliud est, *concutere habenas equorum*. — *impulit*, movit ideoque manu tractavit et protulit. Nam *impellere arma* de percussione clipeorum

Effera. Ductores primi, Messapus et Vfens
Contemtorque deum Mezentius, undique cogunt
Auxilia et latos vastant cultoribus agros.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium et, Latio consistere Teucros, 10
Advectum Aenean classi victosque Penatis
Inferre et fatis regem se dicere posci,
Edoceat, multasque viro se adiungere gentis
Dardanio et late Latio increbrescere nomen.
Quid struat his coeptis, quem, si Fortuna sequatur, 15
Eventum pugnae cupiat, manifestius ipsi
Quam Turno regi aut regi adparere Latino.
Talia per Latium; quae Laomedontius heros
Cuncta videns magno curarum fluctuat aestu
Atque animum nunc huc celerem nunc dividit illuc, 20
In partisque rapit varias perque omnia versat:
Sicut aquae tremulum labris ubi lumen ahenis

locum non magis habere nisi in ipsa pugna arbitror, quam de auxilium commotione sive de peditibus, ὁπλίτας. De Messapo copias ex Etruriae urbibus adducente lib. VII, 691; de Vfeote 745 et de Mezentio 617 sq. iam memoraverat poëta. — 8. *vastant.* Cf. ad I, 471.

9 sqq. Ad Diomedem, qui auxilia petant, mittuntur propter communem originem Graecam, quae Turno tribuitur. V. ad VII, 367 sqq. Quae huius legationis fortuna fuerit, videbimus XI, 226 sq. Diomedis autem in Troianos, qui Troia capta profugerant eiusque irae se subduxerant, inflammatus esse debebat animus. *Venulum* ex antiqua fama adscivit poëta, quantum ex Servio colligo. — *urbs Diomedis* Argyripa est, v. XI, 246: — e v. 12, *Aenean dicere, se posci regem fatis*, destinari; VII, 272: *Hunc illum poscere fata Etruror* etc. vocabulo de fatis proprio lib. V, 707. VII, 584. — 16. *ipsi*, Diomedi, qui iam antiquus eius sit hostis.

20. Adspectu tanti per Latium motus apparatusque bellici Aeneas aliquantum commovetur animoque variis curis versato obdormiscit; a Tiberi deo per somnum monitus accipit. De verbis cf. IV, 285, 286. Al comparatio, ut omnes viderunt, sublecta est Apollonio Rhodio III, 754 sq. ornata a Marone; nisi quod motae aquae causa ex infusione recens facta in Graeco poëta non desideratur: ὕδατος ...τό ὁ' νέον ἠὲ λέβητι Ἠέ που ἐν γαυλῷ κέχυται; add. Lucretii locus IV, 212 In hac comparatione rerum observata dissimilium similitudo delectat; nec tamen minus propterea, quod animi status et affectio re sub oculorum iniuitum cadente praeclare

Sole repercussum aut radiantis imagine Lunae
Omnia pervolitat late loca, iamque sub auras
Erigitur summique ferit laquearia tecti. 25
Nox erat et terras animalia fessa per omnis
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat,
Quum pater in ripa gelidique sub aetheris axe
Aeneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit seramque dedit per membra quietem. 30
Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno
Populeas inter senior se adtollere frondis
Visus; eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, et crinis umbrosa tegebat arundo;
Tum sic adfari et curas his demere dictis: 35
O sate gente deum, Troianam ex hostibus urbem

expressa est: id quod genus comparandi suavissimum est. Aliam comparationem Homeri cum fluctibus e diversorum ventorum lucta suspensis Iliad. ξ, 16 sqq. conferant studiosi. In *imagine Lunae* argutantur interpretes, est ea pro ipsa Luna, cujus sane imago in aquae superficiem incidit ab eaque redditur. Alius, nec magis feliciter: possit verba *sub auras* calumniari, cum sequuntur *laquearia tecti*: verum poëtica formula illam subtilitatem respuit: *sub auras* est, in altum. Compara Silium VII, 142 sqq.

26 sqq. Iterum per novum visum fatalis rerum ordo declaratur: vide sup. P. I, p. 316 sqq. Noctis declaratio magnam suavitatem habet: copiosiorem ornatum IV, 522 sqq. attulit. Nuper in Lexico Homerico Apollonii Sophistae in κνώδαλον pag. 490 etiam illi Alemanem praeivisse vidimus: Εὕδουσι δ' ὀρέων κορυφαί τε καὶ φάραγγες, πρώονες ἠδὲ καὶ χαράδραι· φῦλα δέ θ', ἑρπετά θ', ὅσσα τρέφει μέλαινα γαῖα, θῆρες ὀρεσκῴοί τε καὶ γένος μελισσῶν· καὶ κνώδαλ' ἐν βένθεσσι πορφυρέης ἁλὸς εὕδουσιν δ' οἰωνῶν φῦλα τανυπτερύγων. Sub dio Aeneas obdormiit, *seramque dedit per membra quietem*: ducta loquendi forma ex altera, qua *somnus didi per corpus*, *spargi per membra*, ideoque et *quies dari per membra* dicitur. Monemus hoc, quod plerique verba tenent, causas sermonis ignorant.

31. *deus loci*, ἐπιχώριος θεός. Ripa Tiberis populis erat praelexta, quod nunc aliter se habere audimus; sed cf. inf 95, 96 et VII, 29 sqq. — 33. *tenuis carbasus glauco amictu*, glauca palla carbasina humeris vel femori fluviorum iniecta, etiam in signis veterum. Imitatorem verbosum Claudianum vide in Paneg. Olybr. (I, 214 sqq.) Adde de VI Cons. Honorii (XXVIII, 163 sqq.) — 36, 37. *Troianam ex hostibus urbem*, idem orationis color, qui in illis Aen. I, 68, *Ilium in Italiam portans*: sua stirpe et Penatibus sacrisque adductis cum re-

Qui revehis nobis aeternaque Pergama servas,
Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis,
Hic tibi certa domus, certi, ne absiste! Penates;
Neu belli terrere minis! Tumor omnis et irae 40
Concessere deum.
Iamque tibi, ne vana putes haec fingere somnum,
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, iacebit;
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati. 45
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. Nunc, qua ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis, adverte! docebo. 50
Arcades his oris, genus a Pallante profectum,

liquiis Troianorum. *revehis* propter stirpem Dardani fabulosam ex Italia. v. III, 767 sq. — 38. *exspectate* propter deorum vaticinia. vide v. 12. VI, 687. Nempe *exspectata* dicuntur quae sunt praedicta, ut in libris saeris passim; eadem dicuntur *debita*. — 41. *Concessere* h. e. resederunt. Tumeni animi ira, et ex ea iterum resident, si placantur.

42. Hoc ostentum iam Helenus vates praedixerat l. III, 388 sqq. Vide inf. v. 81 sq. — 46-48. Sententia haec est: Hic, ubi sus invenietur, aliquando urbs Alba condetur ab Ascanio, XXX annis abhinc elapsis. Est ergo: *ex quo* tempore, quando abhinc, cum aliquando, ὅτε ἐκ τούτου, τοῦ παρόντος, et uno verbo ἐξ οὗ, sc. χρόνου pro ὅτε. Tum vero *hic* non est urgendum, ut sit in loco suis inventae, sed, in his terris. Durius esset, si *ex quo* acciperes: secundum quod portentum. *clari cognominis* ab alba sue nominatam, cuius signum Lavinii ostendebatur (Varro R. R. II, 4, 18), unde Albae Longae conditores profecti sunt, sacello ibi, ubi sus inventa, condito: Dionys. I, 57 (A candore rupium, ubi stabat, urbs haud dubie nomen invenit: ut Camirus ἀργινόης ap. Hom. Il. β, 646. *R.*)

54 sqq. Rem per se incredibilem narrare ingreditur poëta, Troianis Graecos in armorum societatem esse allegendos: quod iam Sibylla praedixerat lib. VI, 97, *via prima salutis, Quod minime reris, Graeca pandetur ab urbe.* Evander cum matre Carmenta seu Nicostrata ex Arcadia profectus Pelasgos suos in loca circa Tiberim adduxit et in monte, qui inde Palatinus dictus, oppidum Pallanteum, mox Palantium et Palatium appellatum, condidit. Fuerat iam in Arcadia Pallantium pagus et inter proavos Pallas, a quo h. l. hi Arcadea orti dicuntur: *genus a Pallante*, h. e.

Qui regem Evandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum et posuere in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.
Hi bellum adsidue ducunt cum gente Latina; 55
Hos castris adhibe socios et foedera iunge.
Ipse ego te ripis et recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge age, nate dea! primisque cadentibus astris
Iunoni fer rite preces iramque minasque 60
Supplicibus supera votis. Mihi victor honorem
Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas et pinguia culta secantem,
Caeruleus Thybris, coelo gratissimus amnis.
Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus, exit. 65
Dixit, deinde lacu Fluvius se condidit alto
Ima petens. Nox Aenean somnusque reliquit.

Pallantis progenies. Idem nomen filio Evandri impertitum. Conf. Dionys. I, 31 sqq. Ovid. Fast. I, 469 sqq. Propert. IV, 1. In Evandro potuisset poëta omnia ad maiorem admirationem struere et parare, si repente Troiani in eum incidissent; Evander gente Pelasgica oriundus vix videbatur bonae spei ac fiduciae locum Troianis relinquere. Sed poëtae placuit alia ratio, ut per somnum haec denuntiaret utque propter Latinorum in advenas Arcades odia communi periculi metu Troianos et Arcades in foedus et societatem adduceret. Cf. inf. 129 sqq. — 53. *in montibus* est *in monte* Palatino (55. *Hi bellum ducunt*, non est gerunt, sed nullo anno intermittunt et inimicitias in longum trahunt. Sic Servius et Cerda. *R.*) — 57. *ripis*, intra ripas, alveo; *recto flumine*, recto fluminis itinere. — 59. *primisque cadentibus astris*, h. e. sub primum diluculum; nam poëtis sidera cursu noctis exacto occidere dicuntur. Cf. II, 8, 9. *Iunoni fer rite preces*, quod idem Helenus sedulo monuerat lib. III, 435 sqq. — 61. *victor*, omnibus ex voto peractis. — 64. *Caeruleus*. Aliqui flavus est Tiberis et luteus, ut satis notum. Cf. IX, 814. Scilicet nunc deo communem fluviorum naturam dat. *coelo gratissimus*, Σωφιλής. — 65. Circa has easdem oras surget aliquando magna urbs, Roma. Quod in vaticiniis facere mos est, res futura effertur ut praesens, *exit* pro *exibit*. — *celsis caput urbibus*, nota illa poëtica oratio pro: *caput urbium*. Tum ea urbs dicta *domus* dei Tiberini, quatenus ille in ea consecrabitur et ut deus coletur. — Mox 66 *lacus* pro profundo seu fundo fluvii ideoque pro ipso amne.

67. Aeneas expergefactus, ut visum ratum sit, precatur, ἐμὲ γλυκὺς ὕπνος

Surgit et aetherii spectans orientia Solis
Lumina rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit ac talis effundit ad aethera voces: 70
Nymphae, Laurentes Nymphae, genus amnibus unde est,
Tuque, o Thybri tuo genitor cum flumine sancto,
Adcipite Aenean et tandem arcete periclis.
Quo te cumque lacus miserantem incommoda nostra
Fonte tenet, quocumque solo pulcerrimus exis, 75
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum:
Adsis o tantum et propius tua numina firmes!
Sic memorat geminasque legit de classe biremis
Remigioque aptat; socios simul instruit armis. 80
Ecce autem, subitum atque oculis mirabile monstrum,
Candida per silvam cum fetu concolor albo
Procubuit viridique in litore conspicitur sus:
Quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxuma Iuno,
Mactat sacra ferens et cum grege sistit ad aram. 85

ἀνέσχεν Hom. — 69. *rite undas sustulit*, manus lavit ut precaturus. — 71. *genus amnibus unde est*: quatenus Nymphae fontium, qui fluvios faciunt, sunt deae. Alias poëtae aliter, ut Nymphae sint fluviorum deae ac filiae. *arcete periclis*, h. l. liberate, finem laborum, inprimis in hac mea navigatione, facite; pro vulgari *arcere pericula ab aliquo*. — 74, 75. Quocunque loco fontem habes. Expressit Statius IV Theb. 832, *quacunque domo gelida ora resolvit* etc. *lacus* v. vs. 66. Sedes ac regia fluviorum in fontibus est: cf. ad Ge. IV, 319. Propter aquas in fonte collectas et scaturientes *lacus fontis*, ut *stagna fontis*, dici potest. Inde nunc: quicunque fons tenet te, mutatum in: quaecunque fontis aquae, et hinc, quocunque fonte aqua seu lacus tenet te. — 75 ad formam Odyss. λ, 237, 238 structus est, ubi de Enipeo Thessaliae: ὃς πολὺ κάλλιστος ποταμῶν ἐπὶ γαῖαν ἵησι (*corniger*, epitheton desumtum ex fluvii impetu cum bovis saevitia comparato: unde Oceanus ap. Eurip. Orest. 1386 ταυρόκρανος audit. *R.*) — 78. *tua numina*, tuum monitum per somnum et promissum. — 80. *armis* proprie. Cf. v. 93.

81. Res nova et insolita offertur: vide modo ad v. 42. Copia orationis in v. 82, 83: *Candida... concolor cum fetu albo; Procubuit ... conspicitur-que ... per silvam ... in litore*: parum placet, nisi memineris poëtam sic prodigium alte animis oculisque infigere velle. — Mox 84 *enim* asseverative, ut *vero*, pro *utique*, σοί γε δὴ·

Thybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit et tacita refluens ita substitit unda,
Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis
Sterneret aequor aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum celerant; rumore secundo 90
Labitur uncta vadis abies; mirantur et undae,
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virum, fluvio pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant
Et longos superant flexus variisque teguntur 95
Arboribus viridisque secant placido aequore silvas.
Sol medium coeli conscenderat igneus orbem,

nec vacat, quod putant grammatici. — 87. Potest sane iungi: *ita ut*. Sed fortasse magis poëticum, *ita substitit*: eo modo: sic ut erat, cum ita factum esset, fere sic I, 226, 227. Sequitur: *ut* ideo *mitis* etc.

90. *rumore secundo*, optime secundum Guellium et Gronov. Obss. II, 17, quibus Donatus praeivit, interpretabitur de murmure aquae carina et remis percussae, qua navis a puppi propellitur, ideoque omnino de motu aquae *secundo*, prospero; X, 687: *Labitur alta secans fluctuque aestuque secundo*; ut sit dictum pro: *cursu secundo*; etsi adverso amne. Cic. de Div. I, 16 e vetere poëta: *Solvere imperat secundo rumore adversaque avi*, et Auson. Mosella v. 22: *inter labentis tacito rumore Mosellae*. Ex ceteris rationibus saltem illa tolerabilis est, ut seu de celeusmate remigum accipiatur, seu de plausu et acclamationibus sociorum bona vota facientium, ut V, 338. — v. 91. *unctam* pice *abietem* ab Ennio accepit. — 93. *carinas pictas*: ut V, 663 *pictas abiete puppes*, μιλτοπάρηοι. — 94. *remigio noctemque diemque fatigant*, non *se remigando*, quod prosaicum esset; sed est epica audacia. *Coelum clamore*, *silvas venatu* (IX, 605), *nivem cursu*, *amnem remis fatigare* passim in poëtis occurrit. Est scilicet proprie *fatim agere*, valde, crebro movere, tractare, agitare: hinc omnino in re aliqua versari vel eam frequentare, ea multum vel nimium uti. Cf. ad Aen. I, 280, *terrasque metu caelumque fatigat*. Sic *Martem fatigant* VII, 582, hoc est flagitant. Simili modo *quatere*, *movere*, *impellere silvas*, *exercere*. Porro poëtae tempori tribuunt tamquam actum ab eo id, quod in tempore fit: Sic *noctem produci*, *diem frangi* ideoque etiam *fatigari* dicunt; X, 807 *diem exercere*. Propertius lib. IV. Eleg. 11, 81: *Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges*. Redit ita utique forma haec tandem eo, ut *fatigare* sit *consumere*, *exigere*. — 96. *placido aequore*, alveo fluvii, *secant silvas*, navigant inter ripas silvis consitas, quibus prima aetate ripae extremi Tiberis abundabant. — 97. Ἡμος δ' Ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει. Il. Θ, 68 et al.

Quum muros arcemque procul ac rara domorum
Tecta vident, quae nunc Romana potentia coelo
Aequavit; tum res inopes Evandrus habebat. 100
Ocius advertunt proras urbique propinquant.
Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadae magno divisque ferebat
Ante urbem in luco. Pallas huic filiùs una,
Vna omnes iuvenum primi pauperque senatus 105
Tura dabant, tepidusque cruor fumabat ad aras.
Vt celsas videre rates atque inter opacum
Adlabi nemus et tacitis incumbere remis,
Terrentur visu subito cunctique relictis
Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas 110
Sacra vetat raptoque volat telo obvius ipse
Et procul e tumulo: Iuvenes, quae caussa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis an arma?
Tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta, 115

102 sqq. Egregia carminis oeconomia, qua belli cum Latinis gesti argumento per se tenui et pauperi copiam rerum et narrationum conciliat poëta. Offendit Aeneas Evandrum sua sacra facientem Herculi; rerum species obiicitur augusta religionibus et hominum saeculique simplicitate placens. Eadem v. 185 sqq. adducit episodium de caeso ab Hercule Caco, tamquam sacri instituti causa et origine. Obversatum esse in omnibus his poëtae animo locum Odyss. V, 32 sqq., ubi Telemachus in Nestorem sacra facientem incidit, negari nequit; etiam ex Pisistrato Nestoris filio Pallas subnatus. Ad talia attendendum est ei, qui de sex posteriorum Aeneidis librorum praestantia et de poëtae ingenio pronuntiare vult; ne argumenti inopia fraudi sit ingenio et arti poëtae. — 103. Herculi cum ceteris diis. V. Serv. — 105. *pauper senatus*. Explicuit Silius I, 609, *castaque beatos Paupertate Patres*. Conf. eund. VI, 631 sqq. — 108. *tacitis remis*, nullum aquarum strepitum in amni placido facientibus. — 111. *Sacra* sunt h. l. eaedem quae modo *mensae*: scilicet epulae sacrae, quas peracto iam sacrificio celebrabant quasque mox instaurant v. 172, 175. *vetat*, quia nefas eas turbari, interrumpi et omitti, ut iterum inf. vs. 173. — 114. Τίνες (κατὰ) τὸ γένος; comparant Odyss. α, 170 et al. vulgo: quo genere, qua gente estis? — 115. *puppi*. Scilicet, cum v. 101 *proras advertissent*, ut ad litus accederent, nox navi inhibita et

Paciferaeque manu ramum praetendit olivae:
Troiugenas ac tela vides inimica Latinis,
Quos illi bello profugos egere superbo.
Evandrum petimus. Ferte haec et dicite, lectos
Dardaniae venisse duces, socia arma rogantis. 120
Obstupuit tanto percussus nomine Pallas:
Egredere o, quicumque es, ait, coramque parentem
Adloquere ac nostris succede penatibus hospes!
Excepitque manu dextramque amplexus inhaesit.
Progressi subeunt luco fluviumque relinquunt. 125
Tum regem Aeneas dictis adfatur amicis:
Optume Graiugenum! cui me Fortuna precari
Et vitta comtos voluit praetendere ramos,
Non equidem extimui, Danaum quod ductor et Arcas

in puppim retroacta remisque acta puppim obvertebant litori.

117. *tela inimica Latinis*, h. e. se cum Latinis bellum facientes, memorat propter v. 55: *Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina.* Hinc quoque metus conspectis viris armatis maior esse debuit. v. 109. Graviter et illud: *Quos illi profugos egere*, cum Latini tantum nollent sedem Troianis in suo agro concedere; gravius invidiae causa additur *superbo* bello, ipsi superbi, superbe, ὑβριστικῶς. — 119. *ferte haec*, non ad ramum cum Servio et aliis referendum; sed, nuntiate. — 124. *dextramque amplexus inhaesit* pro dextram amplexus est eique inhaesit (ex Homerico: ἓν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρὶ) et hoc pro simplici: manum prehendit: cf. 558, 559. At Burm. *dextram amplexus* et *inhaesit* sc. cervice vel alia corporis parte.

127. Magna cum arte argumenta foederis iungendi repetit a cognatione, tum a communi utilitate. *cui precari*, antiquam et exquisitam orationem captavit poëta pro: cui supplicare, ἱκετεύειν. — 128. *comtos* simp. pro ornatos. A religione ritum ἱκετηρίας ductum esse manifestum fit e vittis seu infulis laneis obvolventibus ramum oleagineum, cuius usus erat cum in sacris tum in lustratione et expiatione. Ideoque is, qui praeferebat, ἱκέτης, supplex factus, aut crimen expiare se et culpam deprecari velle symbolice et religiose significabat, aut simpliciter per sacra et deos se supplicare testatum faciebat. Hinc omnino foederis, pacis et legationis symbolum est factum (Simplicissima via ad hunc ritum rudiores homines pervenisse videntur, quum ramo quocunque arrepto inermes se esse nec quidquam hostile meditari, quid, quod auxilio indigere prae se ferrent. Sic Iac. Cookius, R. Forsterus aliique itinerum ad gentes rudiores Americae etc. descriptores rem se adhuc habere tradiderunt. Religio apud Graecos accessit. *R.*)

Quodque ab stirpe fores geminis coniunctus Atridis; 130
Sed mea me virtus et sancta oracula divom
Cognatique patres, tua terris didita fama
Coniunxere tibi et fatis egere volentem.
Dardanus, Iliacae primus pater urbis et auctor,
Electra, ut Graii perhibent, Atlantide cretus, 135
Advehitur Teucros: Electram maxumus Atlas
Edidit, aetherios humero qui sustinet orbis.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenae gelido conceptum vertice fudit;
At Maiam, auditis si quidquam credimus, Atlas, 140
Idem Atlas generat, coeli qui sidera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
His fretus non legatos neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi: me, me ipse meumque

130. *ab stirpe geminis coniunctus Atridis*. Vtrumque genus a Iove ducebatur; tum ab Atlante; nam a sororibus, Atlantis filiabus, et Evander et Atridae oriundi erant. Ab iisdem Atlantis filiabus, Pleiadas vocant, cognatio altera v. 134 sqq. inter Evandrum et Aeneam deducta: nam Dardanus Electra et Iove natus, Evander autem Mercurii, cui Maia mater, filius perhibebatur. V. Dionys. I, 31. Praeclare autem et ingeniose poëta hac generis coniunctione utitur ad causas amicitiae inter Evandrum et Troianos serendas. — 131. *mea virtus* resplcit illud *non extimui*, confidentia et animi fiducia ex meae virtutis conscientia, quam eandem confido apud te loco aliquo et auctoritate habitum iri. *Oracula divom* a Sibylla accepta: v. VI, 96, 97. *cognati patres*, per Atlantis filias; Dardanus a Iove et Electra, Mercurius a Iove et Maia natus, ut modo vidimus utque mox disertius narrat. *coniunxere*, h. e. adduxere me, ut me tibi adiungere studeam.

134. *Dardanus*. Cf. omnino lib. III, 167 sq. et VII, 206 sqq. — 136. *advehitur Teucros* h. a, ad Teucros; adit Troadem, quam Teucer tum tenebat; Dardanus ibi Dardanum urbem condidit, Ilus autem filius Ilium; hactenus igitur poëta dicere potuit: *Iliacae primus pater urbis et auctor*.

143, 144. Praeclari versus, Hunc amo amplectorque Aeneam! Iunga: *non pepigi tentamenta tui prima per legatos neque per artem*; non prius te tentavi per legatos et callida consilia, *pangere* h. l. non est paciscl, sed figere, constituere, facere; ex eo, quod *pangi*, figi dicuntur ea, quae decreta sunt, etiam pacta, *per artem* ad consilia cauta et callida spectare, quibus alterius voluntatem vel exploramus vel captamus, quis non videat? Burm. lamen eo devenit, ut *per epistolam* interpretaretur. — *meum obicoi caput*. Etiam Gr. Ἐμὸς

Obieci caput et supplex ad limina veni. 145
Gens eadem, quae te, crudeli Daunia bello
Insequitur; nos si pellant, nihil afore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitus sua sub iuga mittant
Et mare, quod supra, teneant, quodque adluit infra.
Adcipe daque fidem. Sunt nobis fortia bello 150
Pectora, sunt animi et rebus spectata iuventus.
Dixerat Aeneas. Ille os oculosque loquentis
Iam dudum et totum lustrabat lumine corpus.
Tum sic pauca refert: Vt te, fortissime Teucrum,
Adcipio adgnoscoque libens! Vt verba parentis 155
Et vocem Anchisae magni voltumque recordor!
Nam memini Hesionae visentem regna sororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protenus Arcadiae gelidos invisere finis.
Tum mihi prima genas vestibat flore iuventa; 160
Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum
Laomedontiaden; sed cunctis altior ibat
Anchises. Mihi mens iuvenali ardebat amore
Conpellare virum et dextrae coniungere dextram:
Adcessi et cupidus Phenei sub moenia duxi. 165

γὰρ παρθέμενοι κεφαλὰς Od. β. 247 et ψυχὰς παρθέμενοι Od. γ, 74 et al. Quintus Cal. XII, 63, κάρτιστοι δὲ τότ' ἄνδρες ἐπὶ μόθον, ὁππότε θυμὸν παρθέμενοι στυνόεντος ἀφειδήσουσιν ὀλέθρου. Cum contemta morte animas obiiciunt viri, plurimum valent viribus in pugna. — *gens Daunia*, Rutuli sive à patre Turni, Dauno X, 616-688, sive a vetere illo Dauno Apuliae conditore, a quo ea Daunia dicta. Ad sententiam cf. v. 35 supra. — 150. *Accipe daque fidem foedusque feri bene firmum.* Ennius Ann. I, apud Macrob. VII, 1, p. 572.

157 sqq. Hoc vero ingeniosum et elegans est poëtae commentum, quo Priamum fingit Salaminem Hesiones sororis Telamoni Herculis sodali nuptae visendae causa hincque Arcadiam adiisse, ut Evander eius notitiam habere posset. Sane quidem, qui Homerum legerit, facile is in hoc commentum incidat; nam et is recordationem priscorum hominum et rerum ex prisco hospitio repetit, v. e. Il. γ, 205 sqq. et aliis locis; sed facere hoc debito loco ac tempore, id vero est quod ingenium poëtae commentare debet. — 160. *vestibat flore*, πύκασεν. A Marone sumserunt multi. Cf. Cerda. Fundus in Homero Od. λ. 318, 319. — 165. *Pheneum* (ὁ et ἡ Φενεός est) posuit priscam Arcadiae

Ille mihi insignem pharetram Lyciasque sagittas
Discedens chlamydemque auro dedit intertextam
Frenaque bina, meus quae nunc habet, aurea, Pallas.
Ergo et, quam petitis, iuncta est mihi foedere dextra;
Et, lux quum primum terris se crastina reddet, 170
Auxilio laetos dimittam opibusque iuvabo.
Interea sacra haec, quando huc venistis amici,
Annua, quae differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum et iam nunc sociorum adsuescite mensis.
Haec ubi dicta, dapes iubet et sublata reponi 175
Pocula gramineoque viros locat ipse sedili;
Praecipuumque toro et villosi pelle leonis
Adcipit Aenean solioque invitat acerno.
Tum lecti iuvenes certatim araeque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratae Cereris Bacchumque ministrant. 181
Vescitur Aeneas, simul et Troiana iuventus,
Perpetui tergo bovis et lustralibus extis.

urbem (Il. β, 605) passimque in fabulis, Herculis maxime, memoratam, ut sedem maiorum.

166. Ex noto ritu τῶν ξενίων, munerum hospitalium, Iliad. ζ, 219 et al., ex quorum pretio et arte tanto maior honos accrescebat ei, qui ea acceperat. — 167. *chlamydem intertextam auro:* vulgare est *auro intertexto*, quod et h. l. haud pauci boni codd. mscr. habent; et ferri hoc potest ut vetustum; decet enim carmen epicum ὁ τῆς ἀρχαιότητος πίνος, aliquid prisci roboris. — 171. *opibusque:* *auxilium* et *opes*, h. e. ea, quibus ad bellum gerendum Troiani instrui et ornari poterant. — 172 sqq. Color similis narrationis Odyss. γ, 31 sqq. et iterum δ, 48 sqq.

177. Epulis sacris hospites adhibet Evander, iisque finitis causam sacri memorat. Nolim iungere *praecipuum toro*, quod impedit reliqua; sed *accipit praecipuum:* reliquos Aeneae socios in gramine collocat, Aeneam autem, praecipuum et principem inter eos, collocat in solio ex acere, cui torus est impositus pelle leonis iostratus. Cf. inf. 367, 368. — *invitat solio*, ad solium, ut tot alia, v. c. *moenibus* IX, 676. — 179. *arae sacerdos:* non enim templum erat Herculis, sed ara maxima dicta. Cf. Inf. 269-272. — 181. Onerant canistra donis *laboratae Cereris*, frumenti πεπονημένου pro ἐκπονηθέντος, elaborati, labore confecti panis. *Viscera* autem sunt pro carnibus. — 183. *Perpetui tergo bovis* expressit Homericum Νῶτα δινωτὴ, Iliad. η, 312. Odyss. ξ, 437, ubi

Postquam exemta fames et amor conpressus edendi,
Rex Evandrus ait: Non haec sollemnia nobis, 185
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio veterumque ignara deorum
Inposuit: saevis, hospes Troiane, periclis
Servati facimus meritosque novamus honores.
Iam primum saxis suspensam hanc adspice rupem: 190
Disiectae procul ut moles desertaque montis
Stat domus et scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit vasto submota recessu,
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inaccessam radiis; semperque recenti 195

Aiax et Vlyssea eodem modo praecipuae portionis honore excipiuntur. — *lustralibus extis.* Multa perperam Serv. et alii; sed aliter accipi exta vix possunt, quam quod eorum usus aliquia praecipuus in lustrationibus erat: non quidem tum; nam heroicis temporibus exta, ut l. l., in epulis sacris apponebantur; sequentibus tamen aetatibus, quibus exta inspecta sunt et in aris cremata. A Romanis autem exta immolari solita esse, etiam in sacris expiatoriis, satis constat: v. c. in Fordicidiis Ovid. Fast. IV, 637, 638 sq. *Lustralem facem* et similia comparat quoque Barth. ad Stat. Theb. I, 507.

184. *amor edendi.* Quis non videt Homericum ἔρον ἐδητύος? cf. I, 216. — 187. *veterum ignara deorum superstitio*, religio, deserens, relinquens priscorum deorum cultum et *vana*, temere innovata, nullo certo animi iudicio. — 189. *novamus* dictum de sacro anniversario. Sacrum igitur fit Herculi Servatori, Σωτῆρι, Ἀλεξικάκῳ. Cum his verbis monstrat rupem saxis suspensia, quorum para disiecta iacebat et longe provoluta, cum ruinis antri.

193 sqq. De Caco fabula Italorum domestica fuit: ornata a poëtis Romanis variis modis. Conferantur Ovid. Fast. I, 543 sqq. Propert. IV. El. 9. Liv. I, 7: qui locus huic nostro haud absimilis. Dionys. I, 39. Traxere ex Virgilio suas descriptiones, Amycl Valerius Fl. IV, 177 sqq. et serpentis ad Bagradam a Regulo occisi Silius VI, 146 sqq. Vt autem poëta pro episodio fabulam adhibere posset, veniam dabat carminis consilium Romanorum originibus et nomini consulturi. Nam a Caco interemto sacri Herculi ad *Aram Maximam* fieri soliti origo repetita. Cf. inf. 269 sq. Liv. l. l.

194. Interpungitur: *Semihominis Caci facies quam dira tenebat*, ut sit *facies Caci* pro monstro Caci. cf. inf. 298. VI, 575 et Burm. h. l. ideoque pro vulgari: Cacus dira facie, monstrum. Vt alii interpungunt: *Semihominis Caci; facies quam dira tenebat*, sententia est: *cuius speluncae facies erat dira.* Quod poëta ornatius

Caede tepebat humus, foribusque adfixa superbis
Ora virum tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Volcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignis magna se mole ferebat.
Adtulit et nobis aliquando optantibus aetas 200
Auxilium adventumque dei. Nam maxumus ultor,
Tergemini nece Geryonae spoliisque superbus,
Alcides aderat taurosque hac victor agebat
Ingentis; vallemque boves amnemque tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inausum 205
Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,
Quatuor a stabulis praestanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante iuvencas:
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Cauda in speluncam tractos versisque viarum 210
Indiciis raptos saxo occultabat opaco.
Quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea, quum iam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta abitumque pararet,
Discessu mugire boves, atque omne querelis 215
Inpleri nemus et colles clamore relinqui.

extulit: *quam facies dira tenebat.* — 196. *superbis* Maroni est saevus, atrox. — 199. *magna se mole ferebat*, simpl. ad habitum corporis vastamque speciem refero, pro *incedebat*; sed assumsit notionem vasti corporis; id quod ad ἐνάργειαν facit.

202. Cf. lib. VII, 661 sqq. Herculis nomen variis Italorum fabulis implicuit antiquitas; et peragratae ab Hercule Italiae vestigia ubique ostentabant. — 208. *Avertit*, abigit, ut I, 527; tum *intractatum*, pro vulgari: intentatum; nam iunctum τῷ *inausum*. — *a stabulis*, a pascuis, in quibus procubuerant: ut αὐλή. Iterum sic v. 213. — 209, 210. Hoc a Mercurii furtis adumbratum. V. Homer. Hymn. in Mercur. v. 69 sqq. 75, 76. *versa viarum indicia* sunt vestigia pedum, *ferebant*, se ferebant. — 216. Herculem cum armentis puta progressum iam ab altera montis parte processisse. *colles clamore relinqui*, h. e. superari boum mugitu: ut bene Burm. exposuit; ita ut ultra colles procederet mugitus et usque ad Caci speluncam in altera montis parte perveniret. Ita passim *relinquimus* eum, quem superamus, in primis cursu, et *loca relinquimus*, per quae transimus, ad ulteriora pergendo, ideoque clamor

Reddidit una boum vocem vastoque sub antro
Mugiit et Caci spem custodita fefellit.
Hic vero Alcidae furiis exarserat atro
Felle dolor; rapit arma manu nodisque gravatum 220
Robur et aetherii cursu petit ardua montis,
Tum primum nostri Cacum videre timentem
Turbatumque oculis. Fugit ilicet ocior Euro
Speluncamque petit; pedibus timor addidit alas.
Vt sese inclusit ruptisque inmane catenis 225
Deiecit saxum; ferro quod et arte paterna
Pendebat, fultosque emuniit obiice postes:
Ecce furens animis aderat Tirynthius omnemque
Adcessum lustrans huc ora ferebat et illuc,
Dentibus infrendens. Ter totum fervidus ira 230
Lustrat Aventini montem; ter saxea tentat
Limina nequidquam; ter fessus valle resedit.
Stabat acuta silex, praecisis undique saxis,
Speluncae dorso insurgens, altissima visu;
Dirarum nidis domus opportuna volucrum. 235
Hanc, ut prona iugo laevum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit et imis
Avolsam solvit radicibus; inde repente
Inpulit: inpulsu quo maxumus insonat aether,
Dissultant ripae refluitque exterritus amnis. 240

relinquit alios montes, quos superat. Haec tamen ratio dura est. Praestat cum Servio accipere: *colles relinqui* a bubus discedentibus cum *clamore*. Sic I, 519, *et templum magno clamore petebant*, quidni et relinquebant? — 219, *furiis*, per furias, iram. — 220. *arma* sunt ipsa clava, de qua sqq.

226. *ferro et arte paterna*, catenis ferreis a Vulcano elaboratis suspensum erat saxum, quod demisit et aditum obstruxit, *postes fultos emuniit*, ornate pro muniit fores, *obiice*, saxo illo obiecto pro obice: quod idem v. 231 *saxea limina*. Catenas ferreas ab usu istius saeculi alienas bene temperavit poëta adiecta artis Vulcani memoratione. — 236, 237. Stabat saxum, sed prominens, πρηνής, ἐπιῤῥηπής, in tergo antri versus Tiberim et in ripa ita situm, ut ad laevam ei amnis esset: huic ex adverso, ita ut ripa dextra ei esset, stetit Hercules et saxum labefactavit, ut in amnem prolapsum

At specus et Caci detecta adparuit ingens
Regia, et umbrosae penitus patuere cavernae:
Non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes et regna recludat
Pallida, dis invisa; superque immane barathrum 245
Cernatur trepidentque inmisso lumine Manes.
Ergo insperata deprensum in luce repente
Inclusumque cavo saxo atque insueta rudentem
Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
Advocat et ramis vastisque molaribus instat. 250
Ille autem (neque enim fuga iam super ulla pericli)
Faucibus ingentem fumum mirabile dictu!
Evomit involvitque domum caligine caeca
Prospectum eripiens oculis, glomeratque sub antro
Fumiferam noctem conmixtis igne tenebris. 255
Non tulit Alcides animis seque ipse per ignem
Praecipiti iniecit saltu, qua plurimus undam
Fumus agit, nebulaque ingens specus aestuat atra.

rurrel. — 242. *regia* ut de Aeoli antro *aula* lib. I, 140. Ornavit autem Ennianum versum: *Tum cava sub montem late specus intus patebat.*

243 sqq. Ex Il. ν, 61 sqq. esse adumbratos versus monitum satis post Macrob. V, 16. Illud addam: Homerica esse longe graviora, quod ibi inter effectus pugnae deorum numeratur hoc, quod Maro tantum in comparatione posuit. Statius hinc Theb. VII, 815: Amphiarao a terra hausto: *ecce altr praeceps humus ore profundo Dissilit, inque vicem tremuerunt sidera et umbrae.* — 245. *Dis invisa*; argutatur Burmannus post Ruaeum et alios, cum interpretatur non visa, ut *invisus* lib. II Aen. 574. Sed in loco Homerico, quem poëta expressit, v. 65, satis manifesta sunt οἰκία... τά τε στυγίουσι θεοίπερ, h. e. *abhorrent, aversantur*, δεδοίκασι. Mox *super* est desuper. — 248. *insueta rudentem*, insolito et horrendo more vociferantem. Frequens et obvius apud poëtas est usus vocum talium a clamore animalium traductarum. Cf. Ernesti ad Callim. hymn. in Del. 56, ubi et nostri loci memor fuit. *molaribus* simpl. pro grandibus saxis; sic μύλακες Il. μ, 161; et *rami* quoque pro stipitibus et truncis. Non de clava cogitandum erat, secundum molares. Ovidius l. c. Fast. I, 570: *Remque ferox saxis stipitibusque gerit.*

256. *animis*, prae ira, ut 228, *furens animis*. — 257. *undam*, ut Ge. I, 472, *undantem ruptis fornacibus Aetnam*. Ornate omnia. — 258. *nebula specus aestuat*: fumus in specu aestuat instar

Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Conripit in nodum conplexus, et angit inhaerens 260
Elisos oculos et siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revolsis;
Abstractaeque boves abiurataeque rapinae
Coelo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur. Nequeunt expleri corda tuendo 265
Terribilis oculos, voltum villosaque saetis
Pectora semiferi atque exstinctos faucibus ignis.
Ex illo celebratus honos, laetique minores
Servavere diem, primusque Potitius auctor
Et domus Herculei custos Pinaria sacri. 270
Hanc aram luco statuit, quae Maxuma semper
Dicetur nobis et erit quae maxuma semper.
Quare agite, o iuvenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas et pocula porgite dextris

aquae ebullientis assurgens et in auras se evolvens (nam aestuat mare, ignis, nunc fumus); est ergo: qua specus parte densissimus est fumus — 260, 261. Elidit fauces Caci arto brachiorum nodo constricti, more Herculis, quo leo et Antaeus fuit occisus: aliter Propert. IV, 9, 25 cum Ovid. I Fast. 576, ubi clava interimitur Cacus. *in nodum* doctius quam per nodum, nodo. *complexus corripit*, arreptum complectitur; tum angit faucibus compressis sic, ut elidantur ora deficiatque sanguis in venis gutturis contracti. — 263. *abiuratae rapinae*; respicit epitheton rem supra non memoratam, sed intellectu facilem: Cacum periurio negasse se boves apud se habere. — 265. Cf. Il. χ, 269 sqq.

268. Hinc sacrum in honorem Herculis celebrari coepit, quod posteri traditum servarunt, ita ut adhuc anniversarium sollenne agamus. — 269 sq. cf. sup. ad v. 193 sq. Narrata res est a Liv. I, 7 et IX, 29. Dionys. I, 39. Propert. IV, 9, 67, 68. Tacito Ann. XI, 11. — 270. *custos*, antistes, quae curaret sacrum. *domus Pinaria* pro Pinario s. Pinariis. — 271. Est haec *ara maxima*, de qua magna est disputatio, cum de loco, tum de nomine Ovid. Fast. I, 582. *Constituitque sibi, quae Maxima dicitur, aram, Hic, ubi pars Urbis de bove nomen habet.* Diversa tradit Dionys. Hal. I, 39 extr. p. 31. *statuit* Hercules.

273. *tantarum in munere laudum.* Burmannus aliique lib. V, 652 huc vocant, ubi *munus* pro sacro positum est. *Laudes* dicuntur poëtis pro virtutibus et strenue factis, ergo *in munere laudum* est cum Servio accipiendum: in honorem tanti facinoris, quo de nobis meruit Hercules. Conf. sup. 185-189. — 274. Sequitur locus de libatione. *Porgite*; non, secundum

Communemque vocate deum et date vina volentes.[275]
Dixerat, Herculea bicolor quum populus umbra
Velavitque comas foliisque innexa pependit,
Et sacer inplevit dextram scyphus. Ocius omnes
In mensam laeti libant divosque precantur.
Devexo interea propior fit Vesper Olympo: [280]
Iamque sacerdotes primusque Potitius ibant
Pellibus in morem cincti flammasque ferebant.
Instaurant epulas et mensae grata secundae
Dona ferunt cumulantque oneratis lancibus aras.

Servium, ut alter alteri ex ordine poculum praebeat aut omnibus famuli; sed, quod libatio fit mani esporrecta et prolato poculo: proferte, in altum tollite. Mox idem: *date vina*, effundite. *Communem deum* Troianis et Arcadibus, communi foedere iunctis, hospitibus et amicis. Vid. vss. 172, 173, 174. Sic accipiendum cum Donato; aliena multa cumulant Servius et interpretes. Inf. XII, 448: *Rutulique viri Teucrique In medioque focos et dis communibus aras Gramineas* parabant. — 276, 277. Cum his dictis imposuit sibi Evander coronam populeam et pleno poculo vinum libavit. Cum Romani sacrum facientes capite essent velato: v. III, 403 sq. Herculi sacrum fiebat Graecanico ritu, teste Livio I, 7, qui ab Evandro ita institutum esse ait. Itaque nunc caput cinxit *populea* corona, quod *populus Alcidae gratissima* et quidem *alba*; hoc norunt omnes; *bicolor* tamen, variante scilicet candore in foliorum frontibus et tergis. Populo successit usus lauri in sacro Herculis. V. Serv. Macrob. Sat. III, 12 et Cerdam. — 278. *scyphus* dictus proprie h. l. in re Herculi sacra; notante Macrob. V, 21.

280. *devexo Olympo*, coelo, circumacto motu diurno, inclinante se, ut II, 250: *Vertitur interea coelum et ruit Oceano Nox*. Haec et sqq. ad mensas secundas atque aden ad bellaria convivantium referunt interpretes: quod pro temporum heroicorum ratione nullo modo fieri posse arbitror, in primis libatione modo facta; sed religiosum ritum describi arbitror, quo sub vesperam sacrum et in hoc a sacerdotibus ignis in ara instauratur, in ignem mittuntur partes victimae cremandae, aliae partes in epulis sacris adponuntur et ad aram saltatio cum hymno instituitur. Certe sacerdotes *flammas ferebant*, *cumulant aras*: tum Salii ad cantum circa aram saltant: *incensa altaria circum*. Ergo et reliqua eodem referenda, et inter instauratum saltem sacrum epulas quoque instauratas fuisse dicendum; quas easdem inusitato more per *mensam secundam* seu *mensae secundae dona* declarat. Fatendum tamen, ne sic quidem vss. 283, 284 sensu et structura satis congruere; ut eos unudum cum ceteris coaluisse intelligas, quia manus secunda desideratur, utque eos melius abfore existimes — *pellibus cincti*. Mos antiquus mansit in Lupercis ex vita

Tum Salii ad cantus incensa altaria circum 285
Populeis adsunt evincti tempora ramis,
Hic iuvenum chorus, ille senum: qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt: ut prima novercae
Monstra manu geminosque premens eliserit anguis;
Vt bello egregias idem disiecerit urbis, 290
Troiamque Oechaliamque; ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo fatis Iunonis iniquae
Pertulerit. Tu nubigenas, invicte, bimembris
Hylaeumque Pholumque manu, tu Cresia mactas
Prodigia et vastum Nemeae sub rupe leonem. 295

antiqua, qua pellibus incincti incedebant homines. — *onerati lancibus* ad tuis copiam refert Cerda; sane lus etiam lance apportabatur, non modo acerra. Cf. Ovid. IV Pont. 9, 33. Servius exta l. l. lancibus apponi ait: idque sequi praestat. Instauratas epulas vidimus supra lib. VII, v. 133 crustis iam comesis: *Nunc pateras libate Iovi* et 116 *Certatim instaurant epulas*, ubi *epulae* videri possunt de sola libatione dictae esse. Ita convenit locus Od. γ, 388 sqq., ubi Nestor domum redux de sacro cum suis assidet et libationem facit: nulla epularum repetitarum mentione facta.

285. *Salii* apud Romanos Martis erant sacerdotes ex Numae instituto, ut creditum fuit. At h. l. poëta Herculi Salios assignat, quandoquidem in vetere Latio Saliorum nomen commune sacerdotum fuisse videtur a saliendo; quoniam olim omnis res sacra cum tripudio et cantu coniuncta erat; cf. Servius. Haeserant in hoc iam veteres. V. Macrob. III. Sat. 12. — *Chorus* 287 est tuba saltationum et canentium circa aram, chorus περιβώμιος et ἐγκύκλιος, et carmen dixeris esse ὑπορχηματικόν. — Quae sequuntur v. 288 sqq., hymnorum veterum in Herculem argumenta sunt, oratione a poëta praeclare in hymni formulam conversa V. 293 sqq., ut ipsa narratio dramatis naturam induat. Cf. ad ea Apollod. II, 5. — 289. V. supra v. 264. Elidebantur *oculi*, alibi *fauces*, tum *anima*, nunc, anima elisa, ipsi *angues*. *Oechaliam* seu Messeniae seu Euboeae, denegata a patre Eurytio Iole. — 291. Cf. Iliad. Θ, 393. τ, 133. Od. λ, 620. — *fata Iunonis* infestae aiunt esse voluntatem: sic Serv. et alii. Accipio de fatis, quae Iunonis odium fecerat. Sic IX, 135, *Sat fatis Venerique datum*. Fatale enim erat, ut Hercules Iunonis ira tot labores perferret, ita ut ne Iupiter quidem iis exsolvere eum et liberare valeret. — Suavis conversio ad secundam personam v. 293. obvia tamen in poëtis, ut in Horat. II, od. 19, 13, etiam recentioribus, v. c. in Miltono *P. L. B.* IV, 1720 sqq. *nubigenas Hylaeum Pholumque* Centauros, v. Nol ad Ge. II, 456, 457. — *Cresia prodigia*, ut *monstrum*, τέρας, taurus Gnossius, quem vivum ad Eurystheum addunxisse narratur. Ergo *mactas* solito more ita posuit, ut pluribus membris esset

Te Stygii tremuere lacus, te ianitor Orci
Ossa super recubans antro semesa cruento;
Nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoëus
Arduus, arma tenens; non te rationis egentem
Lernaeus turba capitum circumstetit anguis. 300
Salve, vera Iovis proles, decus addite Divis:
Et nos et tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant: super omnia Caci
Speluncam adiiciunt spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu collesque resultant. 305

Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. Ibat rex obsitus aevo
Et comitem Aenean iuxta natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam sermone levabat.
Miratur facilisque oculos fert omnia circum 310
Aeneas capiturque locis et singula laetus
Exquiritque auditque virum monumenta priorum.
Tum rex Evandrus Romanae conditor arcis:

accommodatum, aut aliam fabulam sequutus est. — 296, 297 descensu Herculis ad Orcum facto, ut Cerberum adduceret. Il. Θ, 368 Od. λ, 622. — 298. *facies*, monstra; quae in inferis Herculi occurrebant. Aen. VI, 285 sqq. *Hydra Lernaea* iam ibi commemorata; nunc *Typhoëus* additur, quem in Tartarum fulmine detrusum ediderat quoque Hesiod. Θεογ. 853 sqq. 867. Orionem in inferis collocaverat Homerus Od. λ, 571 sqq. Ad communem autem interpretum morem iungimus vss. 298-300 cum antecedentibus, et ad loca inferà referimus. Enim vero, si sententias et facta seiungas, alterum ad pugnam deorum cum Gigantibus, quibus Typhoëum accenset, alterum ad hydram Lernaeam apud Nemeam occisam referes. Confunduntur enim Hercules ille antiquae religionis et Hercules Thebanus. — 299. *arduus*, praeclare additum; poterat enim stans erectus vasti corporis specie terrere. *rationis egentem*, consilii inopem, de ἀμηχανίᾳ, ἀπορίᾳ, ex pavore: h. e. terrore perculsum. — 303. *dexter*, propitius ades. — 304. *spirantem ignibus* doctius quam ignes exspirantem.

307—369. Evander Aeneam domum suam deducit. Ingeniose poëta opportunitate utitur ad memorabilium locorum antiquam famam memorandam. *rex obsitus aevo*: ut alias *gravis* de magna copia, *oppressus*, *obrutus*, *consitus senectute*, *gravis aetate*. — 310. *faciles*, mobiles, vagos

Haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant
Gensque virum truncis et duro robore nata, 315
Quis neque mos neque cultus erat; neque iungere tau-
Aut conponere opes norant aut parcere parto: (ros
Sed rami atque asper victu venatus alebat.
Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo,
Arma Iovis fugiens et regnis exsul ademtis: 320
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Conposuit legesque dedit Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aurea quae perhibent illo sub rege fuerunt
Saecula; sic placida populos in pace regebat! 325

oculos, volubiles. — 314 sqq. Egregius locus, quo antiquus Italiae status describitur. *indigenae Fauni Nymphaeque* non modo ἐγχώριοι, sed et αὐτόχθονες, αὐθιγενεῖς scilicet designantur Genii locorum. Suaviter autem poëta extulit hoc: Loca circa Tiberim olim vastities obtinebat silvarum, per quas feri homines palabantur. *truncis et duro robore nata* pro truncis roborum. Nata loquendi et fingendi forma ex more agrestium hominum truncos arborum inhabitandi. V. Serv. conf. Stat. IV Theb. 276 sqq. Nisi eodem modo, quo e saxis nati dicti sunt homines, durum genus, eodem quoque modo robore et querceu nati, facti dicti sunt: cf. Hom. Odyss. XIX, 163. — 316. *mos*, certum vitae institutum, lex quaedam vivendi; praeclare autem mitior vitae cultus declaratur his: *conponere opes et parcere parto*, τὸ συγκομίζεσθαι καὶ ταμιεύεσθαι: quibus feros homines nullius rei providos aut in usum perendinum quicquam conditum servantes assuefacere difficillimum est; id quod historiae veterum et recentium populorum ferorum doceot. Conferant erectioris indolis iuvenes Lucretianos versus lib. V, 951 sqq. in iisque 956. — 318. *rami*, h. e. fructus arborum. Porro iung. *asper victu*, non *alebat victu*. Est venatus, qui asperum victum praebet, h. e. non nisi labore et molestia parandum.

319. Antiquus mythus de Saturni fuga in has terras, ductus, ut videtur, ex etymologia voc. Latii a latendo. Saturnus tamen numen Latinorum patrium, fortasse a satu s. satione rerum, in primis frugum (unde factum est, ut homines sedes figerent et tum societate tum legibus coniungerentur. Graeci hoc tempori tribuebant: Cicero Quaest. Tusc. V, 2, adscribit Philosophiae, Horat. Ep. ad Pis. 391 sq. vatibus, inpr Orpheo. R.): sed comparatus ille cum Crono fabulas Graecorum inde derivandi opportunitatem dedit. — 321. *indocile* Serv. pro indoctum: malim pro fero et agresti accipere. — 322. *conposuit*, certis sedibus locavit. *leges dedit*, h. e. mores et instituta, cf. VII,

Deterior donec paullatim ac decolor aetas
Et belli rabies et amor successit habendi.
Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanae;
Saepius et nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges asperque inmani corpore Thybris, 330
A quo post Itali fluvium cognomine Thybrim
Diximus; amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patria pelagique extrema sequentem
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
His posuere locis, matrisque egere tremenda 335
Carmentis Nymphae monita et deus auctor Apollo.
Vix ea dicta: dehinc progressus monstrat et aram
Et, Carmentalem Romano nomine, portam,
Quam memorant, Nymphae priscum Carmentis honorem,
Vatis fatidicae: cecinit quae prima futuros
Aeneadas magnos et nobile Pallanteum: 341

203, 204. *aurea saecula* observa v. 325 per *pacem* declarari. — 326. *decolor aetas* respectu auri, colore vitiato, dum aerea vel ferrea aetas succederet. *manus Ausonia*, h. e: Ausones, quos Livius et alii vulgo Aborigines appellant. *Sicanos* autem memorat poëta, seu quod auctores habebat, qui et hos in Italiam venisse dicerent, cum alias eos a Liguribus ex Hispania pulsos in Siciliam traiecisse constet; seu quod Sicanos cum Siculis confundit, quos loca inter Tiberim et Lirin tenuisse scimus, unde ab Ausonibus et Pelasgis exturbati in Siciliam traiecere. *Saturnia tellus* proprie fuit in clivo Capitolino ad Tiberim, qui Saturnius olim dictus. Dionys. I, 34. Poëtis inde nomen pro Latio et pro Italia frequentari coepit: ut quibus hoc licuit, quia antiquissima aetate Italiae nomen commune non fuisse constat. Etiam reliqua Italiae nomina a certis tractibus ducta sunt. Ipsum Italiae et Oenotriae nomen ad sola loca circa sinum Lametium spectabat. — 330. Sumsit et hoc poëta de Tiberi a rege ita dicto ex multis aliis commentis super nomine Tiberis. Cf. Serv. ad h. l.

333. De adventu Evandri in Italiam v. sup. v. 51. *pelagi extremâ*, mare ultimum inprimis ex sensu et notione priscae Graeciae, cui occidens inter terras ignotas et invisas erat. — 337. *aram Carmentis*, alias *Carmentae*, quam se vidisse testatur sub *portam Carmentalem* Dionys. lib. I, 32 ad radices Capitolii. — 338, 339. Interpunctionem mutavi, ne locus frigeret. Appositione dicta sunt: *Carmentalem portam ... honorem Nymphae Carmentis, vatis fatidicae.* — 340. *cecinit quae prima futuros.* Ingeniose haec a poëta intexta sunt, ex

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asilum
Retulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal
Parrhasio dictum Panos de more Lycaei.
Nec non et sacri monstrat nemus Argileti 345
Testaturque locum et letum docet hospitis Argi.
Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.
Iam tum religio pavidos terrebat agrestis
Dira loci; iam tum silvam saxumque tremebant. 350
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,
Quis deus incertum est, habitat deus; Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iovem, quum saepe nigrantem
Aegida concuteret dextra nimbosque cieret.

instituto praecipitandi Aeneidis argumentum per vaticinia et fata. Sententiam hanc Maronis ornavit Ovid. Fast. I, 475. 515 sqq.: Propert. IV, 1; etiam Tibull. II, 5, 49: *Ballantcum*, Palatium, conf. 51.

342—344. *lucum ... Asylum*, cf. Liv. I, 8. Dionys. II, 15. *retulit* est appellavit. Male aliter Serv. et al. — *acer*, ut ὀξυμός, est poëtis vocabulum proprium fortium virorum, et alias impiger, promtus, animosus. — *Lupercal* sub monte Palatino, cf. Liv. I, 5. Dionys. I, 32. *dictum Panos Lycaei*, nomen gerens Panis Lycaei, quasi is a Λύκος, *lupus*, dictus sit, prava nonnullorum etymologia; cum verius dictum sit nomen a monte Arcadiae Lycaeo (τὸ Λύκαιον, ὄρος. Diversum τὸ Λύκειον, Athenis, gymnasium). — *de more Parrhasio*, h. e. Arcadico, ad exemplum Lycaei Arcadici nomine ab Arcadibus ducto; sed doctius hos ab urbe ut eo monte declaravit.

345, 346. *nemus Argileti* sub Capitolio, ut docent Donatus et alii auctores de urbe Roma. *testatur*, monstrat. *hospitis Argi*; adoptavit poëta veterem fabulam de Argo quodam hospitio ab Evandro excepto et, eo inscio, ab Arcadibus caeso.

347—354. Locus splendidus de Capitolio, in quo τὸ εὐφαντασιῶδες in signis futurae maiestatis loci in promtu est sentire. — 348. *Aurea nunc, olim*. Similis comparatio temporum et conditionis ac faciei locorum in Capitolio saepius occurrit (V. inprimis Propert. IV, 1 et Tibull. II, 5, 23 sq.); tum et in aliis urbis partibus 360, 361, *aurea* simpliciter esse multo auro ornata, nemo dubitet. Sic *aurea Roma*. — 350. *dira*, magna, admirabilis *Serv.*, metuenda, δεινή: scilicet ea, quae dira sunt, horrorem incutiunt, qui idem ex religione seu specie augusta et religiosa loci sanctitate venire solet. — 353. *quum saepe*. Collocatio verborum poëtica pro: credunt se saepe vidisse, quum concuteret (nisi est pro: πόλλα, vehementer): sic Ge. I, 354 *quid saepe videntes* et alibi: se vidisse Iovem

Haec duo praeterea disiectis oppida muris, 355
Reliquias veterumque, vides, monumenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Evandri, passimque armenta videbant 360
Romanoque foro et lautis mugire Carinis.
Vt ventum ad sedes: Haec, inquit, limina victor
Alcides subiit; haec illum regia cepit.
Aude, hospes, contemnere opes et te quoque dignum
Finge deo, rebusque veni non asper egenis. 365

concutientem. — 353, 354. *Aegis* h. l. clipeus sine controversia, cum alibi ambiguum sit, de thorace an clipeo Iovis et Palladis accipienda sit; sic inf. 435. Ceterum haec Iovis aegida incutientis species manifeste ex Homero est adumbrata Il. δ, 164. — 163 de Troiae excidio: Ἔσσεται ἦμαρ ... Ζεὺς δέ σφιν Κρονίδης ... Αὐτὸς ἐπισσείῃσιν ἐρεμνὴν αἰγίδα πᾶσι, Τῇσδ' ἀκάτης κοτέων. Haec ille de irato Iove ad incutiendum terrorem vibrante aegidem ante ora Troianorum; ut heroes fulgentem aere et radiantem sole clipeum quatere et ingerere oculis hostium finguntur. Similiter Iupiter fugat Achivos Il. ρ, 59 sqq. καὶ τότ' ἄρα Κρονίδης ἔλετ' αἰγίδα θυσανόεσσαν Μαρμαρέην, ἣν δὲ κατὰ νεφέσσι κάλυψεν, Αστράψας δὲ μάλα μεγάλ' ἔκτυπε, τὴν δ' (aegidem) ἐνέναξε· Νίκην δὲ Τρώεσσι δίδου, ἐφόβησε δ' Ἀχαιούς. Simili modo h. l. Iupiter aegidem concutit et fulminat, et quidem alterum facit *laeva*, fulmen iacit *dextra*. Pro fulmine posuit adiunctum *nimbos*, propr. nubes fulmineas; et propter hos aegis *nigrans*, nube nigra et caliginosa per tempestatem inducta.

355—358: Habet nescio quid religionis veneranda haec antiquitas ruinae duorum antiquissimorum oppidorum, quam hospiti suo monstrat Evander. Fuit enim Iana vetus de Ianiculo et arce Saturnia, duobus antiquis oppidis in montibus Ianiculo et Capitolino, olim Saturnio dicto. V. Varrón. de L. L. IV, 7.

359 sqq. Etiam in his vetus simplicitas delectat, inprimis cum magnificentia serioris aetatis comparata. — *lautis Carinis*, qui in IV Regione locus fuit ab Arcu inde Constantini inter Esquilias et Coelium procedens, Pompeii M., Antonii aliisque magnificis sumtuosisque domibus ornatus; nude *lautae* Carinae. — 362. *Vt ventum ad sedes*, Evandri domum in Palatino monte, in quo conditum Pallanteum, mox Pallantium et Palatium dictum, ut v. 54. — 364, 365. Nihil magnificentius his versibus dici potest. *aude contemnere*, generoso sis animo ad contemnendas opes: tamquam de re ardua et difficili, ut virtute opus sit ad expellendam miratione divitiarum; *et te quoque dignum finge deo*. Compone te mentemque informa ad similitudinem

Dixit et angusti subter fastigia tecti
Ingentem Aenean duxit stratisque locavit
Effultum foliis et pelle Libystidis ursae.
Nox ruit et fuscis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequidquam exterrita mater
Laurentumque minis et duro mota tumultu 371
Volcanum adloquitur, thalamoque haec coniugis aureo
Incipit et dictis divinum adspirat amorem:
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges
Debita casurasque inimicis ignibus arces, 375
Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi

numinis; h. e. fac, redde te similem Herculis in contemtu hoc inanis fastus. Generalior notio est, dignus qui succedat in locum dei aut in honorem dei, nunc in mentis habitum, qui dei, herois Herculis fuit, cui non sordebat humilis casa. *non asper*, non alienus, infestus ideoque non fastidiosus. — 366-368. E more prisci aevi. Cf. Odyss. ξ, 48, Orph. Argon. 1009. De *Libystide ursa* v. ad lib. V, 37. Etiam imago Noctis v. 369 notabilis.

370 sqq. Qui sequitur locus, meo iudicio artis magis quam ingenii laudem habet. Nimis manifesta imitationis Homericae sunt vestigia simulque ieiunae copiae, quae fere imitationis studium prodere solet. Thetidis ad Vulcanum accessus, ut Achilli arma peteret Il. σ, multo maiorem habet suavitatem ex simplicitate priscae vitae ibi adumbrata: habet etiam causam multo magis idoneam; amiserat enim Achilles arma Patroclo delracta. Vtinam praecederet saltem locus egregius lib. XII, 87 sqq. de insignibus armis Turni: his ut divina arma opponerentur, erat, quod exspectabas. Nunc Venus adit maritum eumque illecebris suis delinitum amoreque devinctum ad amplexus suos invitat. In quibus primum redhibitus est locus praestantissimus Il. ξ, 294 sqq., ubi Iuno Iovem simili modo circumvenit; sed eo consilio, ut alto eum sopore opprimeret, quo pugnae inter Achivos et Troianos fortunam mutare posset. Hic vero Vulcanus v. 405, 406 obdormit, ut suox ante diem ad laborem evigilet. Idem a Venere ad somnum invitatur, cum iam precibus facilem se et paratum ostendisset. Friget aliorum imitatio, ut Statii Theb. III, 262-347, ubi Venus Marti supplicat.

373. Venus *dictis divinum adspirat amorem*: addit τὴν χάριν, τὸ θελκτήριον, ut delinirent verba Vulcanum. Quod Lucretio est in simili loco dulcissimo: *tu suaves ex ore loquelas funde*. lib. I, 40. — 375. *Debita*: potest ex sqq. *inimicis ignibus* adiungi; idque melius. Servius: fataliter ad exitium destinata. Ita vero adiungi fere aliquid solet: *fatis mihi debita tellus* Aen. VII, 120; *generi debita* Aen. III, 184; *sors ista senectae Debita erat nostrae*; mollius etiam XI, 165 *fata debita* dicuntur. Late-

Artis opisque tuae nec te, carissime coniunx,
Incassumve tuos volui exercere labores;
Quamvis et Priami deberem plurima natis
Et durum Aeneae flevissem saepe laborem. 380
Nunc Iovis imperiis Rutulorum constitit oris.
Ergo eadem supplex venio et sanctum mihi numen
Arma rogo, genetrix nato. Te filia Nerei,
Te potuit lacrimis Tithonia flectere coniunx.
Adspice, qui coëant populi, quae moenia clausis 385
Ferrum acuant portis in me excidiumque meorum.
Dixerat et niveis hinc atque hinc diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet. Ille repente
Adcepit solitam flammam, notusque medullas
Intravit calor et labefacta per ossa cucurrit: 390
Non secus atque olim, tonitru quum rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Sensit laeta dolis et formae conscia coniunx.

vero in hoc causa, cur Vulcanum precibus tum non fatigaverit. — 377. *nec te tuosve labores exercere volui incassum*, consumere et impendere. — 379. *natis*, solito more, pro uno, Paride. — 381. *Rutulorum oris*, variat orationem pro Latinis, a populo finitimo. — 382. Cf. Iliad σ, 457. *et sanctum mihi numen Arma rogo*, non: *o sanctum mihi numen*: sed: *et rogo numen tuum, mihi sanctum, arma*, h. e. rogo te, sed blandiore oratione effert: te, mihi semper venerandum. — 383, 384. Vt Thetis Achilli, sic Aurora Memnoni arma petierat apud poëtas Cyclicos, inter quos Arctini Milesii Αἰθιοπὶς fuit. Conf. Quinctl Paralip. II, 454. *moenia*, urbes.

387. *niveis lacertis*, quippe dea λευκώλενος. Ornatius autem extulit Homericum ἀγκὰς ἔμαρψε Il. ξ, et mox v. 388-392 versus Homericos ibid. 294-296. — 390. *labefacta per ossa*, in quibus medulla liquefacta, soluta est. Lucretiana dictio. Proprie *mens* amore, qui resiterat, impulsa, perculsa, victa *labéfieri* dicitur: sup. IV, 395, *magnoque animum labefactus amore*. Iam, cum labefacta solvantur, ruant, cadant (cf. Lucret. III, 599, 600, 601: I, 529, 530, 531), synonymum habitum pro solutus, diffluens: itaque etiam, igni quae dissolvuntur et liquescunt, labefactari dicuntur Lucretio IV, 701. I, 493. — 391, 392. Praeclare flammam amoris penetrantem medullas ossium comparat cum fulgure vel fulgetro inter atras nubes errante tractu ac sulco tenui, quem *rimam igneam ruptam* (proprie nubes rumpitur, sed sic saepe poëtae) dixit: ea *percurrit nimbos*, nubes densas et atras, *lumine corusco*. — 393. *laeta dolis* Est sane δολοφρονέουσα Iliad ξ,

Tum pater aeterno fatur devinctus amore:
Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit 395
Quo tibi, diva, mei? Similis si cura fuisset,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset;
Nec pater omnipotens Troiam nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras atque haec tibi mens est, 400
Quidquid in arte mea possum promittere curae,
Quod fieri ferro liquidove potest electro,
Quantum ignes animaeque valent.... absiste precando
Viribus indubitare tuis. Ea verba locutus
Optatos dedit amplexus placidumque petivit 405
Coniugis infusus gremio per membra soporem.

329, sed ornate *laeta* successu doli et fraudis suae. Sic IV, 128: *risitque dolis Cytherea repertis.* Sic et *formae conscia*, sentiens illa, quam vim venustas sua ad mariti animum nunc habeat.

394. *aeterno ... amore* potentius verbum quam *antiquo*, pristino. Praeivit Lucret. I, 35: *aeterno devinctus volnere amoris.* — 395. Quid tam longe (Nonius: ex vetusto et antiquo) repetis argumenta, quibus me moveas? Aiunt Attium in *Armorum iudicio* ante oculos fuisse: *Cur cetera tam ex alto appetissis dissidia, Agamemnon?* — 396, 397. *Similis si cura fuisset*, si tale quid curasses, voluisses, si tibi cordi fuisset: etiam tum fieri potuisset, ut Teucris, h. e. Aeneae vel Paridi, arma pararem. — 398, 399. Scilicet fata immutari non possunt, differri possunt: supra VII, 313: *Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis, Atque immota manet fatis Lavinia coniunx, At trahere atque moras tantis licet addere rebus.* Servius notionem hanc ab Etruscis repetit; enim vero Homero et aliis illa non minus est frequentata. — 401-403. *Quicquid curae*, operae, per artem meam possum promittere, *quantum ignes animaeque valent*: sc. promitto. Hoc latet in verbis *absiste precando viribus indubitare tuis*, pro simplici, *absiste precavi.* — 402. *electrum* Homeri exemplo Od. δ, 73 docte posuit, exquisitius metalli genus, certa portione argenti auro admixta, quod etiam arte fingi potest. V. Plin. XXIII, 4 s. 23. Conf. Serv. — 403. *ignes animaeque*, ventus flatu suo flammam alens augensque. Servius: spiritus, quo fabriles inflari folles solent. Spiramentum explicat Macrob. I Sat. Sc. c. 14 m. — 405, 406. *fusuli*, κεχύσθαι, dicuntur, qui procubuere, iacent, recubant. *fusus per herbam*: ita nunc et *infusus*, ut incubans pro cubans, recubans. Tum Vulcanus *petivit placidum soporem per membra*, qui per membra diditur. Sic et sup. v. 30: *sevum dedit per membra quietem.* Honestas orationis notabilis et a multis passim notata. Conf. Gell. IX, 10; sed

Inde, ubi prima quies medio iam noctis abactae
Curriculo expulerat somnum, quum femina primum,
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
Inpositum, cinerem et sopitos suscitat ignis 410
Noctem addens operi famulasque ad lumina longo
Exercet penso, castum ut servare cubile
Coniugis et possit parvos educere natos,
Haud secus ignipotens nec tempore segnior illo
Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit. 415
Insula Sicanium iuxta latus Aeoliamque
Erigitur Liparen fumantibus ardua saxis,

ea saeculo Virgiliano debetur. Si talia miranda sunt, mirer potius verecundiam Homericorum versuum, qui pro illa aetate castissimi et iidem elegantissimi sunt l. c. Il. ξ, 346 sqq..

407 sqq. Praeclare ornata et ad miserationem composita comparatio, cuius prima quasi stamina agnoscere licet partim apud Homerum, Iliad. μ, 433-435, partim apud Apollon. IV, 1062-1066 (nam locum lib. III, 291 sqq. perperam alii huc advocant). Si tamen quaeras, quam opportune illa h. l. intexta sit, cogitandum: Vulcanum surgere ad opus de nocte, quo tempore lanifica paupercula ad lucubrandum surgit. *ubi prima quies... expulerat somnum*, ut ibi satietas expellit famem, sic nunc usus quietis somnum, somnolentiam: s ubi a prima quiete evigilans circa mediam noctem sensit omnem iterum obdormiscendi cupiditatem expulsam, alacriter e stratis ad opus surgit. s *Burm.* — 408, 409. *cui impositum*, quam necessitas cogit, est Homeri γυνὴ χερνῆτις. *temuique Minerva* h. e. lanificio tenuem victum praebente, ut bene Serv. Minervam de oleo, quia ad lucernam nebat, Cerda accipiebat, nimis argute et exiliter. Saltem esse de *tenui texto*, *tenui tela* cogitandum. — 412. H. e. ut habeat, unde vivat honeste ipsa et uti, servata maritalis tori pudicitia, ut bene Cerda. — 413 ex Homerico l. c. ἵνα παισὶν ἀιχμὰ μισθὸν ἄρηται. — 414. Illo tempore haud secus nec segnior surgit Ignipotens.

416 sqq. In his ad maiorem elegantiam refinxit Homerica, in quibus Vulcani officina in Olympo collocatur Il. σ, 369. Cum poëtae veteres assignassent Vulcano loca et insulas, quae subterraneis ignibus notabiles erant (exemplum in ipsa Lemno apud Homerum est): licuit poëtae unam ex Aeoliis vel Vulcaniis ponere, Hieram, quam Vulcaniam, Ἡφαιστιάδα, appellat communi nomine tamquam singulari, Liparae proximam, monte mirabilem, qui nocturnas flammas evomit. V. Auctor Aetnae 436 sq. Iuven. I, 8, et primo loco Scymnus Chius 256 sq. Egere de ea post Cluverium multi, cf. Dorvill. Sicula p. 20, 21 et iam ante ad Chariton pag. 688. (621 Lips.) Liparam, quae et ipsa olim arsit, Callimachus Vulcani officinam ediderat Dian. 46 sqq., ubi

Quam subter specus et Cyclopum exesa caminis
Antra Aetnaea tonant validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum striduntque cavernis 420
Stricturae Chalybum et fornacibus ignis anhelat,
Volcani domus et Volcania nomine tellus.
Hoc tunc ignipotens coelo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque Steropesque et nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus iam parte polita 426
Fulmen erat, toto genitor quae plurima coelo
Deiicit in terras; pars imperfecta manebat.
Tris imbris torti radios, tris nubis aquosae
Addiderant, rutili tris ignis et alitis austri. 430
Fulgores nunc horrificos sonitumque metumque
Miscebant operi flammisque sequacibus iras,

v. Spanhem., et alterutram sub νήσου πλαγκτῆς nomine Apollon. III, 42. ubi v. Schol. Vulcanum *Liparaeum* Theocr. Id. II, 133, 134, dixit: hic quidem omnium opportunissime tamquam Siculus. *erigitur*, ut alisa, *surgit*, sita est, sed eum notatione montium, et quia omnino insulae *altae*. — 419. *Antra Aetnaea* simpl. pro ignivomis, quis dubitet, a similitudine. Aliena sunt, quae de antris subterraneis inter Aetnam et Hieram contiguis suspicati sunt nonnulli. Eiusmodi acumen poëta non sequitur. — 420, 421. Oroati versus. Comparari potest Callim. Del. 144, adde Dian. 55. *referunt gemitum*; repetunt sonum h. e. resonant per antra ictus incudum, ut apud Herodot. I, 67, τύπος ἀντίτυπος. *stricturae*, quas ornate *Chalybum* dixit (v. Ge. I, 58), non sunt h. l. σπινθῆρες nec quae proprie metalla dicuntur, unde aes excoquitur; sed μύδροι, massae ferri, quae procudunt-tur. Cf. 450 et 453. Mox v. 423 *hoc* antique pro *huc*.

424, 425. Libera quidem erat nominum informatio, sed Brontem et Steropen etiam alii habent: Hesiod. Θ, 140. Callim in Dian. 68. Plin. H. N. XXXV, 10 a, 37, 47. Statium et Claudianum v. ap. Cerdam. Pyracmonem aliunde accepit; Argen memorat Apollod. I, 1, 2, ubi in not. p. 9 vide de discrimine inter hos et antiquiores Cyclopes. — 426-428. Nota inversam orationem pro: parte iam polita, parte adhuc imperfecta. *fulmen... quae plurima*, quod genus fulminum, ex quo genera plurima; frequens poëtarum figura: κῆτος ... οἷά τε πολλὰ τρέφει κλυτὸς Ἀμφιτρίτη Od. ε, 422 et saepe alibi. Variant haec orationem et delectant. — 429-432. Ingeniose in fulminis materiam vertit ea, ex quorum conflictu fulmen nascitur, grandinem (*imber tortus* h. e. constrictus et coactus in grandinem: IX, 674, *quam*

Parte alia Marti currumque rotasque volucris
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbis;
Aegidaque horriferam, turbatae Palladis arma, 435
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexosque anguis ipsamque in pectore divae
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, coeptosque auferte labores,
Aetnaei Cyclopes, et huc advertite mentem. 440

multa grandine *nimbi In vada praecipitant, cum Iupiter horridus austris* Torquet aquosam hiemem, *et coelo cava nubila rumpit*), nubem, ignem et ventum. Haec fere ex Servianis amplector; cetera sunt respuenda. Facit autem fulmen duodecim cuspidum, *radiorum*, ἀκτίνων, trinis in quaterna latera, qualia fulmina passim in monumentis, saepe in clipeis, in primis in numis occurrunt, etsi alibi alia forma tribuitur. Habuit autem poëta ante oculos et argutius expolivit locum Apollonii Argon. I, 730-734, ubi una cuspis adhuc imperfecta, quam Cyclopes procudunt, μαλεροῖο πυρὸς ζείουσαν ἀϋτμήν. Vt vero, cum Vulcani officina semel memorata esset, opera inchoata et effecta subiiceret, poëtae ingenio et doctrinae in promtu esse debuit; etsi et in hoc praeivit Homer. Il. σ, 373 sqq. Conf. Callim. in Dian. 49, 50, ubi satis ieiune equorum Neptuniorum aquarium produci narratur. Quanto grandius et sublimius est phantasma, quod fulminis materiae fulgores, sonitum, metum et flammam sequacem admiscent Cyclopes!

433, 434. Marti currus bellicus proprie tribuitur, ex heroici saeculi more bellandi. Quod ait: *quibus ille viros, quibus excitat urbes*, h. e. quo curru vectus ad bellum concitat, ex istis illustrantur VIII, 3: *Vt belli signum ... Vtque aeres concussit equos* etc. conf. Hesiod. Scut. Herc. 191-195. Est Mars λαοσσόος ap. Hom. *Instabant currum*, ut festinare aliquam rem, ut insequi, urgere: quae illustrat Heins. ad XII, 7, 8, pro vulgari instare operi.

435—438. Hic dubitari potest, sitne aegis de thorace an de clipeo (conf. ad 354) accipienda, hactenus, ut de thorace non nisi v. 437 agatur, *ipsamque in pectore divae Gorgona*. Expeditior tamen videtur ratio, si totum locum da thorace interpreteris, cuius extremae oriae anguibus connexis et inter se implicitis sunt cinctae, in medio Gorgone posita: cuius generis exempla passim occurrunt; ut unum commemorem, quod adire fortasse in promtu est, v. Spenc. Polymet. t. IV, 4, *turbatae*, iratae, ut saepe, v. c. Silil lib. IX, 463. — *vertentem lumina*, de oculis torvis, obliquis, ex ira et furore; aut potius de inversis, deficientibus, deiectis ac fere clausis, quippe in capite resciso. βλοσυροῖο Μεδούσης κάρη σμερδαλέον dixit Quintus Cal., qui omnino de aegide comparandus, lib. XIV, 451 457.

440. *Aetnaei*, Αἰτναῖοι, Cyclopes. Cf. ad v. 419. In sqq. festinationis felix notatio brevitate et celeritate

Arma acri facienda viro ! Nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra !
Praecipitate moras ! Nec plura effatus; et illi
Ocius incubuere omnes pariterque laborem
Sortiti. Fluit aes rivis aurique metallum 445
Volnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clipeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum; septenosque orbibus orbis
Inpediunt. Alii ventosis follibus auras
Adcipiunt redduntque; alii stridentia tinguunt 450
Aera lacu; gemit inpositis incudibus antrum;
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.
Haec pater Aeoliis properat dum Lemnius oris,
Evandrum ex humili tecto lux suscitat alma 454
Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Consurgit senior tunicaque inducitur artus
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.

verborum observetur: *Nunc* utendum *viribus*, *manibus*, *arte*. — 445, 446. Cf. Iliad. σ, 474. — 446. *chalybs* pro ferro. — 448. *septenos orbibus orbes impediunt* ornate pro faciunt. Sed quinam illi orbes sunt? non circuli, puto, in clipei superficie ducti, sed laminae aereae aliae super aliam impactae, ut septemplex esset clipeus, quales Homericae πτύχες sunt l. c. 481. cf. Il. υ, 269 sq. et η, 247. — Versus 449-453 iam in Georgicis vidimus IV, 174 sqq.

454 sqq. Artem poëtae in variato rerum et orationis characterе observa. Lenis et simplex candidaque nunc fluit oratio, eoque tanto magis grata, quod strepitibus et tumultibus succedit. Comparent, quibus voluptate est heroicum amictum cognoscere, Il. β, 42. Odyss. β, pr. δ, 307. ο, 60. υ, 124, et ad v. 459, cf. Odyss. κ, 261. ξ, 528. Etiam hoc ex heroica aetate, quod Evandrum v. 461, 462 duo canes comitantur: v. Od. β, 11. ρ, 62. — 456. *volucrum sub culmine*, in domo vel casa Evandri. Miror hoc adiectum: sunt igitur galli gallinacei intelligendi; nam hirundines non facile e somno excitant dormientes nec ad hunc usum a poëtis advocantur (Auctor tamen carminis Anacreont. XII queritur de ὑποροθρίαιαι φωναῖς τῆς χελιδόνος λαλῆς. R.). Sub lucis ortum, sic optime interpreteris, et volucrum cantum Evander evigilavit. — 458. *Tyrrhena vincula*; ornatus causa Tuscum calceamentum posuit. Servius dicit: « crepidas, quas primo habuere Senatores, post equites Ro-

Tum lateri atque humeris Tegeaeum subligat ensem,
Demissa ab laeva pantherae terga retorquens. 460
Nec non et gemini custodes limine ab alto
Praecedunt gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Aeneae sedem et secreta petebat
Sermonum memor et promissi muneris heros.
Nec minus Aeneas se matutinus agebat. 465
Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
Congressi iungunt dextras mediisque residunt
Aedibus et licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior haec:
Maxume Teucrorum ductor, quo sospite numquam 470
Res equidem Troiae victas aut regna fatebor;
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguae vires. Hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit et murum circumsonat armis.
Sed tibi ego ingentis populos opulentaque regnis 475

mani; nunc milites». Simili ornamento patrium, Arcadium seu *Tegeaeum ensem* dedit; etsi nullum insignius ensis genus fuit. — Versus 460 ornatissimus est: amictus pelle; *sic tegumen torquens immane leonis* VII, 666. Mox *limine ab alto* perpetuo et proprio liminis epitheto; nam aliunquin alienum erat a casa exigua altum limen. — 473. *secretum:* partem aedium interiorem, ad quam Aeneam vesperi deduxerat; Ge. IV, 403. *In secreta senis ducam.* — 464. *promissi muneris:* vide v. 470, 471. — 465. ἄρθριος ἥκων, ἐπτυρτιος; ἦλθε et alia; et *se agebat:* ut VI, 337, *Ecce gubernator sese Palinurus agebat*, ὥρμᾶτο, se movebat, incedebat. IX, 696, *is enim se primus agebat.* Convenit, *ferre se*. Mox 477 *huc te affers.* — 467. *mediis aedibus:* etiam hoc ad formam aedium heroici aevi, in quibus e vestibulo δόμος (pro quo Romanorum atrium fuit) introeuntem excipiebat per totas aedes patens; in intimo recessu focus cum Penatibus, v. inf. 544; ut ex Homeri lectione constat.

472. *pro nomine tanto:* non video, quam commoda sententia sit, si Troianorum vel Aeneae nomen et genus vel fama intelligatur; satius est et simplicissimum ad Evandri et Arcadum nomen referre, pro: fama, quae te ad nos adduxit. Perperam refertur ad bellum ipsum, ut *nomen belli tantum sit*, vel fama de belli magnitudine vel ipsa belli magnitudo. — 475. *opulentaque regnis castra:* volebat dicere *opulenta regna*; apposite ad *ingentes populos*. Promtum erat hoc mutare in *castra opulentorum*

Iungere castra paro, quam fors inopina salutem
Ostentat; Fatis huc te poscentibus adfers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Vrbis Agyllinae sedes, ubi Lydia quondam
Gens bello praeclara iugis insedit Etruscis. 480
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio et saevis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni
Effera? di capiti ipsius generique reservent!
Mortua quin etiam iungebat corpora vivis 485
Conponens manibusque manus atque oribus ora,
Tormenti genus, et sanie taboque fluentis
Conplexu in misero longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives infanda furentem
Armati circumsistunt ipsumque domumque; 490
Obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.
Ille inter caedes Rutulorum elabsus in agros
Confugere et Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria iustis;
Regem ad supplicium praesenti Marte reposcunt. 495
His ego te, Aenea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condensae litore puppes

regnorum vel *opulentis regnis;* hinc exquisitior forma suborta: *castra opulenta regnis,* ut alia similia passim. *regna* autem pro regno: nam de una Agylla agitur. Opes veterum Etruscorum satis notae: v. Liv. V, 33.

478. *Agylla* s. Caere prima opibus inter Etruscos floruit et propter maritima commercia omnium prima Graecis innoluit. — *saxo vetusto,* antiquo opere, ut bene Serv. cf. III, 84. — 479, 480. *ubi* proxime ad Agyllam seu Caere special nec tamen reliquam Etruriam excludit. A Lydis Etrusci seu Tyrrheni ducuntur ex vulgari veterum opinione, falsa tamen, quippe ex nominis similitudine ducta. Mezentii regis, Caerelanorum nomen *superbo,* h. e. crudeli imperio infame, ex antiquis historiis adscivit. — 484. *Dii capiti,* ut II, 490. VI, 529, 530. — 489. *infanda furentem,* ἄφατα, ἀφάτως μαινόμενον, ἐκπάγλως. — 495. *praesenti Marte,* bello non dilato, quippe hoc ipso tempore in armis sunt; et quidem classem pararunt, qua in altum evecti litus Rutulorum petant bellumque inferant Turno, ni Mezentium ad supplicium dediderit.

Signaque ferre iubent; retinet longaevus haruspex
Fata canens: O Maeoniae delecta iuventus,
Flos veterum virtusque virum, quos iustus in hostem
Fert dolor et merita adcendit Mezentius ira! 501
Nulli fas Italo tantam subiungere gentem:
Externos optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita divom.
Ipse oratores ad me regnique coronam 505
Cum sceptro misit mandatque insignia Tarcho,
Succedam castris Tyrrhenaque regna capessam.
Sed mihi tarda gelu saeclisque effeta senectus
Invidet imperium seraeque ad fortia vires.
Natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella 510
Hinc partem patriae traheret. Tu, cuius et annis
Et generi fata indulgent, quem numina poscunt,

498 sqq. Hoc de Etrusco aruspice commentum, qui Caeretanis conatibus opportune intercedit, ut ad Aeneae adventum res differatur, inter potiora Virgilii inventa referendum videtur. Extraneo autem duci exercitus committendus, uti Lavinia externo viro iungenda lib. VII, 96 sqq. Esse hunc aruspicem ipsum illum Tarconem v. 466 notat Iulius Sabinus: parum probabiliter. *O Maeoniae:* ex 479, 480. *flos veterum:* Ennianum hoc esse Servius testatur; etsi nec omnino infrequens, ex ἄωτον, ἄνθος; *flos et virtus* h. l. robur populi, qui antiquam originem a Lydis habet. — 504. *Hoc campo*, ὀπτικῶς, etsi oculis prospici non poterant castra sub Caere locata. — 505. *regni coronam:* novum hoc, sed dictum ut *regni insignia*; et subiectum hoc idem, tamquam genus, enumeratione partium (coronae et sceptri) facta. *Coronam* dixit diadema; fuerunt tamen Etruscis et aliis Italis coronae ex lamina aurea, etiam in sacris bacchicis: cuius generis exempla ubique visuntur in vasis pictis. Coronam radiatam Latini regis v. inf. lib. XII, 162, 163. — 506. *mandatque insignia* simpl. mittit insignia regni: int. ex Etruscorum more, illa scilicet ipsa, quae memoravit; tacet reliqua, sellam eburneam, tunicam palmatam, togam pictam. Vide omnino Dionys. III, 61 pr. (p. 195). *Succedam*, eo consilio, ut succedam. — 508. *saeclis effeta* simpl. pro annis, et, ut *corpus effetum*, *vires effetae in corpore* V, 396, nunc *senectus effeta*; ut *ager effetus*. V. ad VII, 440-510. Ni mixtum genus habens per matrem Sabinam partem patriae seu originis hinc, a Sabinis ideoque ex Italia, duceret, etsi patre externo, Evandro, natus. — 512. Qui *genus*, ortum, ex peregrina terra habens cum idonea rebus gerendis aetate; et quem *numina po-*

Ingredere, o Teucrum atque Italum fortissime ductor.
Hunc tibi praeterea, spes et solatia nostri,
Pallanta adiungam; sub te tollerare magistro 515
Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
Adsuescat primis et te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo; totidemque suo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat; defixique ora tenebant 520
Aeneas Anchisiades et fidus Achates
Multaque dura suo tristi cum corde putabant;
Ni signum coelo Cytherea dedisset aperto.
Namque improviso vibratus ab aethere fulgor
Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente 525
Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.
Suspiciunt: iterum atque iterum fragor increpat ingens.

scunt, h. e. quem vaticinium designat. Cf. ad Ge. IV, 7. — 513. *Ingredere*, ut Ge. I, 42: *Ingredere et votis iam nunc assuesce vocari*. Incipe, suscipe. — 516. *grave Martis opus* Homericum: μέγα ἔργον Αρηος. Il. λ, 733 et al. — 515, 516, 517. Praeclari versus sententiis et verbis. Maronem mirati sunt et imitati in hoc loco Valer. Fl. I, 269 sqq. Silius IV, 430, 431; adde Apollon. lib. II, 804, 805 etc. — 518, 519. Quadringentos equites mittit Evander, ut iter esset expeditum nec longa mora intercederet, quam obsidionis discrimen non admittebat. Tenendum hoc est, ne mirum videatur, cur Arcades equites potissimum poëtae placuerint: cum alioqui Arcades nec equitatu valuerint nec in regione montosa et aspera valere potuerint; novae autem sedes in Italia vix equitatum suppeditaverint.

520 sq. Ex veteris Italiae religione et poëtae nostri perpetuo more res aliter vix expediri Aeneaeque animus erigi poterat, quam ostento vel augurio. Sed poëta novo id commento constituit, quod meteorum seu ostentum aëris ad strepitum ex armis coelitus a Venere allatis retulit: simplicissimum autem est de tonitru sudo coelo audito cogitare. Arma in coelo passim a superstitiosis hominibus conspecta, belli et cladis signa, equidem huc non referam; nec Spencii acumen placet, Polymet. Dial. 20 n. 28, qui auroram borealem a poëta describi putabat. — 523. *Ni dedisset*: nova forma orationis, in qua mirer interpretes non haesisse. Ellipsis esse debet totius enuntiationis: *et diutius etiam in ea cogitatione defixi perstitissent*, *Ni* etc. Vulgaris forma erat: *cum Venus signum dedit*. Efformata oratio fere ad illa 443 *nec plura effatus et illi* pro: cum illi, et sic alia. *aperto*, ut Ge. I, 393: *aperta*

Arma intèr nubem coeli in regione serena
Per sudum rutilare vident et pulsa tonare.
Obstupuere animis alii, sed Troïus heros 530
Agnovit sonitum et divae promissa parentis.
Tum memorat: Ne vero, hospes, ne quaere profecto,
Quem casum portenta ferant; ego poscor Olympo.
Hoc signum cecinit missuram diva creatrix,
Si bellum ingrueret; Volcaniaque arma per auras 535
Laturam auxilio.
Heu quantae miseris caedes Laurentibus instant!
Quas poenas mihi, Turne, dabis! quam multa sub undas
Scuta virum galeasque et fortia corpora volves,
Thybri pater! Poscant acies et foedera rumpant!

serena. Vtl nubes coelum dicuntur obducere, sic nunc aperitur illud. Cf. mox v. 527, 528. — 526. Clangor armorum, quae movebantur per aërem deportata a Venere, comparatur cum clangore tubae: *Tyrrhena* (pro Tyrrenica) *tuba*, a Tyrrhenis, ut notum est, inventa: et doctius: *Tyrrhenus clangor tubae.* — 529. *pulsa*, impulsa, allisa sibi invicem. *tonare* pro simplici sonare.

531. *et agnovit divae promissa parentis*, et v. 534 *Hoc signum* etc. Bene Servius: κατὰ τὸ στωπώμενον intelligimus Venerem ei promisisse. Clarior res ap. Homer. v. Il. ν, 189. Celerum poëtam hic in malum locum intulisse pedem apparet. Debebant enim, ut vis carminis esset satis magna, ea nunc omnia subiici, quae vs. 608 usque ad f. libri sequuntur. Hic etiam multo magis vacasset animus iis cognoscendis, quae de clipei argumento memorantur, quam cupiditate per illa, quae interiecta sunt, repressa et obtusa. Sed in hac ratione alia fortasse occurrebant, quibus se premi sentiebat; ut adeo alterum praeferret. Vno modo subveniri posse videtur poëtae hocce: nunc tantum narratur prodigium in nubibus ortum subiti clangoris; quale meteorum illud est, quod saepe vulgus terroribus exanimavit, fragoris in aëre, procurrentium fulgurum, micantium ignium. — 533. *ego poscor Olympo*, tertio casu pro *ab O.*, me Olympus poscit, me vult, respicit, h. e. ad me ostentum aëris spectat, nihil est, quod vos terreamini. Alio modo diceret *se posci Olympo* is, qui in eum attollitur, evehitur deus factus: cf. Soph. Oed. Col. 1542 ὦ παῖδες etc. — 538, 539. Historica quidem veritate ac fide haec non memorantur; nec ad Tiberim pugna facta est: sed poëtico phantasmate, praeclare; saltem Latium intelligi potest (Poëta tamen repetiit hanc eandem sententiam XII, 35 sqq. et, nisi fallor, omnia se optime habent, quum in vicinia fluvii oppugnatio et pugna fierent. *R.*) In idem incidunt Silius II, 455, 456. Statius Achill. I, 84 sqq. Adde Stat. Theb. II, 460, 461. III, 210 sqq. et passim

Haec ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto
Et primum Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat hesternumque Larem parvosque Penatis
Laetus adit; mactant lectas de more bidentis
Evandrus pariter, pariter Troiana iuventus. 545
Post hinc ad navis graditur sociosque revisit:
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,

alii; item Horat. I, Od. 15: *Eheu quantus equis* etc. — 540 quasi: eant nunc et flagitent bellum. Serv. cf. sup. VII, 317.

542, 543. Surgit Aeneas et ad aram seu focum aedium accedit, Penates precatur. In verbis plura nos tenent. *Herculeis sopitas ignibus aras* doctius dictas esse quam *ignes sopitos in aris* vel *ignes aras* in promtu est intelligere. Sed *Herculeos ignes* non satis expedio. Herculis ara ante urbem in luco erat: sup. vs. 104. De alio quam de sacro Penatibus in penetralibus domus facto locus vix intelligi potest. Iam *ignes Herculei* in foco vel ara Penatium sopiti aut ornantur epitheto hoc respectu Herculis, qui olim eandem ad aram sacra fecisse putandus est (cf. 362 sqq.); aut intuitu moris religiosi, quo ignis ex sacro Herculis hesterno (vide v. 102, 104) servatus et in focum domesticum repositus fuerat (Sic Cerda et alii); aut Hercules fuit Evandro Penatium loco Geniusque Ideo seu Lar domesticus. Suspicatus sum iam olim *Hercei ignibus* scriptum fuisse a Marone, Iovis Hercei ara in penetralibus posita. *Larem hesternum* si iungis cum *excitat*, accipies pro foco et igni hesterno, heri accenso in foco, ante Larem; ut sint: *ignes in ara et larem hesternum* excitat. Hoc perquam durum est, etsi solet ita poëta eandem notionem bis terve ornare; sin iungas: Et ... excitat *hesternumque Larem parvosque Penates adit*, id quod sollennis sententiarum ordo in poëta suadere potest, alio modo laboras in iunctis sine ulla vi et sine more *Penatibus et Lare*: tum manet difficultas in epitheto *hesterni* Laris. Hactenus praeferri potest *externumque Larem*: ξένιον. Ita saltem sine offensione lectio procedit; *Et primum Hercei sopitas ignibus aras Excitat*; *externumque Larem parvosque Penates Laetus adit*. *parvos Penates* Evandri, parva sigilla, ut humilem casam decebat. — *adit* precando, προσέρχεται (*Ignes* heri in Herculis honorem incensi rursus suscitantur in aris, ubi Evander inprimis Herculi litaverat; vocantur itaque *herculei*: quo facto etiam *lar*, quem heri modo noverat, et parvi Penates salutantur. Hanc simpliciorem rationem praeferam. *R.*) Puta haec fieri in suscipienda profectione et adeundo novo discrimine.

546. Amne adverso a litore Laurentino Pallantium navi advenerat Aeneas; sup. v. 90; nunc ea navi partem sociorum ad Ascanium et castra redire iubet; altera parte sibi adiuncta et Arcadibus comitibus terra per Etruriam Caere et ad Tarchonem (*Tyrrhenum regem*) proficiscitur. *qui sese in bella sequantur*. Paullo obscurior sententia; nam ad bellum non profi-

Praestantis virtute legit; pars cetera prona
Fertur aqua segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque. 550
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva:
Ducunt exsortem Aeneae, quem fulva leonis
Pellis obit totum, praefulgens unguibus aureis.
Fama volat parvam subito vulgata per urbem,
Ocius ire equites Tyrrheni ad limina regis. 555
Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor et maior Martis iam adparet imago.
Tum pater Evandrus dextram conplexus euntis
Haeret, inexpletum lacrimans, ac talia fatur:
O mihi praeteritos referat si Iuppiter annos! 560
Qualis eram, quum primam aciem Praeneste sub ipsa

ciscitur Aeneas, sed ad auxilia et societatem Caeretanorum parandam. Servius multis allatis nihil expedit. Dicendum, esse haud dubie viros delectos ad casum belli seu pugnae, ut Aeneae latus tegerent in discrimine belli (pugnae, quae mox subeunda erat. *R.*), sicut et infra iterum v. 606: *et bello lecta iuventus.* Cf. X, 260 sqq. — 549. *segnis*, sine remigio; unde *defluit.* — 550. *Ascanio*: remanserat is apud Troianos in castris sub Tiberis ostia. Cf. sup. VII, 158, 159. De eorum autem adventu in castris nihil amplius memoravit poëta. Cf. ad X, 238. — 552. *exsortem*, eximium, ἐξαίρετον. Adducitur equus Aeneae praecipuus. Cf. V, 351.

554 sqq. Non male sequentia ad sensum et affectum in tali rerum articulo efficta et esposita. Matrum timor; Evandri senis vota ac preces; totus discessus. Verss. 560 sqq. ex Homericis sunt adumbrati, Nestoris oratione Il. η, 132 sqq., λ, 669 sqq. ψ, 629 sqq. Vlyssis ad Eumaeum Od. ξ, 468 sqq. Laërtae Od. ω, 375 sqq. Aliorum imitationes v. apud Cerdam. Fabulam de *Herilo* Praenestinorum duce domesticam nescio unde acceperit; sed triplicem vitam ipse poëta fingere potuit ad exemplum eorum, qui caesi reviviscerent, aut ad exemplum Antaei vires a terra matre sumentis, in quam victus procubuerat. — 556. *propiusque periclo It timor* grammatice nihil aliud esse potest quam *timor it propius*, pro: timor est, fit propior, h. e. magis instat, fit maior, acrior *periclo*, cum periculo quo magis hoc instat aut instare putatur. Mulieres prae timore propiores iusto se credunt esse periculo, ne amittant suos. Paullo aliter Silius I, 13: *propiusque fuere periclo, Quis superare datum.* Sententia ipsa postulat sensum, augeri, acriorem fieri timorem, quo propius cum ipso discessu ad bellum fit et instat periculum seu periculi cogitatio. — 559. *inexpletum*, ἄπλητον, ut exsatiari flendo nequeat. — 561 ut sim talis, *qualis eram* etc. ἐξ'

Stravi scutorumque incendi victor acervos
Et regem hac Herilum dextra sub Tartara misi!
Nascenti cui tris animas Feronia mater
Horrendum dictu! dederat; terna arma movenda, 565
Ter leto sternendus erat: cui tunc tamen omnis
Abstulit haec animas dextra et totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo; neque finitimo Mezentius usquam
Huic capiti insultans tot ferro saeva dedisset 570
Funera, tam multis viduasset civibus urbem.
At vos, o superi et divom tu maxime rector
Iuppiter, Arcadii, quaeso, miserescite regis
Et patrias audite preces: Si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant, 575
Si visurus eum vivo et venturus in unum,
Vitam oro; patiar quemvis durare laborem:
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris,
Nunc, o nunc liceat crudelem abrumpere vitam!
Dum curae ambiguae, dum spes incerta futuri, 580
Dum te, care puer, mea sera et sola voluptas,
Conplexu teneo; gravior ne nuntius auris
Volneret. Haec genitor digressu dicta supremo

ὡς ἡβώοιμι Nestor Il. η, 157. λ, 669. — 564. *Feronia* sup. VII, 800, *viridi gaudens Feronia luco*. — *terna arma movenda*, ut ter reviviscens ter rebellaret ideoque ter esset vincendus: nam mox: *totidem exuit armis*, ter spoliavit victum (*finitimo* mihi: restitui cum Heinsio aliisque e cod. medic. al. *finitimus* ex edit. Aldina 1514 fluxit. *R.*) — 572. Habent hae preces tanto plus suavitatis, quod tamquam praesensione aliqua tacita imminentis filio fati factae videntur. Nam interimitur Pallas lib. X, 508. — 576. *venturus in unum*, iterum cum revisurus et conventurus. — 578. *sin*: nota ὑφημίας. — 579. *crudelem vitam*, miseram; quae enim miserum reddunt aliquem, a crudeli se saeva mente, quae nec miseratur alterius, proficisci videntur. — 580. Aeulius sententiam exhibit Valer. Fl. I, 326, 327, ubi a v. 325 vestigia Maronis legit: *Sin aliud Fortuna parat, miserere parentum; Mors bona, dum metus est nec adhuc dolor*. — 581. *sera*; ergo erat τηλύγετος, in senectute patris natus. — 582. *gravior ne nuntius vulneret*, ut τρῶσαι ap. Homerum pro βλάψαι, laedere, dolore afficere.

Fundebat: famuli conlabsum in tecta ferebant.
Iamque adeo exierat portis equitatus apertis, 585
Aeneas inter primos et fidus Achates;
Inde alii Troiae proceres; ipse agmine Pallas
In medio chlamyde et pictis conspectus in armis,
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignis, 590
Extulit os sacrum coelo tenebrasque resolvit.
Stant pavidae in muris matres oculisque sequuntur
Pulveream nubem et fulgentis aere catervas.
Olli per dumos, qua proxima meta viarum,
Armati tendunt. It clamor, et agmine facto 595
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,
Religione patrum late sacer; undique colles

585 608. A Pallanteo profectio fit ad castra apud Caere. — 588 Non agnosco hypallagen, ut sit pro chlamyde pictas; sed *picta arma* sunt auro argeotoque distincta. Memorantur et alibi, XII, 381. XI, 660. — 589 sq. Homericam esse comparationem multi prooountiarunt, oec tamen locum enotatum video, qui commode satis comparari possit. Il. ε, 6, 7. de canicula agitur, unde traoslatum est illud: ὅστε μάλιστα λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος ἠκιανοῖο· non igitur *perfusus Oceani unda* alio spectat, quaro ad ortum es mari. *Quem Venus* etc., quia est stella Veneris, ut satis notum. At Il. χ, 317 est: οἷος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ. Cf. Apollon. III, 957 sqq., ubi de Sirio. — 591 splendidus versus de ortu in estrema coeli ora, qua mare ambit. Sup. Ge. IV, 232: *Taygete simul os terris ostendit honestum.* — 594. *per dumos*, per virgulta, silvas: cf. Stat. II Theb. 496, 497. — *meta viarum* ornate pro via; proprie terminus et finis viae. — 596. Versum feliciter ipso verborum sono rem refereotem mirati sunt multi: comparato quoque v. 465, 466, II. β. Odimus subtilitatem molestam in talibus: ipsum ioflammati impetum iogenii in haec, natura ducente, incidere oeçesse est; quomodo enim aliquis celeriter facta languida oratione reddere malit? *putrem* in pulveream resolutum, pulverulentum: quod iam vidimus Ge. I, 41. 215. II, 201. Praeieral Ennius apud Macrob. VI, 1 ex Annal. VI: *totam quatit ungula terram*, et Annal. VII: *summo sonitu quatit ungula campum*, et lib. XVII: *it eques et plausu cava concutit ungula campum.* Repetit Maro versum inf. XI, 875. — 597. *Caeritis*: Caere, τὸ Καῖρε, Καιρὴ, Καίρητα, Agylla, et, qui eam incolit, Caeres: unde potest ac-

Inclusere cavi et nigra nemus abiete cingunt;
Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos, 600
Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque,
Qui primi finis aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis, celsoque omnis de colle videri
Iam poterat legio et latis tendebat in arvis. 605
Huc pater Aeneas et bello lecta iuventus
Succedunt, fessique et equos et corpora curant.
At Venus aetherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat; natumque in valle reducta
Vt procul egelido secretum flumine vidit, 610
Talibus adfata est dictis seque obtulit ultro:
En perfecta mei promissa coniugis arte

cipi *Caeritis* urbis et *Caeritis* fluminis. Minio perperam a Servio huc advocatur ex X, 183. Fluvius est Caeretanus, oppido proximus, nunc *Vacina* dictus, ut Cluverius docet. Situm autem locorum hunc fere esse puta. Caere urbs in alto posita (sup. 478); prope urbem per agros defluit amnis, cui lucus adiacet. Agrorum planitiem cum amne et luco undique cingunt colles nemorosi, abietibus consiti: *colles cavi*, cavam convallem efficientes, *et nemus nigra abiete inclusere*, includunt, et *cingunt undique* lucum prope amnem. Alii *cingit*, ita ad solum *nemus* verbum grammatice refertur: dummodo *colles et nemus* iungantur, h. e. colles nemorosi. Minus bene *lucus et nemus nigra abiete* iungantur: ita colles essent nudi et abietes in convalle. — 600. *Pelasgos; Qui primi fines a.* Agyllam inter eas Etruriae urbes memorat Dionys. Hal. I, 20. III, 58, quas Pelasgi potissimum insederint et in quibus Pelasgorum sermo praevaluerit et quae plurimum Pelasgici moris servarint. — 601. *lucumque diemque;* lucum Silvano consecrasse ferebantur advenae Pelasgi et sollenne annuum Silvano instituisse. — 603. Non male, puto, quaeras cum Servio: quomodo *castra in tutis locis* habere potuerint, si in valle et campis erant et e collibus prospici et adiri poterant. — 606. *bello lecta*, v. sup. ad 547. Aeneas cum suis in colle consederat. — 607. Reliqua poëta exaequitur lib. X, 148 sqq.

608. Haud dubie Maro, si carmini absolvendo vitae usus contigisset, melius hunc locum constituisset. Arma coelo delapsa iam supra, dum Evandri hospitio utebatur, memoraverat, re in prodigium versa 524 sq. Nunc, cum inde profectus ad Caere sub arbore consedisset Aeneas, ecce Venus adest et arma apportat. Compara Il. σ, 615, 616 et τ, 3. *nimbos* pro nubibus, aëre. *secretum* docte pro: solum in secreto loco, apud flumen. — 612. *En perfecta*, cf. Il. τ, 10,

Munera! ne mox aut Laurentis, nate, superbos
Aut acrem dubites in proelia poscere Turnum.
Dixit et amplexus nati Cytherea petivit; 615
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.
Ille deae donis et tanto laetus honore
Expleri nequit atque oculos per singula volvit
Miraturque interque manus et brachia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem 620
Fatiferumque ensem, loricam ex aere rigentem,
Sanguineam, ingentem, qualis quum caerula nubes
Solis inardescit radiis longeque refulget;
Tum levis ocreas electro auroque recocto
Hastamque et clipei non enarrabile textum. 625
Illic res Italas Romanorumque triumphos
Haud vatum ignarus venturique inscius aevi

11. *arte promissa*. cf. ad 531, 554. — 617. *honore* puto dictum pro munere, ut γέρας: munus parat honorem. — 619 est Homericum τέρπετο ete. Iliad. τ, 18. *expleri* adspectu, quod ex ipsa re facile intelligas, satiari. 265 *expleri tuendo*, et I, 713 *expleri mentem nequit ardescitque tuendo*: fere ut υἷος ἐνιπλησθῆναι Odyss. λ, 451. — 620. *flammas vomentem* poëtica imago splendoris coruscantis, ex Il. ε, 4: Δαΐε οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ. — 622. *sanguineam*, Serv. cruentam, terribilem; immo rutilam, si ex aere thoracem cogites. Ornavit autem et ad terrorem usque auxit Maro, quod nude posuerat Homerus Il. σ, 609: θώρηκα φαεινότερον πυρὸς αὐγῆς. *qualis*, ut οἷη, omisso, talem, tam longe fulgentem, qualis, qualiter nubes, quum. — 624. Plin. XXIII, s. 20. aes. . . . *an satis recoctum sit, splendore deprehendente*. — 625. *clipei non enarrabile textum*: argumentum clipei: tam varium et copiosum illud erat, ut enarratu esset difficile.

626. Sequitur locus de clipeo Aeneae nobilissimus. Clipeum autem cogita ita informatum, ut in media parte seu umbone mare esset cum pugna Actiaca: de qua a v. 676 sqq. Exterior ora in plures areas seu regiones discreta; quarum argumenta: I. Lupa Romulum et Remum lactans v. 630. II. Raptae Sabinae, bellum foedusque inter Romulum et Tatium factum 635. III. Meti Fufetii supplicium 642. IV. Roma a Porsenna obsessa cum Coclitis et Cloeliae facinoribus 646. V. Capitolium a Gallis oppugnatum et, arce iam capta, excitati anserum strepitu Romani ad propugnandum ruentes 652. VI. Urbs religionibus celebris ideoque pace florens 663. VII. Catilina in Tartaro 666. VIII et Cato in Elysiis 670. — 627. *Haud vatum ignarus* h. e. praedictionum, quas a vatibus Aeneas acceperat. *Fecerat et*: inter caetera,

Fecerat ignipotens; illic genus omne futurae
Stirpis ab Ascanio pugnataque in ordine bella.
Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro 630
Procubuisse lupam; geminos huic ubera circum
Ludere pendentis pueros et lambere matrem
Impavidos, illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos et corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam et raptas sine more Sabinas 635
Consessu caveae, magnis Circensibus actis,
Addiderat, subitoque novum consurgere bellum
Romulidis Tatioque seni Curibusque severis.
Post idem, inter se posito certamine, reges
Armati Iovis ante aram paterasque tenentes 640
Stabant et caesa iungebant foedera porca.
Haud procul inde citae Metum in diversa quadrigae
Distulerant (at tu dictis, Albane, maneres!)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per silvam, et sparsi rorabant sanguine vepres. 645
Nec non Tarquinium eiectum Porsena iubebat

quae poëta memorare non vult: secundum vs. 626. 28, 29. Illa de Lupa lactante Romulum et Remum pueros egregie et vividis imaginibus suavibusque sententiis sunt narrata v. 630-634; ut toties in numis et signis veterum aliisque operibus efficta occurrunt. *fita*, enixa, ut alibi. V. Ecl. I, 50. *Martis antrum* multi memorant, obvium illud in numis gemmisque.

635—641. *sine more*, sine lege, ἀκόσμως, incomposite, temere. Cf. VII, 277. V, 694. — 636. *caveam*, h. l. in circo dixit. *magnos Circenses ludos* dixit, quae Livio et aliis Consualia sunt Neptuno equestri celebrata; fortasse in horum locum Circenses successerunt. — 637. *consurgere bellum*: structuram invertit; debebat sequi: et consurgens inde bellum novum. — 638. *Curibus severis*, ad Sabinorum disciplinam spectare facile intelligitur. — *porca caesa*, ex more perpetuo sacrorum in foederibus faciendis (v. c. Liv. I, 24.), quod et ipsum argumentum est multorum numorum, inprimis gentis Sulpiciae, Veturiae, Antestiae.

642—645. Liv. I, 27, 28. — 643 docte magnaque cum vi inversa oratio in illis: *at tu dictis, Albane, maneres!* pro quod in fide non mansserat. *mendacis* proprie perfidi. Foeditas spectaculi ad nostrum sensum ingrata asperis et gladiatorise pugnae adsuetis Romanorum animis minus displicere potuit.

646—651. Liv. II, 9 sq. Effictus

Adcipere ingentique urbem obsidione premebat;
Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem similemque minanti
Adspiceres, pontem auderet quod vellere Cocles 650
Et fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis.
In summo custos Tarpeiae Manlius arcis
Stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque hic auratis volitans argenteus anser 655
Porticibus Gallos in limine adesse canebat;
Galli per dumos aderant arcemque tenebant,
Defensi tenebris et dono noctis opacae:
Aurea caesaries ollis atque aurea vestis;
Virgatis lucent sagulis; tum lactea colla 660
Auro innectuntur; duo quisque Alpina coruscant
Gaesa manu, scutis protecti corpora longis.
Hic exsultantis Salios nudosque Lupercos

autem Porsenna stans ad Tiberim. — 650. *pontem* sublicium evellens trabes sublicis impositas. *vinclis ruptis* simpl. de custodia accipiendum.

652—662. Liv. V, 47. *In summo* non clipei; sed *in summo arcis Tarpeiae.* — 654. Visebatur porro in Capitolio casa recenti culmo tecta, regia Romuli dicta. Pro *erat* ornate *horrebat.* — 655. Quae sequuntur, poëtica sunt, non qualia ab artifice facile in metallo effingi potuerint. Anser volitans ad nostrum sensum displicere potest, non aeque ad sensus Romanorum. — 657. *tenebant:* de conatu, ut saepe; iam in eo erant, ut tenerent. *et dono noctis opacae:* paullo otiosius adiectum videtur. *dono* h. e. beneficio, munere. — 659 sq. Habitus Gallorum bene descriptus, etsi alieno fortasse loco. Notae eorum cumae rutilae, saga virgata, aurei torques, gaesa, scuta vasta. — *aurea vestis.* Mirum hanc de barba accipere Servium eumque sequi alios Si barba vestire gensa dicitur poëtis, an propterea vestis absolute de barba dicetur? Vestem intellige illa ipsa sagula ex auro facta ab artifice (seu ut colorem luteum et flavum referret, seu quod auro textas vestes amarent Galli. Cf. Silium IV, 155) versicoloribus segmentis vel virgis intertextis: qui quidem habitus, Gallis, Germanis et Britannis frequentatus, Scotis nondum in usu esse desiit. *lactea colla* proprie de Gallis. *Candidi paene sunt Galli omnes*, nota vox Ammiani. *duo gaesa*, e more, v. Cluver. German. I, 44 et omnes eos, qui Gallicam et Germanicam antiquitatem recoquunt; item Cerdam ad h. l. et Heins.

663—666. Religiosa spectacula immiscet poëta: sacra ancilia (Martiis

Lanigerosque apices et labsa ancilia coelo
Extuderat; castae ducebant sacra per urbem 665
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis;
Et scelerum poenas et te, Catilina, minaci
Pendentem scopulo Furiarumque ora trementem;
Secretosque pios; his dantem iura Catonem. 670
Haec inter tumidi late maris ibat imago
Aurea, sed fluctu spumabant caerula cano;
Et circum argento clari delphines in orbem
Aequora verrebant caudis aestumque secabant.

Kalendis vid. Ovid. Fast. III, 373 sqq.), Lupercalia (ibid. II, 267 sqq.), Flaminum caerimonias et pompam matronarum ad ludos vel sacra, ad quae pilentis vehi licuit. V. Liv. V, 25, 29. Sacra Cereri vel Carmenti faciendа potissimum respicere potuit Maro. — 666. *mollia* pilenta appellat puto propter mollem et lentum incessum, quem ipsa structura et situs editus ac celsus suasisse videtur. Servius pensiles currus interpretatur, ideoque mobiles, motu faciles, ut *mollia oscilla* Ge. II, 389. Iulius autem Sabinus *delicata* exponit. Saltem sic accipiam, quae mollium et delicatorum hominum sunt carpenta. — 664. *Apex* laneis vittis ornatus Flaminum proprius.

666—670. Etsi alieno loco intrusa putem loca infera, praeclare tamen ea ornavit. *Catonem piis iura dantem*, pro iudice sedentem; quis non miratus est? Pro *Catilina* erant haud dubie, quos malis supplicio affectos videre: sed parum prudenter minusque decore poëta Marium vel Sullam, Cinnam aliumve, qui remp. everterat, nominasset; contra in Catilina scelus manifestum et confessum. — *pendentem scopulo*, puto tamquam equuleo distentum: tracta rei facie a Prometheo rupi alligato; pro vultore Furiae adsident. — *minacem scopulum* tamquam ruiturum et ruina eum sua oppressurum. — *Furiarum ora trementem* ut sup. VI, 605-607: adde 571. — *dantem iura*, iudicem constitutum ut alterum Minoëm vel Rhadamanthum, memoratum sup. VI, 566. De *Catone Uticensi* agi liquidum est; vel ex opposito Catilina: alter oppugnavit patriam, alter libertatem propugnavit; nec vero alius, quam ad eius severitatem, respectus habitus videtur; quo magis vana est Servii aliorumque dubitatio verentium, ne Augusto Catonis memoria parum grata esse debuerit. Sed hoc refellere iam alii studuerunt, in primis ad Horat. I Carm. 12, 35.

671—674. *Inter haec* vel inter cetera; vel in horum medio. Oceanum Homeri Iliad. σ, 606, 607 ante oculos habuisse et delphines Hesiodi exemplo Sc. Here. 209-212, iudicio tamen parum severo intexuissa videtur. Alia Quinti Cal. imitatio lib. V, 93 sqq. Effinxerat Vulcanus mare ad Actium; spuma albicante; belluis argenteis in

In medio classis aeratas, Actia bella, 675
Cernere erat; totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
Cum Patribus Populoque, Penatibus et magnis dis,
Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas 680
Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.

mari aureo. Restabat materia navibus effingendis aes.

675 sqq. Splendida carminis pars, quam velim unam clipei argumentum a poëta factum esse. Iam Propertio hic locus adeo probatus fuit, ut, etsi tum tota Aeneis nondum evulgata esset, ex eo tamen carminis summam praestantiam auguraretur: *Actia Virgilium* (iuvet) *custodis littora Phoebi, Caesaris et fortes dicere posse rates: Qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma Iactaque Lavinis moenia littoribus. Cedite Romani scriptores, cedite Graii, Nescio quid maius nascitur Iliade.* lib. II, El. extr. *In medio* clipei, non maris: etsi hoc mediam clipei aream occupare putandum. Si tamen, praeter pugnam, etiam fugam et triumphum complexa est, in plures partes ac regiones ea quoque area distincta esse debuit. *Actia* bella, pugnam Actiacam. *instructo Marte*, hoc est classe instructa, *videres fervere totum Leucaten*: proprie classis fervebat, magno studii aestu se movebat, ad Leucaten: locum ex vicinia posuit, ut tanto maior rei esset species. Nam classis utraque obversa erat claustris et faucibus sinus Ambracii; pugnatum enim est in exteriore sinu versus mare patente. Agitur autem de ipsa pugna, non de iis, quae antecesserunt. Alioqui locum haberet Florus IV, 11, 4: *Caesar... positisque in Epiro castris Leucadem insulam montemque Leucaten et Ambracii sinus cornua infesta classe succinxerat.* In sqq. non ubique ipsam rerum gestarum fidem, quod nimis religiosum fuisset, quam artis vel carminis rationes et opportunitates videtur sequutus. Nam classi universae M. Agrippa praefuit; Octavianus autem Caesar cum M. Valerio Messala aliisque rerum summae, ubicunque res poscerent, prospicere satagebat. *Italos* praeclare, ut *barbaricas opes* Antonii v. 685 opponeret; et multo angustior rerum species in altero versu: *Cum Patribus, populoque, Penatibus et magnis dis*, ut causam reip. a Senatu populoque Romano commissam tueri Augustus videretur. *Penatibus et magnis diis*, explicative alterum adiectum pro: et cum Penatibus, magnis diis (nisi forte penates ad Augustum et magnos deos ad rempublicam referre malis. *R.*): cf. ad III, 12. — 680, 681. *geminas cui tempora flammas Laeta vomunt.* Perperam ad oculos Augusti fulgentes (v. Sueton. c. 79.) refert Servius et alii. Habuit poëta in animo Diomedis cassidem Il. ε, 4 sq.: Δαΐῃ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ etc. et in miraculum conversus est galeae ex aere fulgor, qui radiorum vel nimbi speciem referre videri poterat, in primis si bucculas galeae cogites. *laeta* ad splendorem spectat: ut lib. I, 594: *laetos oculis afflaret honores.* Sed cur

Parte alia ventis et dis Agrippa secundis
Arduus agmen agens, cui, belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata corona.
Hinc ope barbarica variisque Antonius armis, 685
Victor ab Aurorae populis et litore rubro,
Aegyptum viresque Orientis et ultima secum
Bactra vehit; sequiturque nefas! Aegyptia coniunx.
Vna omnes ruere, ac totum spumare, reductis
Convolsum remis rostrisque tridentibus, aequor. 690
Alta petunt: pelago credas innare revolsas
Cycladas, aut montis concurrere montibus altos:
Tanta mole viri turritis puppibus instant.
Stuppea flamma manu telisque volatile ferrum

geminas flammas dixit? accipio dictum poëtica forma, cum deberet *gemina tempora* memorare. In vertice *aperitur*, lucet, apparet (proprie de oriente et in conspectum veniente sidere) stella Iulia, Caesaris capiti appingi solita in memoriam stellae crinitae, in quam inter ludos funebres habitos anima Caesaris abiisse credita est: v. ad Ecl. IX, 47. Eandem stellam respexit Propert. IV, 6. 29, 30.

682. *Parte alia* aciei Agrippa classem agit *ventis secundis*. Adversus fuerat ad quintum usque diem ventus. Plutarch. M. Anton. pag. 945 F. conf. Serv. in extrema parte notae ad v. 682. *arduus* aut ipse stans arduo in loco, aut navi ardua conspicuus. — 684. *navali corona*, quae eadem *rostrata*, rostris ex auro vallata, qua paullo ante donatus fuerat in bello Siculo, victo Sex. Pompeio. V. Vellei. II, 81, 3 et numos Agrippae. Doctius autem dixit *tempora rostrata*.

685. *ope barbarica*. Ex adverso expressus in aere Antonius cum copiis ex barbaris populis diversis (unde *varia arma*) conscriptis, praeter legiones, quas habebat (cf. Plutarch. M. Anton. p. 944 B.); *vehit*, ducit copias ex Aegypto. — 686. *Victor ab Aurorae populis et litore rubro*, h. e. Eoo, magnifice ex sollenni poëtarum more. Vult praelia eum Parthis, quibus Oriens tum parebat, dicere, inter quae nonnulla fuere satis felicia. Pari modo *Bactra ultima*, in remotissimo Oriente sita, nominat. Habuit Antonius auxilia a rege Medorum submissa, testante Plutarcho p. 944 C. Eidem sic v. 705, 706.

689. *reductis remis* proprie Ovid. Met. XI, 461: *reducunt ad fortia pectora remos*. Tum *ruere* videtur dictum transitive, *ruere* se. mare remis et ipsa carina: ut I, 35: *spumas salis aere ruebant*. — 691. *Alta petunt*. Compara Plutarch. p. 946 B. C. — 693. *puppibus turritis tanta mole*, tantae molis. Spectat hoc maxime ad Antonianas naves ad denos remorum ordines assurgentes, *ad hoc turribus et tabulatis allevatas* etc. Flor. IV, 11, 5 et sua magnitudine, in primis in ista remi-

Spargitur; arva nova Neptunia caede rubescunt. 695
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro,
Necdum etiam geminos a tergo respicit anguis;
Omnigenumque deum monstra et latrator Anubis
Contra Neptunum et Venerem contraque Minervam
Tela tenent. Saevit medio in certamine Mavors 700
Caelatus ferro tristesque ex aethere Dirae,
Et scissa gaudens vadit Discordia palla,

gum inopia, ad regendum difficiles. Plutarch. l. c. Dio L. 32, 33. — 694. *stuppea flamma*: ad rerum veritatem, cum ab Antonio relictae naves pertinaciter pugnare pergerent. v. Dio l. c. 34, 35. Horat. I, Od. 37, 13: *Vix una sospes navis ab ignibus.* — 695. *nova caede* sc. inter hos ipsos ignes missiles et navium incendia. At in verbis obscuritas est: *telis volatile ferrum spargitur.* Vix aliter dictum esse potest *ferrum* quam pro telis et sagittis. Tum vero quomodo *telis* telum emittitur? An *tela* pro machinis dicta? Vis potes fieri posse (Quidni, quum telo etiam de funda usos esse constet e Liv. 38, 29? *R.*) Si iungas *ferrum volatile telis*, ne sic quidem, nisi perquam dure, dictum pro ferrum telorum, tela ferrea. Lenius esset: *telum volatile ferro.* Sin *spargitur ferrum telis* h. e. per tela, missilia: non minus molestum hoc. Vix sana lectio. Saltem accommodatior altera: *telique.*

696. Acerbè haec de Cleopatra. Potuit fortasse, quod tamen ignoro, sistri usus esse apud Aegyptios in bello. Ex hoc tamen loco non conficitur. In ludibrium versa re sistrum memoratur, quod regina cum turba spadonum et feminarum ludis et choreis vacante in media classe versatur: sistri autem usus in lascivia Aegyptiorum frequens. Docet quoque Propertii imitatio lib. III, 11, 43: *Ausa Cleopatra... Romanamque tubam crepitanti pellere sistro.* — 697. Necdum mortem futuram admota sibi aspide prospicit. Sequitur forte Virgilius aliquam famam, duo eam angues sibi admovisse.

698—703. Praelium deorum artifex effinxerat in aere: ab una parte pugnabant dii Aegyptii, ab altera Romani. In medio pugnam incendunt Mars, Dirae, Discordia, Bellona. Partim haec ex deorum in praeliis Homericis interventu, partim, in primis Discordia et Bellona, ex praeclaris locis clipei Achillis Il. σ, 535-538 et clipei Herculis apud Hesiodum v. 248 sqq. 447, 453 sqq. adumbrata. Alias imitationes vide apud Quintum Cal. X, 53 sqq. XI, 8 sq. VIII, 186 sqq. — *latrator Anubis*, capite canino. Propertius, qui hunc librum nondum editum legerat (v. ad v. 675), hinc traxit lib. III, 11, 41: *Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubin* etc. — 701. *caelatus*, exsculptus; nam de anaglypho agitur et *caelare* sic proprie in aere dicitur. *ex aethere Dirae* ideoque volantes. Reddidit eo nomine, puto, Κῆρας Hesiodi in Scuto Here. 248 sqq. Homero sunt Κῆρες θανάτοιο. Simili modo *Mors alata* poëtis est. — 702. *scissa Discordia*

Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Aegyptus et Indi, 705
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare et laxos iam iamque inmittere funis.
Illam inter caedes pallentem morte futura
Fecerat ignipotens undis et Lapyge ferri; 710
Contra autem magno maerentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus et tota veste vocantem
Caeruleum in gremium latebrosaque flumina victos.
At Caesar, triplici invectus Romana triumpho

palla. Redhibuit eam *laceratam pectore vestem* Petron. c. 124. *Bellona* cum flagello passim obvia.

704—705. Homero ablecta et haec Apollinis species pro Iliacis muris pugnantis Iliad. π, 700 sqq.; sed praeclara cum arte et sollertia. Certavit cum Marone Propert. IV, 6, 55, 56 et 68 et Albinovanus Eleg. in Maecen. 55, 56. Potuit tamen eam imaginem facile menti obiicere signum Apollinis sagittam emittentis, ἑκηβόλου, in promontorio Actiaco positum. Pugnatum autem, ut supra diximus, in conspectu Apollinis Actii in exteriore parte sinus Ambracii; de quo videnda Delineatio et Descriptio eius sinus auctore d'Anville (in *Mem. de l'Acad. des Inscr.* T. XXXII, p. 515). *Actius Apollo* v. ad III, 275, 707 sqq. Prima regina fugam circumspexit; ut omnes tradunt: Plut. Anton. p. 946. E.: Dio L, 33. — 707. *ventis vocatis* v. ad lib. III, 253. et *laxos inmittere* (hoc a curribus petitum) pro: laxare, solvere funes, ideoque vela explicare et expandere. cf. X, 229 ibique not. — 709. *pallentem morte futura*: quasi praesensione mortis hanc fugam consequuturae. Pallorem autem argento vel alio metallo debuit reddere artifex: quemadmodum, *ut locastae vultum exanimem exhiberet, ex aere et argento conflata massa unus fertur* artifex. V. Plutarch. Conviv. Qu. V, 1; et Aristonidas artifex, *cum exprimere vellet Athamantis furorem ... residentem poenitentia, aes ferrumque miscuit, ut rubigine eius per nitorem aeris relucente exprimeretur verecundiae rubor*. Plin. XXXIV, 14, s. 40. *Lapygem* proprie dicit; nam ab occidentali illa plaga debuit venire ventus Cleopatrae secundus.

711—713. Poëticum phantasma magnum et praeclarum. Fuga petitur Nilus: in fugientes excipit. Propert. III, 11, 51 in loco hunc expresso: *Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili*. Iam Fluviorum simulacra cogita specie humana, recubantia et inferiore corporis parte veste tecta, ut tamen sinum facere possint, quem Nilus fugientibus ostentat. Ornate singula, etiam *latebrosa flumina*, quae pro latebris nunc erant.

714 sqq. Tandem triumphus Augusti erat effictus in clipeo. Fuit is

Moenia, dis Italis votum inmortale sacrabat, 715
Maxuma tercentum totam delubra per Vrbem.
Laetitia ludisque viae plausuque fremebant;
Omnibus in templis matrum chorus; omnibus arae;
Ante aras terram caesi stravere iuvenci.
Ipse, sedens niveo candentis limine Phoebi, 720
Dona recognoscit populorum aptaique superbis
Postibus; incedunt victae longo ordine gentes,
Quam variae linguis, habitu tam vestis et armis.
Hic Nomadum genus et discinctos Mulciber Afros,
Hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos 725

triplex trinia diebus: Dalmaticus, Actiacus, Alexandrinus. V. Sueton. Aug. 22. Dio LI, 21; necesse igitur est ab artifice ea, quae cuiusque diei essent, in unum fuisse congesta. *votum inmortale sacrabat*: templa, opera inmortalia dedicabat ex voto: et quidem magno numero; unde trecena dixit. Quae per reliquam Augusti vitam facta sunt, revocavit poëta sub unum tempus. Cf. Sueton. 29. Dio LI, 22.

717—719. Vivide laetitia publica describitur. Exquisite vero illa dicta pro vulgaribus: Omnibus in templis matronarum supplicantium coetus et *arae, ante quas* victimae immolabantur; unde strati iuvenci in terra et constrata terra iuvencis; tandem *iuvenci stravere terram*.

720 sqq. Splendida rerum species. Puta triumphatorem Octavianum iam intrasse urbem. Sedet pro tribunali sub portico et aditu templi Apollinis Palatini et prospectat (exquisite *recognoscit*; argutatur Burm. in etymo voc.) accedentem pompam triumphalem, in qua portantur coronae aureae, *dona populorum*; ducuntur captivi una cum signis fluviorum. — 721. *aptaque postibus*: coronas ergo in foribus vel porticu templi suspendi curavit. — 724, 725. Vides manifeste, quod supra ad v. 686. monuimus, poëtam carmini dignitatem et maiestatem parare ex nominum novitate vel peregrinitate vel vetustate. — *Nomadum genus et Afros*. Erat enim in Antonii partibus magna Africae para a Cyrenis usque ad Aethiopiam, et interfuit Antonii copiis Bogudes Mauretaniae rex; Plut. Anton. p. 944. B. Dio L, 6. *discinctos Afros*: mollitiem hominum arguit veste laxa et fluente. An is proprius Afrorum habitus fuerit, aliunde ignoramus. Hinc *Carthago discincta* occurrit ap. Auson. Panegyr. Gratiano dict. c. 14. *Lelegas Carasque*, ut nominum vetustate carmini dignitatem pararet, posuit pro populis et regibus minoris Asiae, quos enumeratos vides apud Plutarchum l. c. B. Leleges, de quorum sedibus Strabo lib. XIII multa disputat, cum Caribus oram Asiae maritimam tenuerant, antequam ab Ionibus eiecti ad interiora recesserunt. De his nec de aliis Lelegibus h. l. agitur. Frustra ad Dacos et Bastarnas nomen revocat Massonus

Finxerat; Euphrates ibat iam mollior undis,
Extremique hominum Morini Rhenusque bicornis
Indomitique Dahae et pontem indignatus Araxes.
Talia per clipeum Volcani, dona parentis,

in *Tano reserato* sect. III, c. 5, adversus quos M. Crassus bellum gessit. Meliore iure ad bellum illud referas *Gelonos*, quos pro Dacis vicinis nominare potuit: nisi tamen pro Thraeibus, ultra quos illi habitabant (conf. ad Ge. II, 115), dicti sunt, qui in Antonii copiis erant.

726. *Euphrates ibat iam mollior undis* h. e. leniore amne, ut domitum se ac subiugatum, h. e. populos accolas victos et subiectos, significaret. Vti *mollita* dicuntur et alibi, quae victa ac contusa coërcitaque sunt: sic *molles animi*, *mollia corda*. Notum autem vel ex Horatio: *Medumque flumen gentibus additum victis minores volvere vertices*: etsi hoc ad seriores annos spectat. Magno vero spiritu haec dicta et in maius aucta amplificataque sunt. Adversus Parthos enim illo anno nihil aliud nec susceptum nec gestum, praeterquam quod Augustus, Aegypto in potestatem p. R. redacta, in Syriam reversus Parthorum legatos audiit. Conf. Ge. II, 170. IV, f. Si vero haec, quae sequuntur v. 726, 727, 728, ad triumphum illum recte referuntur, Euphrates et Araxes cum Dahis poëtico more populos Orientis designant, qui Antonium secuti erant; Morini autem et Rhenus triumphum primi diei Dalmaticum respiciunt, quo etiam de Morinis, extremae orae Galliae Belgicae ad fretum Britannicum populo (unde *extremi hominum Morini*, ut *ultimi Britanni*, *ultima Hesperia*, apud Horatium) et nonnullis Galliae Germaniaeque populis rebellionis sociis, in primis Suevis Rhenum transgressis et a C. Carinate repressis triumphatum fuit; v. Dio LI, 21. Rhenus *bicornis*, Vahalis et Rhenus, ut tum quidem cursus erat, antequam Drusus tertium ostium, Flevum, fossa ducta efficeret. *Dahae*, Nomades ad orientale Caspii maris litus versus Osum incolentes ultra Hyrcanos. — *pontem indignatus Araxes*: nihil amplius, quam ut flumen rapidum ideoque pontis impatiens diceret eoque ipso feritatem accolarum Armenorum declararet. Sumserunt hinc Statius, Claudianus, Sidonius, quos apud Cerdam videre licet.

729. *Talia per clipeum*. Malim *clipeum*, *dona parentis*, matris Veneris, iungere, quam *talia dona parentis*. — 731. *famamque*, κλέος, Illustrium factorum sculpturam in clipeo. Ad hunc ultimum versum offenderunt passim viri docti: quibus praeivit Servius seu quisquis ille fuit, quem lacinia pannis Servianis attexta auctorem habuit. *Hunc versum*, inquit, *notant Critici quasi superfluo et inutiliter additum nec convenientem gravitati eius: namque est magis neotericus*. Addisonus, qui pulchrae simplicitatis sensum habebat mollissimum, hunc versum esse aiebat, in quo Virgilius lusisse videretur. Iure notatum versum ut a gravitate alienum et fere frigidum pronuntiat Dorvillius. Defendit eundem versum Hurdius, vir ingeniosus et doctus in *Commentar. Horat. Vol. I, ad* v. 97: ubi ambi-

Miratur rerumque ignarus imagine gaudet 730
Adtollens humero famamque et fata nepotum.

guitatem sententiae etiam in severiore carmine tuetur, et hunc locum copiose quidem et satis argute, ut solet, ita tractat, ut ad ancilium religionem et sanctitatem alludi dicat. Enimvero ante pedes erat, quod tam longe petitur, et verbo res transigi potest. Acumen lusus, quem inesse multi arbitrantur, in nostris est sensibus animisque, non in verbis nec in sententia animoque Virgilii. Poëticus sermo ita fert, ut, si quis *clipeum, cui facta praeclara et fata nepotum insculpta sunt*, sustulisse humero (alligatus enim loro clipeus humeris iniicitur) dicendus sit, res ita efferri possit: sustulisse eum *famam et fata nepotum*. Qui poëtica oratione imbutum habet ingenium, nihil amplius cogitat, quam: *miratur et* gaudet attollens in humerum clipeum, in quo fama et fata nepotum erant expressa. X, 496: *rapiens immania pondera baltei impressumque nefas: una sub nocte iugali Caesa manus iuvenum foede thalamique cruenti; Quae Aonus Eurytides multo vaelaverat auro.* Qui vero verbatim ista in patrium sermonem transfusa et ex proprio verborum significatu interpretata mente volvit, notiones alias adiungit, quibus ridicula et inepta redditur sententia. Cum his tamen omnibus facile concedam, splendore superiorum versuum inferiorem esse clausulam meliusque afore versum novissimum.

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER NONVS.

ARGVMENTVM

Turnus, absente Aenea et in Tuscia conquirendis auxiliis occupato, a Iunone per Iridem admonitus, ne tantam rei bene gerendae occasionem amitteret, quam proxime ad hostes copias admovet — 32. Qui cum suis se moenibus continerent neque aequo loco facerent dimicandi potestatem, ut illis spem omnem fugae intercluderet, classem exurere conatur — 76. Erat eius classis materia ex Idaeae Matris luco caesa: quapropter Matris precibus adductus Iupiter naves omnes incendio eripuit et in totidem Nymphas marinas convertit — 122. Post haec Turnus imminente iam nocte adversus hostium eruptiones ad oppidi portam excubias disponit: iis Messapum praeficit — 167. Interim consultantibus Troianorum ducibus, quemnam potissimum ad Aeneam mitterent, qui de suorum periculo eum faceret certiorem; ultro eam provinciam suscipiunt Nisus et Euryalus, coniunctissimum amicorum par — 277: qui cum urbe emissi hostium excubias vino somnoque obrutas offendissent, Rhamnetem cum magno Rutulorum numero trucidant eorumque se spoliis exornant — 366. Verum cum instante iam luce se recipere conantur, a Volscentis equitibus conspecti ad silvas confugiunt. Ibi Euryalus armorum pondere viaeque errore impeditus in hostes incidit et a Volscente, frustra deprecante Niso, confoditur — 437. Nisus quoque, caeso Volscente et Euryali nece strenue vindicata, multis vulneribus confossus super amici corpus concidit — 445. Capita hastis affixa in castra deferuntur; ubi a Troianis e moenibus agnita ingentem in urbe luctum excitant — 502. Interim Turnus totis viribus hostes oppugnat: magna utrinque strages editur — 589. Ibi Ascanius Numanum insolentius se iactantem sagittae ictu interficit — 617. Pandarus et Bitias successu elati portam recludunt

hostesque subeuntes ingenti caede propellunt — 690. *Eius rei nuntio accepto Turnus per portam patentem in oppidum seu castra irrumpit* — 733 *Troianosque in fugam convertit* — 777: *tandem hostium multitudine circumventus paullatim cedit ad eam oppidi partem, quae fluvio alluitur* — 789, *et, ut erat armatus, flumine secundo delatus escendit littus et incolumis ad suos revertitur.*

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Irim de coelo misit Saturnia Iuno
Audacem ad Turnum. Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est: 5
Turne, quod optanti divom promittere nemo
Auderet, volvenda dies en! adtulit ultro.

Quod ipsa rea et prudentia suadere debuit, ut per Aeneae absentiam Latini et Rutuli oppugnarent vallum Troianorum, hoc epicn more deae Iridis a Iunone missae monito tribuitur: Homeri exemplo v. c. Il. σ, 166 etc. Ad poëtae artificium agnoscendum Servii nota facit: *In hoc libro mutatio est omnium rerum; nam et aliae personae et loca alia sunt, et aliud negotium incipitur. Ab Aenea enim transit ad Turnum, a Tuscia ad Ardeam; a petitione auxiliorum ad bellum.* Redeunt autem in hoc et sequentibus libris pleraque ad bellicos apparatus et pugnas: ideoque poëta in angustum se coactum videre debuit, dum Homerum haberet, qui summa varietate omnia, quae in pugna fieri solent, exposuisset atque ideo circa res eadem aetate et eodem bello et ab ipsis Troianis gestas versatus occupasset, quicquid novitate et vitae heroicae more placere posset. Hoc meminisse debent, qui ultimos libros rerum novitate et varietate carere clamant. Argumenti naturae ea erant tribuenda, quae in poëta reprehendenda arbitrantur. Sed in hac ipsa argumenti inopia attendi velim animum ad ea, quae poëta ad tenendas et recreandas legentium mentes excogitavit sollertissime: ut in hoc libro episodium de Niso et Euryalo. Etiam illud praeclare factum, quod nunc res absente Aenea geritur, ut eius adventu nova rerum exspectatio fiat. Nec quicquam iniquius factum arbitror, quam quod hoc ipsum reprehensum est in poëta, quod hoc libro per Aeneae absentiam castra oppugnantur.

1 — 24. Iunonis iusso per Iridem accepto Turnus absente Aenea ad castra Troianorum expugnanda se accingit. — 3. *parentis Pilumni*, h. e. abavi. v. X, 619. *sedebat*, Asper *erat* interpretatus est: alia argutatur Servius; sed spectat simpliciter ad solitudinem et otium, cui convenit sedere. Lucum autem Pilumni in ea regione fuisse quidni admittamus? — 7. *volvenda dies*, quae volvitur. V. ad I,

Aeneas, urbe et sociis et classe relicta,
Sceptra Palatini sedemque petit Evandri;
Nec satis: extremas Corythi penetravit ad urbes 10
Lydorumque manum, conlectos, armat, agrestis.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere cur-
Rumpe moras omnis et turbata adripe castra! (rus!
Dixit et in coelum paribus se sustulit alis
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum. 15
Adgnovit iuvenis duplicisque ad sidera palmas
Sustulit et tali fugientem est voce secutus:
Iri, decus coeli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde haec tam clara repente
Tempestas? medium video discedere coelum, 20
Palantisque polo stellas. Sequor omina tanta,

269. Lucretius *sidera volvenda, aetatem volvendam* eodem modo dixit. — 9. *Sceptra* exquisitius quam regna; utrumque pro regia Evandri. *Corythi ad urbes*, ad Etruriam, quam designat a Corytho conditore Cortonae. Supra: *Corytham terrasque require Ausonias*, lib. III, 170. *Lydorum manum* Etruscos dixit ad vulgarem opinionem, qua ii a Lydis, Tyrrheno, Atyos filio, auctore repetebantur. Cf. VIII, 479, 480. — 13. *turbata arripe castra*, tumultu illato per ipsam accessum invade, occupa: scilicet ut *rapere* poëtis est pro *capere*. Dixit autem *castra* Troianorum v. 8. *urbem*, alibi *muros*, *aggerem*: nam Aeneas in littore, ubi escenderat, urbem, *novam Troiam*, condiderat, quam VII, 157, *castrorum in morem pinnis atque aggere cinxit*. Ea in extremo fere littore haerebat; subiecta in proximo loco classe. V. IX, 68, 69. — 15. *secuit* arcum pro: incessit per arcum. Sic *secare viam*, τέμνειν ὁδόν, incedere via, et primo loco τέμνειν ἅλα, *secare mare* sulco facto in fluctibus; hinc *terram*, tum ipsam *viam*. Servius reddit: Arcum fecit, secto coelo duxit: paullo aliter. Conf. ad V, 658. Versus 18 verba sunt ex II. σ, 182. — *duplices*, ambas, non duplicatas. Cf. I, 93. — 21. Non inauditum est ostentum: *palantes polo stellae*, in primis quia interdiu oblatum est auspicium; sed ornant haec coelum, quod Iride in coelum evolante disruptum est (hoc *discedere* dixit, voce in hac re propria, pro dehiscere, hiatum facere; cf. Seneca VII. Nat. Quaest. 20) et, quod alias in fulgure fieri solet, chasma fecit. Apposita vocant Grammatici. Si itaque dea ruptis nubibus ad interiora perrexit, stellas apparere nubibus remotis necesse fuit. Sic dii vi sua divina attollunt ac in nubes et ulterius in coelum perveniunt; h. l. per arcum coelestem Iris. *Sequor omina tanta*: accipio omen, inquit Turnus; et, qui mos erat, in visis, ostentis, omnibus, lustrandi causa aqua se perluit.

Quisquis in arma vocas. Et sic effatus ad undam
Processit summoque hausit de gurgite lymphas
Multa deos orans oneravitque aethera votis.
Iamque omnis campis exercitus ibat apertis 25
Dives equum, dives pictaï vestis et auri.
Messapus primas acies, postrema coërcent
Tyrrhidae iuvenes; medio dux agmine Turnus
Vertitur arma tenens et toto vertice supra est:
Ceu septem surgens sedatis amnibus altus 30
Per tacitum Ganges aut pingui flumine Nilus,
Quum refluit campis et iam se condidit alveo.

25—46. Accessu hostium Troiani se muris tenent inclusi. Fundum comparationis declarat Servius: exercitum primo confuse in campos ruisse, post digestum in ordines et fluminis morem in alveum suum reversi. Id vero longius petitum. Flumen aquis auctis crescens non nisi cum impetu ferri potest; at h. l. agmen longo ac lato ordine, lento gradu et composite incedens *fluminis lato alveo inter ripas devoluti* speciem prae se ferre bene dici potest. Quod in Gange alveo suo se continente declaraverat, mox variat in Nilo intra alveum recepto. De *Messapo* v. VII, 691. — 26. *pictai vestis*, more ut Etruscorum, ita aliorum Italorum. — 28. *Tyrrhidae*, Tyrrhei pastoris filii. v. VII, 484, 532. — 29. Versus haud dubie ex lib VII, 784 huc translatus. Deest pluribus et iis praestantissimis Codd. Ms.: ad haec comparationis nervum incidit. Recte itaque asteriscis ut sublestae fidei notatus. *septem surgens amnibus* nec ad ostia, nec ad tempora fluminis exundantia referendum; id enim a comparationis consilio alienum; repugnat quoque adiecta vox *sedatis*; sed *amnes* sunt alvei, quibus Ganges e montibus Emodis progressus in planis locis fertur iam *sedatis amnibus*; igitur Ganges inde ab ortu septem alveis incedit sedate ac tacito. *Surgere* autem est increscere aquis auctis; quod statis temporibus in Gange fieri, ut in Nilo, Virgilius acceperat; norat porro pluribus alveis Gangem deferri, numero septenis, et incedere placido cursu. Vnde haec tenuerit, ignoramus. Veteres utique (inde ab Eratosthenis tempore, circa 300 ante Christ. nat. *R.*) non nisi incerta de Gange acceperant; v. Plin. VI, s. 22. Bene Servius: *Ganges ... secundum Senecam in situ Indiae novem alveis fluit; secundum Melam* (in quo tamen locus hodie non exstat, nisi forte III, 7, med. de Situ orbis male intellectum Servio dicamus. *R.*) *septem*. Plures magni amnes in eum feruntur, quos septenos numero tradere potuerunt aliqui et pro alveis habere: multo magis, si fuisse neminem cogites, qui totum Gangis cursum emensus esset. *Ceu* sc. it, incedit, *per tacitum*, tacite: ut per silentium, per noctem et (quae Drakenb. ad Silium XV, 145. post Heinsium collegit) per occultum, per subitum, per longum,

Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri ac tenebras insurgere campis.
Primus ab adversa conclamat mole Caïcus: 35
Quis globus, o cives, caligine volvitur atra!
Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros!
Hostis adest, eia! Ingenti clamore per omnis
Condunt se Teucri portas et moenia conplent.
Namque ita discedens praeceperat optumus armis 40
Aeneas: si qua interea Fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem neu credere campo;
Castra modo et tutos servarent aggere muros.
Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat,
Obiiciunt portas tamen et praecepta facessunt 45
Armatique cavis exspectant turribus hostem.
Turnus, ut ante volans tardum praecesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus et urbi
Inprovisus adest: maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra. 50
Ecquis erit mecum, iuvenes? qui primus in hostem?

ut Gr. διὰ βραχίων, διὰ ταχέων et simili. Laudat Servius Asprum, qui *Altus per tacitum* iungebat; minus bene.

33. νέφος κονίης et ὀμίχλη Homero frequens. — 35. *ab adversa mole*, turri in munitione Troianorum (cf. ad v. 43) ab ea parte, qua Latini accedebant. — 37. Idem color verborum IV, 594. — 38, 39. Recipiunt se Troiani inter vallum et muros. — 41. Si quis belli casus se offerret: verbo, si quid accideret. — 44. *monstrat* h. l. hortatur, suadet, impellit: nam, qui suadet, is monstrat, quid sit faciendum et qua ratione. — 46. *cavis*, amplis.

47 — 76. Turnus Troianos muris tutos videns, ut eos in campum eliciat, classem incendere parat. Adiri autem et tentari castra poterant a trinis partibus, cf. ad 195; ita Turnus via a Laurento ducente secundum litus profectus, portam clausam videns, obit urbem et aditum anquirendo pervenit ad eam partem, qua castra amni erant admota, classe in littore subducta. — 48. *et* vaesre videri potest. Enimvero iungenda? *Turnus* viginti equitibus *comitatus et improvisus urbi adest*. In *equo Thracio*, i. e. praestanti, non haerendum, cuius generis equorum copia vix illo tempore in Latio esse potuit; sed ornat epitheton. Cf. V, 565, 566. — 50. cf. XII, 89, *galea aurea cum crista rubra*. R. Tum v. 57 *castra fovere* pro vulgari: se in castris tenere. V. ad Ge. III, 420, *coluber fovit humum*. Et Turnus *turbidus*,

En! ait et iaculum adtorquens emittit in auras,
Principium pugnae, et campo sese arduus infert.
Clamore excipiunt socii fremituque sequuntur
Horrisono; Teucrum mirantur inertia corda, 55
Non aequo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros sed castra fovere. Huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros aditumque per avia quaerit.
Ac, veluti pleno lupus insidiatus ovili
Quum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbris, 60
Nocte super media; tuti sub matribus agni
Balatum exercent, ille asper et improbus ira
Saevit in absentis; conlecta fatigat edendi
Ex longo rabies et siccae sanguine fauces:
Haud aliter Rutulo muros et castra tuenti 65
Ignescunt irae; duris dolor ossibus ardet,
Qua tentet ratione aditus et quae via clausos
Excutiat Teucros vallo atque effundat in aequor.
Classem, quae lateri castrorum adiuncta latebat,
Aggeribus saeptam circum et fluvialibus undis 70

turbatus, pudore et ira incensus, quod aditum murorum, qua subire posset, non videbat.

59 sqq. Comparatio lupi cum pugnantium rabie satis frequens. Sed in modo tractandi Apollonium I, 1213 sq. ante oculos habuisse et ornasse videtur; respectu tamen simul ad Homerum habito, qui similia de leone persequutus erat Il. λ, 517 sqq. ρ, 647 sq. — *nocte super media*, ultra mediam noctem, ut eum longa mora incensa fames ad rabiem agat, cf. v. 63, 64. *ira saevit* melius quam *improbus ira* iungitur, ne altero loco abundet *ira*, altero autem loco *saevit* nudum et tenue relinquatur. *improbus* etiam solum per se de ira et vehementiore quoque impetu dictum occurrit X, 727: *improba ira* h. e. avida: quandoquidem *improbus* omnino est nimius, multus, vehemens. Vide Ge. I, 119, *improbus anser* et ad 146 *improbus labor*. — *absentes* h. l. de inclusis ovibus. Suave autem hoc *saevit in absentes*: quod imitati passim sunt alii. Stat. II Theb. 133. Valer. Fl. III, 589, ubi v. Intpp. *collecta ... longo* tempore, ex longa mora contracta. Sic Ovid. Metam. I, 233. V, 341. — 63, 64 ornate: fames et sitis excruciat eum; aliter nunc *siccae sanguine fauces* sanguinis penuria, quam VIII, 261 dictae sunt. *qua* parte *via*, aditus ad muros, *excutiat Teucros*, facultatem et modum suppeditet, eos eliciendi. — 68. *aequor* camporum.

70. Comparant exemplum Hectoris

Invadit sociosque incendia poscit ovantis
Atque manum pinu flagranti fervidus inplet.
Tum vero incumbunt; urguet praesentia Turni
Atque omnis facibus pubes adcingitur atris.
Diripuere focos; piceum fert fumida lumen 75
Taeda et conmixtam Volcanus ad astra favillam.
Quis deus, o Musae, tam saeva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. Prisca fides facto, sed fama perennis:
Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida 80

et verba Iliad. o, 716 sqq. — 73. *incumbunt*, cf. IV, 397 et not. — 74. *pubes accingitur* facibus, armatur, instruitur, ut altero loco recte Serv. simili more *succingi* dictum lib. VII, 187, *lituo trabeaque succinctum*. — 75. *focos*, quos a Rutulis extemplo exstructos fuisse cogitandum est; ideoque nunc stipites seu taedas ardentes in foco. Haerent iotpp. cum Servio. Burmannus focos agrestium in vicis circumviciois advocabat.

77—122. Naves Troianorum, ne igni comburantur a Turno, mutantur in Nymphas. Fabulam, quae sequitur, tanquam absurdam et epica gravitate indignam reprehendere in promtu est: at reprehenderunt eam multi, etiam e veteribus, ot e Servio ad v. 82 patet; quandoquidem minore hoc doctrina indiget, quam argumentis idoneis eam defendere. Neque equidem infitior a nostris sensibus et phantasmatibus eam nimium quantum abhorrere. Nec vero Maro hoc non persensisse et ipse videri debet. Hoc enim erat, cur novo more aditum sibi ad narrationem muniret; Apollonii utique exemplo, lib. IV, 1381 sqq, ubi navem per deserta Libyae humeris Minyarum gestatam narraturus erat. Potuit autem inter veteres haec fabula minos displicere, quod ea vetere fama accepta esset; et Maro eam repetere potoit, cum veteres de Aeneae adventu fabulas pro gemmis et stellulis intesere telae suae semel suscepisset. Metamorphosi a poëtis Alexandrinis ornari coepta, nimium luxuriantia ingenia iactaverant se in hoc argumento, quod ex Ovidio e. c. Met. XIV apparet: nam graeca pleraque perierunt. Vt autem in talem fabulam incideret vetustas, ita factum arbitror, primo quod *immortale*, ἀθάνατον, dixerunt, quicquid diu durat et manet haud attritum; potuere itaque etiam νῆες ἀθάνατοι καὶ ἀγήρατοι dici: tum quod Dryades Nymphas arbores insidere et cum iis vivere ac deficere credidderunt homines. Promtum sic fuit arbores recisas et in naves versas iterum ad pristinum numen reversas comminisci. Alio modo, navibus in scopulos versis, Homerus navigationem Phaeacum in miraculum converterat Od. θ, 557-674.

79. *Prisca fides facto sed f.*; non capiunt Serv. et alii. *Fides* est eius, qui aliquid tradit, vel eius, quod narratur, quae alias *auctoritas*; ideoque pro ipsa *narratione* ponitur. Igitur *facto* h. e. facti *prisca est fides*,

Aeneas classem et pelagi petere alta parabat,
Ipsa deum fertur genetrix Berecyntia magnum
Vocibus his adfata Iovem: Da, nate, petenti,
Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.
Pinea silva mihi multos dilecta per annos: 85
Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis:
Has ego Dardanio iuveni, quum classis egeret,
Laeta dedi; nunc sollicitam timor anxius urguet.
Solve metus atque hoc precibus sine posse parentem, 90
Ne cursu quassatae ullo neu turbine venti
Vincantur. Prosit nostris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui sidera mundi:

narratio. Rem narrat poëta ab antiquitate traditam; sed constante fama ad seriores aetates propagatam: ita facti fama perennis est. — 80. De aedificatione classis cf. III, 5, 6. *Ida* autem mons et ipse sacer magnae Matri deum, cf. v. 85, 86, non minus ac *Berecyntus*, Phrygiae mons et tractus, a quo h. l. nomen inditum; uti alias illa *Idaea dea* appellata est. Conf. Strabo X, p. 718 C. et infr. X, 252: *Alma parens Idaea deum*. Consentaneum erat, ut pinetia montis ei essent sacra. — 83. *domito Olympo* adiectum quorsum sit, dubitari potest. Sequuntur interpretes, quos vidi, Servium. *Videtur*, inquit, *hoc dicere: Praesta ei, cuius beneficio servatus ad Olympi regna venisti Saturnus enim cum omnes consumeret filios, Iovem solum esse non potuit, celatum matris* (Opis s. Rheae s. Terrae, quam eandem cum Cybele esse perhibent) *auxilio*. Longe petitum hoc, etsi doctum ac verum, cf. Apollodor. I, 1, 3; et iterum Terrae opera coeli imperium in pugna cum Titanibus sibi paravit, cf. ibid. I, 2, 1. Dicam equidem simpliciter, adiectum a poëta *domito Olympo* pro eo, quod volebat, te domitorem, *potentem Olympi, regem deorum*, dicara, qui ideo posset precibus satisfacere. — 85. *silva* et *lucus* per appositionem dicta puta. Sed turbatus locus est (Codd. ms. omnes in praestandis his versibus conspirant, nec ulla affertur lectionis varietas. Quare locum salvum esse puto: et, si post *annos* maiorem posueris interpunctionem, tibi statim apparebit, locum Rheae sacrum, sive aram sive templum in vertice montis situm intelligas, sequentibus innui versibus luco s. τεμένει pinibus et aceribus constanti obseptum esse. *Fuit*, quia arboribus hisce Aeneam ad classem suam aedificandam usum esse ait dea. Obeli signa itaque delevi, ut in versu 93, ubi verba *torquet ... mundi* sana sunt. *R.*) — 86. *in arce*, in vertice Idae: est τὸ Γάργαρον ἄκρον, Iliad. ξ, 292. In hoc igitur sacra fieri solita Matri Idaeae, cf. ad v. 801 ut Iovi eodem in loco Il. Ξ, 48. — 93. *torquet*, cf. IV, 269.

O genetrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?
Mortaline manu factae immortale carinae 95
Fas habeant certusque incerta pericula lustret
Aeneas? cui tanta deo permissa potestas?
Immo, ubi defunctae finem portusque tenebunt
Ausonios, olim quaecunque evaserit undis
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva, 100
Mortalem eripiam formam magnique iubebo
Aequoris esse deas: qualis Nereïa Doto
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per picé torrentis atraque voragine ripas 105
Adnuit et totum nutu tremefecit Olympum.
Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcae
Debita conplerant; quum Turni iniuria Matrem

94. *quo fata vocas?* ea mutas? uti fata *verti*, *flecti*, *mutari* dicuntur, cum de fatorum ordine mutando agitur; *aut quid petis istis* trabibus seu navibus, h. e. in earum gratiam; non, ut Burm. *pro istis* (Sic iam Servius exposuit. Vtraque explicatio ad idem redit: *istis* est dativus commodi. *R.*) — *immortale fas* h. l. pro conditione; ut ius. — *certus*, ut ab initio statim certum et exploratum habeat Aeneas in periculis se incolumem fore. — 98. *defunctae*, quod plenius VI, 83, *magnis pelagi defuncte periclis*. — 99. *Olim quaecunque evaserit undis*; nuam enim Orontis tempestas mari merserat I, 113; quatuor incensae a mulieribus in Sicilia, V, 699. Ergo ex XX navium numero non nisi XV Tiberim intraverant. — 105. *amnes rapidos* (s. ferventes) *et atras* voluit dicere. Ambiguum enim ob diversum poëtarum usum est, quo sensu *torrentes* dictum sit. *Torrere* proprie est calefaciendo siccare: tum cremare, tandem ardere et fervere. Iam quaecunque *fervent* seu calore seu motu et impetu, dicuntur et ipsa *torrere*. Ita tandem flumina torrentia sunt ferventia, *rapida*; sic Ecl. V, 52, *torrens undis* Padi. Ge. II, 451, *aqua torrens*, inf. X, 603. Itsque h. l. *ripae torrentes*, rapidi, *pice atraque voragine*, aqua, alven, piceo et atro. Iam autem amnes in inferis etiam flagrantes ignibus sunt; possunt igitur *torrentes* quoque h. l. sic accipi: multo magis propterea, quia alias fluvii hi stagnare dicuntur (*Ripae* fervent pice etc. poëtice pro: amnis, s. *flumina*, aqua *St. fr.*, i. e. Styx, quae cum palus VI, 369 vocetur, coll. ibi vers. 134-416, de rapiditate cogitari h. l. non potest. *R.*) — 106. Inferiora haec Homericis Il. α, 528 sq. iudicant Grammatici ap. Macrob. V, 13: at non ubique eadem sententia iisdem ornamentis amplificari potest aut debet.

107. *debita* fato. VII, 120: *fatis*

Admonuit ratibus sacris depellere taedas.
Hic primum nova lux oculis offulsit, et ingens 110
Visus ab Aurora coelum transcurrere nimbus
Idaeique chori; tum vox horrenda per auras
Excidit et Troum Rutulorumque agmina conplet:
Ne trepidate meas, Teucri, defendere navis
Neve armate manus; maria ante exurere Turno 115
Quam sacras dabitur pinus. Vos ite solutae,
Ite, deae pelagi; Genetrix iubet. Et sua quaeque
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis
Delphinumque modo demersis aequora rostris
Ima petunt. Hinc virgineae (mirabile monstrum!) 120
Quot prius aeratae steterant ad litora prorae,
Reddunt se totidem facies pontoque feruntur.
Obstupuere animi Rutulis; conterritus ipse
Turbatis Messapus equis; cunctatur et amnis
Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto. 125
At non audaci cessit fiducia Turno;

mihi debita tellus. — 110. *Hic primum.* Argutatur cum aliis Catroeus, etsi Burmannus non improbat, ut qui respici credit seriora tempora, quibus Cybele Pessinunte fuit arcessita Romam et templis recepta. Nam *primum* refertur ad seq. v. 112. *tum* vox audita. — *ab Aurora:* tanquam ab oriente, ex Asia, relicto Bererynto et Ida. — 112. Paullo durius, sed ut poëticam orationem decebat, iunctum: *nimbus Idaeique chori*, pro: visus ab oriente coelum transcurrere nimbus, nubes et chorus, qui Matrem deum comitari solebat, Corybantum puta, in nube illa abditus et inclusus. Pro commentario est Ovidii locus Met. XIV, 536, 537, 538: ubi hoc idem prodigium exponitur, imitatione Virgilii. Etiam in sacris adventus deae, etsi non visae, magno strepitu tibiarum et tympanorum declarari solebat. — 113. *agmina complet*, proprie aut aures aut loca, in quibus illa agmina habentur, sono et strepitu. — 114. Tum dea Teucros vetat *laborare* et navibus defendendis operam dare. — 118. *puppes*, ad littus versae: v. VI, 3, 4, 5. — 121. Hic versus ex lib. X, 223 huc retractus damnatusque auctoritate melio rum codd., a quibus abest. Obelo igitur dignus est. — 122. *reddunt se*, ἀναδιδοῦσι: iterum emergunt, prodeunt.

123-167. Callide portentum in suam rem vertit Turnus, classe sublata Troianos nunc fuga exclusos facile a se expugnatum iri; nunc oppugnationem esse parandam; die tamen iam confecto vigilias per noctem disponit. — 124, 25 *cunctatur et amnis*, quod

Vltro animos tollit dictis atque increpat ultro:
Troianos haec monstra petunt; his Iuppiter ipse
Auxilium solitum eripuit; non tela nec ignes
Exspectant Rutulos. Ergo maria invia Teucris 130
Nec spes ulla fugae; rerum pars altera ademta est:
Terra autem in nostris manibus; tot millia, gentes
Arma ferunt Italae. Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges prae se iactant, responsa deorum.
Sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva 135
Fertilis Ausoniae Troës. Sunt et mea contra
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Coniuge praerepta; nec solos tangit Atridas
Iste dolor solisque licet capere arma Mycenis.
Sed periisse semel satis est. Peccare fuisset 140
Ante satis, penitus modo non genus omne perosos
Femineum, quibus haec medii fiducia valli

VIII, 240 minus ornate. *Messapus* autem nominatur, tamquam qui inter primos exercitus infesti Rutulorum duces erat. VIII, 6. — 126 sqq. Audacia Turni praeclare a poëta inter metum ceterorum declaratur. — 129. *Iuppiter ipse auxilium solitum* (navium, quibus antea, Troia capta, suae salutis fuga consuluerant) *eripuit*, eos perdidit; nec ideo ad eos perdendos nostra opera opus est: *non tela nec ignes Exspectant Rutulos*. Ex vulgari satis usu loquendi poëtarum *exspectari* dicuntur ea, quae omnino futura sunt, ideoque et mala, quae imminent. *rerum pars altera*, pro vulgari: altera res, alterum, terra, in nostra est potestate; nam Troiania vallo inclusis Rutuli loca vicina tenent. *tot millia* eaque *gentes Italae*; ut sint apposita pro vulgari: tot millia gentium Italicarum vel Italorum. — 134. De his vaticiniis conf. dicta sup. in Prooem. Aeneidis §. VI, pag. 276 sq. — 135. *Venerique* lib. I, 257 sqq. Turnus tamen simpliciter de fatis in Aeneae gratiam a matre Venere constitutis cogitare potuit. — 138, 139. Non solus Menelaus raptum coniugis Helenae ulciscitur. Homericum Il. τ, 340, 341: Οὐ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων Ατρεΐδαι; etc., iam Macrob. V, 9 comparavit. — Reliqua 140 sqq. paullo argutiora et ῥητορικώτερα esse videntur. Sed, dicat aliquis, satis est Troianos semel ultimam calamitatem esse expertos; nec probabile fit, cum dii tantis periculis eos servatos in Italiam adduxerint, nunc iis exitium adfuturum esse. Ita vero, inquit Turnus, satis etiam habere debebant semel raptuisse feminam; quippe qui ex raptu Helenae ea mala experti sint, ut *modo non omne* h. e. totum fere genus femineum perosi esse, odisse, debeant; tantum abest, ut novum raptum Laviniae meditentur. *Quibus haec*. Ex

Fossarumque morae, leti discrimina parva,
Dant animos. At non viderunt moenia Troiae
Neptuni fabricata manu considere in ignis? 145
Sed vos, o lecti, ferro qui scindere vallum
Adparat et mecum invadit trepidantia castra?
Non armis mihi Volcani, non mille carinis
Est opus in Teucros. Addant se protenus omnes
Etrusci socios. Tenebras et inertia furta 150
Palladii, caesis summae custodibus arcis,
Ne timeant; nec equi caeca condemur in alvo;
Luce, palam certum est igni circumdare muros.
Haud sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasga
Esse putent, decumum quos distulit Hector in annum.
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei, 155
Quod superest, laeti bene gestis corpora rebus
Procurate, viri, et pugnam sperate parati.
Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo et moenia cingere flammis. 160

ira oratio durior. Dat ils hoc vallum, haec fossa, fiduciam: an non vero multo munitiora Troiae moenia eversa viderunt? Argutum et bellum etiam illud 143: *leti discrimina parva*, quod de navigatione simplicius Homer. Il. ε, 628; τυτθὸν γὰρ ὑπ' ἐκ θανάτοιο φέρονται. — 146. animosius, quam Homericus Hector Il. μ, 110. — 148. Respicit autem Turnus arma a Thetide Achilli apportata, et classem Achivorum. — 150, 151. V. sup. lib. II, 164 sqq. Insidias per noctem non struemus: *furtum* sic saepe; v. c. IX, 350. — 151. Quum hic versus impetum loquentis Turni remoretur, hemistichium ex lib. II, 166 repetitum sit et genitivus Augusteo saeculo Palladii esset, asteriscis veraus notatus est. Omnes tamen codd. ms. praestant versum. *R.* — 155. *quos distulit Hector*, docte pro vulgari: quorum conatus et consilia repressit et retardavit per annos decem. Cf. XI, 288-290. Hinc eleganter illud Abronii Silonis apud Sen. Suasor. II et in Anthol. Lat. p. 87: *belli mora concidit Hector.* 156. Comparant Od. μ, 291 sq. Il. β, 381. Malim ego conferri Il. θ, 502 sqq. et τ, 275. Tum priscae aetatis mos et militiae observanda est imperitia, quod Rutuli castra oppugnant, ipsi vallum nullum ducunt, quo se tueantur. Nec aliter Troiani, qui Achivorum castra oppugnant, Il. θ, sub f. — 160. *flammis* int. vigilias. — Ad v. 161 sqq. cf. Il. ι, 85 sq. et ad v. 165 vide Il. θ, 550, 551. Agmen igitur mille quadringentorum et decem quatuor hominum fuit delectum.

Bis septem, Rutulo muros qui milite servent,
Delecti; ast illos centeni quemque sequuntur
Purpurei cristis iuvenes auroque coruscí.
Discurrunt variantque vices fusique per herbam
Indulgent vino et vertunt crateras ahenos. 165
Conlucent ignes; noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
Haec super e vallo prospectant Troës et armis
Alta tenent; nec non trepidi formidine portas
Explorant pontisque et propugnacula iungunt; 170
Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus,
Quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent,
Rectores iuvenum et rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio sortita periclum
Excubat exercetque vices, quod cuique tuendum est.
Nisus erat portae custos, acerrimus armis 176

— 164. Alternis excubias et alia munia militaria obeunt, succedentibus aliis et aliis, ut bene Burm. explicat. — 165. *et vertunt crateras ahenos* esse hemistichium Ennianum Servius docet. *vertunt* autem, inclinant crateras vinum in pocula infundendo, verguot.

168 — 174. Troiani, castris tuendis quae necessaria sint, provident. *armis alta tenent* h. e. vallum, quod poëta appellat *muros*, *turres*, obsident armati. — 170. *pontes et propugnacula iungunt*; per ipsos muros vias seu pontes inter turres ideoque inter propugnacula seu pinnas turrium faciunt, ut discursus militum liber sit. Quo fere modo pons et ripae iungi dici possunt, quod vulgo est amnem ponte iungi. *propugnacula in muris* memorantur v. 664: *It clamor totis per propugnacula muris*. Melius fortasse sic locum expedias. Propugnaculum est locus munitus, munimentum, unde propugnatur; potest ideo dici de muro, turri. Iam genus est munimenti semicircularis ante vallum seu murum castrorum, quod ponte iungi cum vallo necesse est, diversum ab altero similis formae, quod in ipso vallo insedificatum est. Similis turris ponte iuncta vallo memoratur inf. 530 sq. — 171. *Tela gerunt*, congerunt et apportant missilia et alia tela, quorum usus esse poterat. — 173. *Rectores iuvenum* sunt duces militum, quos designaverat Aeneas ante profectionem ad Evandrum, si quid accideret, quod operam militarem postularet. — 175. *vices*, *quod* explicative pro vulgari, vices quae tuendae sunt; hoc magis doctum ideoque poëticum, quam interpretari: per vices exercet id, quod etc. vel exercet vices (κατὰ τό), quantum ad id spectat, quod etc.

176—419. Pervenimus nunc ad

Hyrtacides, comitem Aeneae quem miserat Ida
Venatrix iaculo celerem levibusque sagittis:
Et iuxta comes Euryalus, quo pulcrior alter
Non fuit Aeneadum Troiana neque induit arma; 180
Ora puer prima signans intonsa iuventa.
His amor unus erat pariterque in bella ruebant;
Tum quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait, dine hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale? an sua cuique deus fit dira cupido? 185

episodium Aeneidis omnium facile nobilissimum, de Niso et Euryalo, cuius suavitas summa inprimis ad sensum et affectionem amicitiae sese refert. Sed accesserunt tot alia ad animos movendos accommodata: generosa puerorum indoles, praeclara laudis cupido et virtus nullam mercedem expetens, ipso facto contenta, respectus materni amoris ac pietas, Ascanii pueri et Alatae senis benevolentia in eos. Singula explicare vel saltem notare magistris iuventutis facile erit: sed utantur tali loco, suadeo, ad eliciendos igniculos et tentandas mentes adolescentum, qui alias seu naturae seu institutionis vitio ad poëtarum delicias callo obductum palatum habent. Quem vero ne huius quidem loci dulcedine tactum videant iuvenem, eum omni liberali disciplina indignum iudicent. Diomedis et Vlyssis egressum nocturnum ex Iliad. x poëtae ante oculos fuisse non dubito; viderunt hoc iam veteres (v. Servium ad v. 4 hui. lib.): sed, quod amoris mutui affectus, mox metus de iuvenum fortissimorum discrimine tandemque miseratio in narrationem illata est, hoc Maronis summi poëtae ingenio deberi videtur. Etiam accessus et transitus ad episodium de nuntio ad Aeneam mittendo (268) lenis est et simplex. Egerat poëta modo de custodiis et excubiis: est in iis Nisus.

176. Nisum *Hyrtaci* filium fecit, ideo tantum, puto, quod ex Homero notum erat nomen, v. c. Il. β, 837, 838. *Idam* matrem esse Nympham habendam quis dubitet? Euryali patrem infra v. 201 edit Ophelten, nomen e Thebanis fabulis notum. — 180. *Troiana neque induit arma* est Homericum οὐδ' ἔστο τεύχεα. Est id, quod vulgo dixeris: non fuit alius pulchrior neque inter Aeneadas, Aeneae comites, neque inter Troianos, qui in armis erant. — 181. Ex Homerico Od. κ, 278, 279 (adde Il. ω, 347, 348), ut iam Macrob. notavit Sat. V, 13: *iuventam* vero, ἥβην, *primam* dixit pro lanugine pubertatis. — 182. *amor unus*, idem utriusque et mutuus. Laudant et hic Homericum illud: ἕνα θυμὸν ἔχοντες, Il. π, 219. — 184. *Nisus ait*: ad magnum aliquod audendum sentio me inflammatum; afflatune divino an ignoto animi impetu? — 184 versus alti et gravis sensus! ἐνθουσιῶσι homines aut animo magnae rei imagine intuitive inflammato, aut perturbatae per causam seu externam seu internam, ignotam vel obscuram mentis affectu commoti, aut ut divinitus afflatus et

Aut pugnam aut aliquid iam dudum invadere magnum
Mens agitat mihi nec placida contenta quiete est.
Cernis, quae Rutulos habeat fiducia rerum.
Lumina rara micant; somno vinoque sepulti
Procubuere; silent late loca. Percipe porro, 190
Quid dubitem et quae nunc animo sententia surgat.
Aenean adciri omnes, populusque patresque,
Exposcunt mittique viros, qui certa reportent.
Si tibi, quae posco, promittunt (nam mihi facti
Fama sat est) tumulo videor reperire sub illo 195
Posse viam ad muros et moenia Pallantea.

commotus esse credatur animus. Facile autem pro afflatu divino habetur magnus animi impetus et ardor. Latent semina dictorum in Od. δ, 712, εἴ τις μὲν θεός ὤρορεν, ἠὲ καὶ αὐτοῦ θυμὸς ἐφορμήθη. Repetiit eadem Quintus IX, 88. 228. 9. — *dira* simpl. auget, ingens, vehemens, cupido. — 186, 187, uti Iliad. κ, 220, 221, Νέστορ, ἦμ' ὀχρύνει κραδίη etc. dudum mente agito. — 191. Minus bene Intpp., quasi alterum sit, de quo dubitet, alterum, quod certum ei sit. Itaque turbant in sqq. 194, 195. Sed *dubitare* quoque est deliberare, animo agitare et volvere (est enim verbi obsoleti *dubere*, unde dubius, δοάζω, δοιάζω, frequentativum *dubito*, considero; cf. Ernesti Clav. Cic. h. v. *R.*) Etiam Serv. *dubitem id est cogitem*. — 193. *reportent* non ab illo; non enim nunc id versabant animis, quid rerum ille ageret, sed qui portent ad Aeneam certa, nuntient castra obsideri: ergo et hic *reportare* pro simplici portare, ad Aeneam perferre, nuntiare. Aeneam autem adhuc apud Evandrum morari credebant vs. 196. — 194. Praemium, quod pro tanto auso posscere poterat, generosus puer concedere vult amico Euryalo; ipse laude facti contentus esse. Mox v. 197 *laudum* est pro laudis. *laus*, κλέος, factum praeclarum; tum ipsa etiam virtus, qua ad illud patrandum opus est, ut v. 252. V, 355. VIII, 273. al. *percussus* laudum amore, πληγείς, tanquam stimulo et flagro: Ge. II, 476, *quarum sacra fero ingenti percussus amore*. Si exempla desideras, adi Valkenarium ad Euripidis Hippol. 1303.

195 sq. Vt de toto Nisi et Euryali consilio satis constet, locorum situs apud animum adumbrandus est. Ager Ostiensis et ostia Tiberis ad animum revocanda sunt. Castra Troianorum ad Tiberis fere ostia in orientali littore erant sita; cf. ad VII, 157; fossa et vallo illa munita et turribus; fronte versus littus, quo Laurentum situm erat, versa, ita ut via Laurentum secundum littus duceret. A sinistra parte ad amnem, a dextra moenia ad mare pertinebant. Cf. 469, 790, 915: ab eadem parte a tergo erat navium statio, sup. v. 69; hic fortasse porta ad mare ducebat. Ista porta illi egressi, Rutulis excubias

Obstupuit magno laudum percussus amore
Euryalus; simul his ardentem adfatur amicum:
Mene igitur socium summis adiungere rebus,
Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam? 200
Non ita me genitor, bellis adsuetus Opheltes,
Argolicum terrorem inter Troiaeque labores
Sublatum erudiit; nec tecum talia gessi
Magnanimum Aenean et fata extrema secutus.
Est hic, est animus lucis contemtor et, istum 205
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Nisus ad haec: Equidem de te nil tale verebar;
Nec fas; non! Ita me referat tibi magnus ovantem
Iuppiter aut, quicunque oculis haec adspicit aequis.
Sed, si quis, quae multa vides discrimine tali, 210

negligenter agentibus, ad tumulum tendere volebant, sub quo viam ad Palatium a. Pallanteum urbem Evandri in littore Tiberis ad mare defluentis reperiri non dubitabant: v. 495, 496. VIII, 53, 54. Successerat audacia in traiectu per Rutulos facto, et laeva v. 372 et 238 viam tenebant; cum ecce! equites a rege Latino missi versus castra tendunt. A Laurento via secundum littus ducebat, unde, utpote in tractu campestri, prospectus in interiores terras esse potuit. Ibi *bivium*, cuius altera pars sinistrorsum in interiora loca praeter castra ducebat. Deprehensi igitur Nisus et Euryalus fugiunt in silvam (v. 378), Laurentinam scilicet, unde Nisus quidem versus lacum Albanum elabitur vs. 387 sqq.: sed Euryalum se non subsequutum videns iterum ad silvam reversus cum amico suo interimitur. Certamen hoc inter amicos Silius non infeliciter transtulit ad contentionem similem inter Imilcen uxorem et Hannibalem lib. III, 108 sqq. et vs. 78 sqq.

200. *Nise, fugis*, pro vulgari, refugis, recusas. — 201. Agnoscunt Intpp. vestigia Homerici loci Iliad. ν, 498, 499. — 202. *non ... sublatum*: natum et educatum in bello ad Troiam gesto iunuit, pro vulgari: non ego sum talis. — *nec et quidem tecum*, quam suaviter! *talia gessi*: ut sc. tu refugere possis, et nolle me socium suscepti facti adiungere. Igitur iam esperimenta virtutis satis clara ediderat iuvenis fortissimus. — 204. *fata extrema* debent Aenêse esse, fuga ex urbe et errores. — 205, 206. Versus omnium, quos memini, sententiae generositate et magnanimitate praestantissimi. Sensum quisque suum excutiat et iuvenes ingenue natos observet, sinnon lecta et percepta sententia exsultent! Habent simile quid loca Horatii illud: *animaeque magnae Prodigum Paullum* (quod Statius III, 603: *largusque animae, si suaserit ira*)

Si quis in adversum rapiat casusve deusve,
Te superesse velim; tua vita dignior aetas.
Sit, qui me raptum pugna pretiove redemtum
Mandet humo solita; aut, si qua id Fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias decoretque sepulcro. 215
Neu matri miserae tanti sim caussa doloris,
Quae te sola, puer, multis e matribus ausa
Persequitur magni nec moenia curat Acestae.
Ille autem: Caussas nequidquam nectis inanis,
Nec mea iam mutata loco sententia cedit. 220
Adceleremus, ait; vigiles simul excitat. Illi
Succedunt servantque vices; statione relicta
Ipse comes Niso graditur regemque requirunt.
Caetera per terras omnis animalia somno
Laxabant curas et corda oblita laborum: 225
Ductores Teucrum primi, delecta iuventus,
Consilium summis regni de rebus habebant,

et Lucani de Germanis I, 461: *animaeque capaces Mortis, et ignavum, redituraе parcere vitae.* Quanto exilior Statii oratio, ubi h. l. expressit Theb. I, 607 iuvenes *Famam posthabita faciles extendere vita* — *bene emere* esse aequo vel vili etiam pretio emere notum est; oculos *aequos* v. 209 esse propitios in promtu esse debet. Mox 213 de corporis sepultura accipe; *me*, corpus meum, *raptum*, subductum e pugna: ut toties apud Homerum fit, ubi ὑπεξέλκεται, ὑπερύεται, ὑπαείρεται ὁ νεκρός. *humo solita*, terra, qua mortui humari sollenni more solent. — 215. *Absenti* de eo accipio, cuius corpus non exstat, quod sepeliri possit; itaque inferiis et cenotaphio defungendum est. — 217. *Quae te sola.* Mansit quidem in Sicilia senum et infirmorum inutilis turba (cf. lib. V, 745 sq. 767); inter longaevas autem matronas — *sola* Euryali mater fuit, quae in Sicilia maoere nollet. Sic XI, 35 difficultate carel, ut 192 *patres.* — *moenia Acestae*, Segestam urbem, ut lib. V, 755 sqq. — 219. *nectis caussas*: proprie dum alia ex alia causa seritur. Sic et texere et praetexere causas dicitur. — 220 quam ornate pro, mutari potest. Mox excitant commilitones, qui in statione excubiarum in suum locum succedant; dum ipsi tendunt ad *regem*, Ascanium, ἄναχτα.

224. Orditur narrationem eodem modo, quo Homerus suam de Ulyssis et Diomedis exploratione Iliad. ι, 1 et 195 sq. cf. VIII, 26. — 227 Lucilii est versus: *Consilium summis hominum de rebus habebant.* Serv. *iuventus* omnino de viris militaris aetatis. Ne quis senum consilia deside-

Quid facerent quisve Aeneae iam nuntius esset;
Stant longis adnixi hastis et scuta tenentes
Castrorum et campi medio. Tum Nisus et una 230
Euryalus confestim alacres admittier orant;
Rem magnam pretiumque morae fore. Primus Iulus
Adcepit trepidos ac Nisum dicere iussit.
Tum sic Hyrtacides: Audite o! mentibus aequis,
Aeneadae, neve haec nostris spectentur ab annis, 235
Quae ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
Conticuere; locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portae, quae proxima ponto;
Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
Erigitur: si Fortuna permittitis uti, 240
Quaesitum Aenean ad moenia Pallantea
Mox hic cum spoliis, ingenti caede peracta,
Adfore cernetis. Nec nos via fallit euntis:

ret. — 229. Egregia consilii ista heroum aetate habiti adumbratio, cuius passim in vetustis monumentis exempla occurrunt. *Stant longis adnixi hastis:* vide v. e. Iliad. 9, 493 sqq. de Hectore. — 230. *Castrorum et campi medio.* Castra erant in campi planitie, ideoque ipsa castra campum intra vallum habebant; ut forum est in media urbe. — 232. *Rem magnam se* afferre et *pretium fore morae*, sc. quam suo adventu afferant consiliis, v. Serv. nisi *moram* pro tempore dictam putes, quod nuntio audiendo impenditur. — 233. *trepidos* pro festinis, ut ante *alacres* pro concitatis, poni a poëta memoria tenebis; item, mox 236 *ferre* esse nuntiare. De situ castrorum vs. 238 vide ad v. 495. Iam portae *bivium*; cum altera via Laurentum et versus castra Rutulorum, qui ab his partibus venerant, duceret; altera ad laevam et a tergo castrorum in interiores terras. *insidiae* h. l. ad clandestinum egressum referendae sunt.

240 sq. Triplex est ratio et ordo verborum, qui in his versibus inlri potest. In loco, qui poëtae ultimam manum desiderat, nunc praefero equidem hunc, *si fortuna permittitis uti* nos, ut in hac hostium incuria et socordia castris clam erumpamus: *mox cernetis Aeneam quaesitum*, inventum apud Pallanteum, *hic affore* reducem. Namque id agebatur, ut Aeneae nuntiaretur castra obsideri, utque is ocyus cum copiis adesset. Sane sic, si hostes a tergo adoriebatur, magnam eorum stragem edere poterat. Caeterum omnium Codd. est: *et moenia:* inde ab Aldd. tamen editur: *ad moenia. Fortuna*, occasione, inquit Burm., ut Servius. Recte quidem; sed Fortuna multo latius patet multoque ornatius

Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem
Venatu adsiduo et totum cognovimus amnem. 245
Hic annis gravis atque animi maturus Aletes:
Di patrii, quorum semper sub numine Troia est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Quum talis animos juvenum et tam certa tulistis
Pectora. Sic memorans humeros dextrasque tenebat 250
Amborum et voltum lacrimis atque ora rigabat:
Quae vobis, quae digna, viri, pro laudibus istis
Praemia posse rear solvi? Pulcerrima primum
Di moresque dabunt vestri: tum caetera reddet
Actutum pius Aeneas atque integer aevi 255
Ascanius, meriti tanti non inmemor umquam.
Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penatis
Assaracique Larem et canae penetralia Vestae,
Obtestor (quaecumque mihi fortuna fidesque est, 260
In vestris pono gremiis): revocate parentem!

et potentius verbum est. — 244. Expeditissimum est, ut *vidimus* ad verba *sub vallibus* retrahatur: nos in obscura valle collocati vidimus e longinquo Pallanteum in edito loco positum. In v. 246 observent tirones e trinis modis loquendi elegantissimum: *animo maturo*, *maturus animo* et *maturus animi* e graecis. — 248. Putant respici Odyss. δ, 754 sq. — 252. *laudes* et hic pro virtute, pro factis strenuis, cf. ad v. 497. Paullo ante *certa* sunt firma, fortia, pectora. — 255. *integer aevi*. Argutantur Intpp. Ascanius est integra aetate, adolescens, inprimis respectu parentis. Scilicet omnino vitae tanquam summa aliqua, ἀκμή, est, ad quam assurgimus pueritia et iuventute; decedit annis, aetati, vitae tamquam summae fato nobis destinatae pars aliqua quotannis, et quotidie; ut apud Horat. aliquoties, II Carm. 5, 13. Art. 175. Pueri itaque aut iuvenis in ἀκμῇ constituti summa annorum adhuc est integra: nondum imminuta. — 257. *Vos... Nise*, ut inf. 525 *Vos*, o *Calliope*: nota figura. — 259 *Assaraci Larem*: non, tamquam Assaracus Lar fuerit, ut Cerda et alii; sed pro Lare maiorum, inter quos fuit Assaracus, doctius hunc unum memoravit poëta, ut I, 284 *domum Assaraci* dixerat. Recte Serv. » id est familiae nostrae, vel generi proprium a Ergo est: obtestor per Penates et Lares domus meae. Quos diversos habitos esse, ex hoc ipso apparet. — 260. Laborant Intpp. in *fides*, inde post Servium. Sed *fides* exquisite pro spe et voto saepe

Reddite conspectum! Nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quae cepit Arisba;
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta; 265
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam sceptrisque potiri
Contigerit victori et praedae ducere sortem:
Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus; ipsum illum, clipeum cristasque rubentis, 270
Excipiam sorti, iam nunc tua praemia, Nise;
Praeterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora captivosque dabit suaque omnibus arma;
Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.

ponitur: nam, quae speramus eventura, iis aliqua ex parte fidem habemus: quaecumque mihi fortuna et quaecumque mihi spes est, ea in desideratissimi parentis reditu est posita.

263. In praemiis pollicendis locus ante oculos Iliad. ι, 122 sqq. Sapientius etiam haec omnis adornata a Virgilio. Nam apud Homerum minus honeste Dolon praemia postulat Il. κ, 324 sqq. — *devicta genitor quae cepit Arisba.* De urbe hac circa Abydum sita v. in primis Strab. XIII, p. 882, 883. Steph. Byzant. h. v. ibique Holsten. cum Eustathio ad varia Homeri loca Il. β, 837 et al. Difficultas hic in eo inest, quod Arisba Troadis urbs Troianis auxilia ab Asio adducta misit: vix adeo assequi licet, quomodo urbs sociorum a Troianis capi potuerit. Sed repetiit hoc poëta ex rebus, quae Troianum bellum antecesserant; nam ab Anchisa captam urbem narrat. Potuit igitur fabulam aequi, quae cum pluribus aliis de rebus Troianis narrationibus intercidit. — 265. *magna talenta* e poëtica ratione, ut epitheton ornet. Nam, quod partes in se continet, totum magnum est respectu partium. V. ad lib. V, 248. *Cratera* autem *antiquum* inl. antiquo opere. *dat*, ἔδωκε, sic 361 *mittit* pro misit. — 267. Color orationis ex Homero eadem in re Il. ι, 135 sqq. *capere Italiam* magnifice, si sedem obtineat et terram in Latio, quam inhabitent Troiani, et praedam sortito dispertiri, sortiri contigerit. — 269. *Vidisti, quo* potest etiam interrogando efferri. *Turnus aureus*, aureis in armis. — 270, 271. habebis Turni spolia tamquam γέρας ἐξαίρετον, munus eximium. Conf. V, 534. VIII, 552. — 272, 273. Promittit duodecim mancipia, ancillas et pueros. *Matres* poëtae simpliciter sunt feminae. Quod vero adiecit *suaque omnibus arma*, obscurum esse potest, si servos cogites; sed *captivos* memoravit, quos armatos ceperat armisque spoliaverat: eos dabit una cum armis. — 274. Recte Servius ad τὸ τέμενος, seu portionem agri regibus priscis pro honore assignati refert; qualis v. c. erat Belle-

Te vero, mea quem spatiis propioribus aetas 275
Insequitur, venerande puer, iam pectore toto
Adcipio et comitem casus conplector in omnis.
Nulla meis sine te quaeretur gloria rebus,
Seu pacem seu bella geram; tibi maxuma rerum
Verborumque fides. Contra quem talia fatur 280
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit; tantum! Fortuna secunda
Aut adversa cadat. Sed te super omnia dona
Vnum oro: genetrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus 285
Mecum excedentem, non moenia regis Acestae.
Hanc ego nunc ignaram huius quodcumque pericli est
Inque salutatam linquo; Nox et tua testis
Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.
At tu, oro, solare inopem et succurre relictae. 290
Hanc sine me spem ferre tui; audentior ibo
In casus omnis. Percussa mente dederunt
Dardanidae lacrimas, ante omnis pulcer Iulus;
Atque animum patriae strinxit pietatis imago.

rophonti apud Lycios Iliad. ζ, 194 et Tarquinio Superbo in campo Martio. Spectat ad hanc ipsam regis sortem locus circa lacum Albanum v. 388, ubi *tum rex stabula alta Latinus habebat* h. e. armenta pascebat: *insuper his*, insuper in his, cum his; pro super haec. — 275 sqq. Locus suavissimus. Delectat enim honesta Ascanii et ad amicitiae sensum ex aetatis aequalitate prona indoles. *mea quem* ornate pro: cui aetate propior sum. — 277. *Accipio te et complector pectore toto comitem* iunge. — 279, 280. *tibi maxima rerum verborumque fides* erit; habebitur rebus et verbis tibi committendis; h. e. tecum omnia consilia mea et gerendas res communicabo. Quodcunque autem vel cum fide ac fiducia vel propter fidem facimus, id omne *fides* designat; ut paullo ante ad v. 260 notatum meminimus. — 281, 282, 283. Ego vero allaborabo, ut huic forti facto tota vita sit consentanea; *tantum* sc. de me polliceri audeo; quaecunque fortuna, secunda an adversa, sequuta fuerit: conf. 299. Si iunges: *dissimilem arguerit tantum* pro tam dissimilem; collocatio verborum offendit, quae esse debebat: *tantum dissimilem arguerit*. Sequentia ad pietatis sensum praeclare sunt comparata.

294. Locus suavissimi affectus ple-

Tum sic effatur: 295
Spondeo digna tuis ingentibus omnia coeptis.
Namque erit ista mihi genetrix, nomenque Creüsae
Solum defuerit, nec partum gratia talem
Parva manet. Casus factum quicumque sequuntur,
Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat: 300
Quae tibi polliceor reduci rebusque secundis,
Haec eadem matrique tuae generique manebunt.
Sic ait inlacrimans; humero simul exuit ensem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius atque habilem vagina aptarat eburna. 305
Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis
Exuvias; galeam fidus permutat Aletes.
Protenus armati incedunt, quos omnis euntis
Primorum manus ad portas iuvenumque senumque
Prosequitur votis. Nec non et pulcer Iulus, 310
Ante annos animumque gerens curamque virilem,
Multa patri portanda dabat mandata. Sed aurae
Omnia discerpunt et nubibus inrita donant.
Egressi superant fossas noctisque per umbram

nus in sententiam desinit ex intimis animi recessibus repetitam. Conscientia ac cogitatio ideoque imago pietatis suae in patrem Aeneam acriter pungit animum Ascanii, exemplo similis pietatis in Euryalo erga matrem animadverso. Sic X, 824 Laeso caeso ingemuit Aeneas. — *Et mentem patriae strinxit pietatis imago*, h. e. recordatio ac memoria amoris sui in Ascanium et, quantum ex simili calamitate luctum ipse esset susceptur us. Erat igitur *imago patriae pietatis* in Ascanii mente. Adhuc de verbis. Sententiam ipsam quantumvis reconditam iam in Homero observamus, Il. τ, 301, 339. Cf. Odyss. δ. 113, 114.

298. *nec partum .... manet*, et ipsi imputabo in beneficium acceptum hoc, quod talem filium peperit. Meretur magnam gratiam, quae te genuit: vel, ut Serv., debet ab omnibus coli, quae talem creavit. — 303 sq. Haec ex heroicae vitae more sunt illustranda quo propriis armis alium instruere summi affectus pignus erat, cf. Il. x, 255 sq., unde hic locus adumbratus est; ut alias arma permutare fidei et amoris tessera est. *Vagina eburna* in Odyss. ϑ, 404 est in simili munere. — 308. Cf. Il. x, 272 sqq. primores comitantur abeuntes. — 313. *nubibus*: dant ventis, auris, ut toties.

314. Conf. Il. x, 469 sqq. — 315.

Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri 315
Exitio. Passim somno vinoque per herbam
Corpora fusa vident, adrectos litore currus,
Inter lora rotasque viros, simul arma iacere,
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus:
Euryale, audendum dextra! Nunc ipsa vocat res. 320
Hac iter est. Tu, ne qua manus se adtollere nobis
A tergo possit, custodi et consule longe.
Haec ego vasta dabo et lato te limite ducam.
Sic memorat vocemque premit; simul ense superbum
Rhamnetem adgreditur, qui forte tapetibus altis 325
Exstructus toto proflabat pectore somnum,
Rex idem et regi Turno gratissimus augur:
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Tris iuxta famulos temere inter tela iacentis
Armigerumque Remi premit aurigamque sub ipsis 330
Nactus equis, ferroque secat pendentia colla.
Tum caput ipsi aufert domino truncumque relinquit

Impedita sententia. *ante* debebat esse: antequam castra petunt ingrediuntur; atqui hoc a re alienum! Ergo intelligendum *inimica* ipsis futura; perniciosa ipsis, unde redituri non erant; ut bene Serv.: ut inf. 355 *lux inimica*. Igitur *ante* quoad sententiam ex voce supplendum: *antequam ipsi perirent*. Praestat vel sic tertium: antequam ad Aeneam pervenirent et mandata perferrent. — 317. *arrectos currus* (ut inf. 465 *arrectae hastae*), sublato in altum iugo et depressa in terram parte currus extrema, si binis rotis instructum currum cogites. *Erecti* currus apud Stat. Theb. III, 414. X, 169 occurrunt. Mox *vina*, vasa vini, ut bene Serv. — 321. Anteit Nisus: Euryalo mandat, ut sequatur et a tergo omnia tuta praestet. — *consule*, prospice, provide. V. Burm. ad Val. Fl. III, 38. *vasta dare* exquisite pro facere, vastare. — *vocem premit*: aut submissa voce loquitur aut taeet, inquit Servius; praeferam prius: memorat voce pressa. — 325, 326. ornate! docta verborum immutatione, pro vulgari: *in tapetibus alte exstructis ipse Rhamnes* dormiebat. Posuit autem tapetes pro pulvinis, qui tapetibus instrati sunt. — 327, 328. Praeivit Homerus Iliad. β, 858, 859. — 330-334. Remum, quem expresse non nominat, cum trinis famulis eiusque armigerum (Σεράποντα) et aurigam (ἡνίοχον) opprimit. Praestat tamen corrigere *Remum*, ut is ipse sit Rhamnetis armiger. (Sed non opus est, si Remum dominum esse statuas; quod quo minus facias,

Sanguine singultantem; atro tepefacta cruore
Terra torique madent. Nec non Lamycumque Lamum-
Et iuvenem Sarranum; illa qui plurima nocte (que
Luserat insignis facie multoque iacebat 336
Membra deo victus, felix! si protenus illum
Aequasset nocti ludum in lucemque tulisset.
Inpastus ceu plena leo per ovilia turbans;
Suadet enim vesana fames; manditque trahitque 340
Molle pecus mutumque metu; fremit ore cruento.
Nec minor Euryali caedes: incensus et ipse
Perfurit ac multam in medio sine nomine plebem
Fadumque Herbesumque subit Rhoetumque Abarimque
Ignaros, Rhoetum vigilantem et cuncta videntem; 345
Sed magnum metuens se post cratera tegebat:
Pectore in adverso totum cui comminus ensem
Condidit adsurgenti et multa morte recepit

nihil impedit R.) — 333. *sanguine singultantem truncum* docte dixit, qui collo reciso sanguinem emittit ebullientem, ἀναβλύζοντα. Doctius quoque dixit *singultare sanguine*, quam *sanguinem*. — *atro tepefacta cruore Terra torique madent.* Gravitatis plus habet Homericum: θάπτεον δ' ἄρα αἵματι θῦεν, fervebat, aestuabat, in loco praeclaro de Agamemnone caeso inter epulas Od. λ, 419 et al. — 335 sq. Haec et similia ornamenta magno sublegit Homero miro in his artifici. Lusibus et iocis inter epulas Sarranus magnam noctis partem exegerat et nunc vino gravatus (*multo deo victus*) obdormierat; quanto melius fuisset, si potationem per totam noctem continuasset et in lucem protulisset ac produxisset! ita enim opprimi a Niso non potuisset. — 339-341. cf. X, 723 sq. Homericum locum Il. κ; 485, 486 ornavit: sed ornaverat comparationem, qua saepe et varie utitur ipse Homerus aliis in locis, ut Odyss. ζ, 130 sqq Il. β, 299. Il. ο, 323, 324: unde κλονέων illustrat h. l. *turbans*, turbas faciens et consternans pecudes, ut tumultuentur per ovile. Spectat autem comparatio ad Nisum, etsi paullo durior, omissa apodosi; *simili modo furebat Nisus.* Tum subiicitur: *Nec minor Euryali caedes.*

343. *sine nomine*, ἀνώνυμον, obscuros, ignobiles. *nomen* non modo pro fama, sed et pro nobilitate ac dignitate, *in medio* vel de loco vel de tempore. — 346. *magnum se post cratera tegebat.* Miraberis crateris magnitudinem! etsi ingentia fuere vasa liciliia, quibus vinum in pocula hauriendum servabatur; dicta eadem dolia; e quo genere esse debuit, in quo Diogenes habitabat. — 348. *et multa morte recepit*, retraxit ensem multo cum sanguine, ut X, 383; ut φόνος

Purpureum: vomit ille animam et cum sanguine mixta
Vina refert moriens; hic furto fervidus instat. 350
Iamque ad Messapi socios tendebat, ubi ignem
Deficere extremum et religatos rite videbat
Carpere gramen equos; breviter cum talia Nisus
(Sensit enim nimia caede atque cupidine ferri)
Absistamus; ait; nam lux inimica propinquat. 355
Poenarum exhaustum satis est; via facta per hostes.
Multa virum solido argento perfecta relinquunt
Armaque craterasque simul pulcrosque tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis

(*Purpureum*, cruentum. Aberratione calami satis antiqua vocabulum *purpureum* textum inquinaverat: reponendum itaque erat *purpureum* Servio duce, qui ait: multi distinguunt, ut sit sensus talis: Educit gladium multo cruore purpureum. Recte, cum h. l. voc. *ensem* epitheto vix carere possit. Idem I. H. Vossius ad Virgil. Georg. IV, 373, p. 855 sensisse videtur. *R.*) Alii *recipere* dictum accipiunt pro excipere: ut sit excipere aliquem morte tanquam hospitio seu epulis, et sic ἐκδέχεσθαι apud Homer. Iliad. ε, 238. Apollon. I, 1000. ξενίζειν ap. Soph. El. 99. — 349, 350. *et cum sanguine mixta vina refert*; ἀναφέρει, reiicit. Seosum igitur foedae et ingratae rei poëta habuit nullum, ut qui ista memorare non dubitavit. Sed nec alii (Ovidii et Statii exempla Cerda laudat) descriptionem tam molestam et nauseam moventem refugerunt; minor est offensio, ubi cum foeditate sensus horroris excitari debet, ut de Caco VIII, 196. — non iungam *furto fervidus*, sed fervide instat *furto*; furtiva et non animadversa a ceteris caede.

350—356. Manifesta Homeri vestigia Il. κ, 494 sqq. in Rheso, usque ad 514. Messapus excubiis erat praefectus, IX, 159 etc. — *ignem extremum* quis dubitet iungere, ut *lumen extremum*, *deficiens*. — *religatos rite*, *ex more*, ex militari consuetudine ligatos, ait Servius; quidni simpliciter accipiamus: equos rite alligatos? uti res poscebat, uti consentaneum erat facere, ne liberi discurrerent, εὖ κατὰ κόσμον. Apud Homer. in ea re Il. α. 475 equi ex curru extremo ligati sunt. — 354. *ferri* sc. se et Euryalum. *R.* — 356. *Poenarum* h. l. pro caede ad ulciscendum hostem facta; caedes satis multae factae sunt.

357—366. Omissis ceteris spoliis phaleras et cingulum Rhamnetis auferit Euryalus; una cum galea Messapi, qua paullo post ipse proditur hostibus. — *phaleras*. Dubitatur, etiam ad h. l., sintne equi an equitis ornamentum: nam utrique tribui solent. Apud Polyb. T. IV, p. 496 sunt χρυσοφάλαροι ἵππεις. Supra V, 310, *equum phaleris insignem* vidimus; hic *phaleras Rhamnetis*. Res sic expediri potest: Sunt phaleras equi; qui equum ornatum habet, ad eundem equi ornatus spectat. Itaque, qui equum pha-

Cingula (Tiburti Remulo ditissimus olim 360
Quae mittit dona, hospitio quum iungeret absens,
Caedicus: ille suo moriens dat habere nepoti;
Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti)
Haec rapit atque humeris nequidquam fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram 365
Induit. Excedunt castris et tuta capessunt.
Interea praemissi equites ex urbe Latina,
Caetera dum legio campis instructa moratur,
Ibant et Turno regis responsa ferebant,
Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro. 370
Iamque propinquabant castris muroque subibant,

leratum habet, erit et ipse eques phaleratus; ideoque Rhamnetis phalerae sunt, quibus insignis eius est equus et quidem h. l. currui iunctus. Mox v. 458 spolia enumerantur per *galeam et balteum*; nihil amplius. Quid si et h. l. apposita sunt, *phalerae et aurea bullis cingula*: ut phalerae late pro ornamento quocunque, h. l. de balteo dicantur? Sane eo ducit Silius XV, 255, *phaleris hic pectora fulget*. Ita phalerae esse potuere et equi et equitis. Remulum *Tiburtem* dicere malim quam *Tiburti filium*. Mox balteum int. aureis clavis insignitum, χρυσόηλος: quem ornat Homeri exemplo, v. c. Il. x, 266 sqq. Balteus ille olim Caedici fuerat, qui eum misit Remulo Tiburtino homini hospitale munus, ξενήϊον. Remulus moriens nepoti reliquit; quo in pugna caeso balteo illo potiti Rutuli vel in praedae parte vel ut ἀριστεῖον, balteum Rhamneti dederant. Si ita singula constituas, videa frustra trepidasse interpretes veteres. — 362. δῶκεν ἔχειν. δῶκε φέρειν Homer. — 364. *nequidquam aptat*, non fruiturus. Serv.; respectu calamitatis, quam accepturus est, dum per eum impeditus proditur v. 384. — *habilem*, aptam capiti; esse videtur Homericum εὖ ἀραρυῖαν. Cf. ad I, 318.

367 sqq. Reticuit poëta sapienter nonnulla, quae ex ipsa narratione intelliguntur. Praecesserat Turnus cum expedito agmine ad castra Troianorum expugnanda. Interea, ut copiarum, quae in urbe Laurentum cogebantur, adventus accelararetur, iusserat Turnus; quae dum instruuntur, praemittuntur trecenti equites. In hos ipsos ad castra appropinquantes incidunt miseri Nisus et Euryalus. — 371. *murosque subibant*, quosnam? Troianorumne? hoc est vallum et castra, quae obsidebant Rutuli: atqui ea non ingredi poterant equites Latini. An Rutulorum? Hoc sane melius, cum de epiis agat poëta, quae Rutulis auxilio missae Rutulorum, non Troianorum, castra ingressurae sunt. Enimvero Rutulorum castra erant nulla, h. e. nec vallum nec agger; verum in campo procubuerant. Res sic expedienda: Rutuli obsidebant

Quum procul hos laevo flectentis limite cernunt,
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit inmemorem radiisque adversa refulsit.
Haud temere est visum. Conclamat ab agmine Volscens:
State viri! quae caussa viae? quive estis in armis? 376
Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra;
Sed celerare fugam in silvas et fidere nocti.
Obiiciunt equites sese ad divortia nota
Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant.
Silva fuit, late dumis atque ilice nigra 381
Horrida, quam densi conplerant undique sentes;
Rara per occultos lucebat semita callis.
Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda
Inpediunt, fallitque timor regione viarum. 385
Nisus abit iamque inprudens evaserat hostis
Atque lacus, qui post Albae de nomine dicti

vallum et portas castrorum Troianorum: cf. 159 sqq., itaque turma, quae ad exercitum mittebatur, castris Troianorum appropinquabat: *subire* est h. l. propius accedere, non, ingredi (*muroque* medic. cod. praestat, cf. VII, 161: *Murosque* alii. *R.*) — 372. *laevo limite*, via a laeva parte Troianorum, sc. *in bivio portae*, *quae proxima ponto* v. 238. Conf. ad v. 195. — 375. *haud temere est visum*, res animadversa est haud in vanum; non negleeta est. — 377. *tendere* recte Serv. h. l. verbis tendere adversus aliquem, h. e. respondere. — 379. *divortia* doctius quam diverticula. — 383. *lucebat* eleganter de via inter dumos et silvarum tenebras (Fortasse poëta memor fuit Apollon. I, 128, διαγλάσσουσι δ' ἀταρποὶ etc. *R.*) In silvis sunt *saltus*, colles et valles, pascendis gregibus aptae, ad ista loca ducunt *calles*, loca pecudi pervia, et in his viae, semitae, quibus pastores incedunt. Dicuntur ita iunctim apud Livium *saltus callesque*, loca, quibus pecudes pascuntur. Ergo *calles* accipio de toto illo dumoso tractu, qui erat pervius; in hoc *semita*, quae euntem ducebat, h. e. semitae raraе, paucae erant, nisi doctius, in virgulto *raro*, minus denso. — *fallitque timor regione viarum*, h. e. via, periphrastice; ut aberraret a via. *regio* linea, directio *viae*, et poëtice *viarum* pro ipsa via; lib. II, 737 timor ipse, ne in hostes incideret, a via, qua elabi poterat, abducit. — 386. *abit*, ut lib. V, 318: *Primus abit* etc. *inprudens*, Euryalum remansisse non animadvertens. — *lacus Albanus* aliquantum sane a castro Troianorum seu nova Troia abfuit et maiore forsan intervallo, quam ut paucis horis a media nocte ad diei ortum eo usque procurrere et rursus inde silvas repetere potuerit Nisus.

Albani: tum rex stabula alta Latinus habebat.
Vt stetit et frustra absentem respexit amicum:
Euryale, infelix qua te regione reliqui? 390
Quave sequar? Rursus perplexum iter omne revolvens
Fallacis silvae simul et vestigia retro
Observata legit dumisque silentibus errat.
Audit equos, audit strepitus et signa sequentum.
Nec longum in medio tempus, quum clamor ad auris 395
Pervenit, ac videt Euryalum; quem iam manus omnis
Fraude loci et noctis subito turbante tumultu
Oppressum rapit et conantem plurima frustra.
Quid faciat? qua vi iuvenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in enses 400
Inferat et pulcram properet per volnera mortem?
Ocius adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam sic voce precatur:
Tu, dea, tu praesens nostro succurre labori,
Astrorum decus et nemorum Latonia custos; 405
Si qua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi

Enimvero non adeo geometrica subtilitate in poëta utendum est, qui omnino longius cursu evectum Nisum declarare voluit. Poterat is lacum Albanum, longinquo etsi spatio adhuc dissitum, tamen praetergredi et, dum versus Tiberim leodit, a tergo relinquere eumque evadere, etsi aliquot millibus ab eo abesset. Ad oculorum sensum haec in locorum planitie sunt diiudicanda. — 388. *stabula*; habent reges suum τέμενος ergo et greges, ut v. 274 *campi quod rex habet ipse Latinus*. Ceterum tota haec poëtae narratio egregie ad exspectationem movendam est comparata. — 396, 398. Euryalum oppressum ignoratione viarum tenebrisque et turbatum inopinato hostis adventu et frustra arma parantem capiunt et abducunt.

402. Consilium Nisi ex vs. 409 declarandum est: volebat occulto et repentino assultu conturbare et consternare hostes, ut incerti, quibus insidiis peterentur, in fugam se coniicerent; ita liberandi Euryali copiam fore: et successisset res, nisi morte Euryalo intentata prorupisset. — 404. Imitatur copiose Statius VI Theb. 633 sqq. Formula precum vs. 406 sollennis et nota vel ex Il. α, 39 sq. ε, 115 sqq. Odyss. δ, 763 sq. σ, 240 sqq. et alibi. *praesens*, propitia. — 407. *auxi* eleganter, alia et ipse tuli, ad-

Suspendive tholo aut sacra ad fastigia fixi :
Hunc sine me turbare globum et rege tela per auras.
Dixerat et toto connixus corpore ferrum 410
Coniicit : hasta volans noctis diverberat umbras
Et venit aversi in tergum Sulmonis ibique
Frangitur ac fisso transit praecordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, et longis singultibus ilia pulsat. 415
Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem
Ecce aliud summa telum librabat ab aure;
Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque
Stridens traiectoque haesit tepefacta cerebro.
Saevit atrox Volscens nec teli conspicit usquam 420
Auctorem nec quo se ardens inmittere possit.
Tu tamen interea calido mihi sanguine poenas
Persolves amborum, inquit : simul ense recluso
Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus amens
Conclamat Nisus (nec se celare tenebris 425
Amplius aut tantum potuit perferre dolorem):
Me, me! adsum, qui feci ; in me convertite ferrum,
O Rutuli! mea fraus omnis ; nihil iste nec ausus

didi. Est voc. sacrum de iis, quae apposita, structa sunt. — 408. *tholus* est interius tectum rotundae aedis in testudinem concamaratae ; *fastigium* est in aditu et super foribus, ἀετός, ἀέτωμα ἢ δέλτα, 409. *sine*, ἴσσον, ut Il. Ξ, 242, 243: sollennius erat δός με, *da, fac, me*. — *aversi in tergum*. Is, cuius tergum petitur, averso sit corpore necesse est, non adverso. Et sic utique legere praestat. Si tuendum *adversi*, accipiendum erit respectu Nisi, cui sane adversum, ex adverso obiectum esse debuit Sulmonis tergum, quod hasta petebat. Sed hoc respuit usus loquendi. — 413. Iliad. ξ, 437. κλαιουσῆς αἷμ' ἀπέμασσεν. Lucret. II, 354: *Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen*. — 415. Ge. III, 506, *imaque longo Ilia singultu tendunt*. 416. Paeuvianum laudat Macrob. VI, 1 : *Diversi circumspiciimus : horror percipit*. — 417. Homericum vulnus, v. c. Il. δ, 502 et υ, 473. *summa ab aure*, cogita statim emittentis hastam, elevata a dextra capitis parte manu. *tepefacta* : saepe ibid. Il. π, 333. — 422. Servius laudat ex Ennii Annal. I : *nam mi calido das sanguine poenas*.

424 sqq. Observa hic incalescere orationem cum ipso Nisi calore. Et

Nec potuit; coelum hoc et conscia sidera testor.
Tantum infelicem nimium dilexit amicum. 430
Talia dicta dabat: sed viribus ensis adactus
Transabiit costas et candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus leto, pulcrosque per artus
It cruor inque humeros cervix conlabsa recumbit:
Purpureus veluti quum flos, succisus aratro, 435
Languescit moriens lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia quum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios solumque per omnis
Volscentem petit; in solo Volscente moratur. 439
Quem circum glomerati hostes, hinc comminus atque
Proturbant. Instat non secius ac rotat ensem (hinc,
Fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso et moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese proiecit amicum
Confossus placidaque ibi demum morte quievit. 445
Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,
Nulla dies umquam memori vos eximet aevo:
Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum

illa: *Me, me* etc. et haec: *nihil istae* etc. *Tantum infelicem nimium dilexit amicum.* Quis non aestuent iuvenilis animus interlegendum! — 433. *volvitur*, provolvitur, concidit caesus, moriens; pro hoc dixit *leto* — 435-437. Esimia et suavis comparatio; sed in qua Maroni nil imputandum praeter verborum ornatum. Nam praeclarum illud: *succisus aratro*, quo res, quae multis modis fieri poterat, tam suaviter ad unum certum casum revocatur, a Catullo mutuatus est: Carm. XI, f. ubi *flos nullo contusus aratro.* Cf. eund. LXII, 39 sq.; alterum de papavere totum Homericum est Iliad. 8, 306, 307. Imitati sunt multi: Add. de Apollon. III, 1398 sqq. *languescit moriens*, ἠμύει. *demisere caput.* Ovid. Met. III, 502. de Narcisso: *ille caput viridi fessum submisit aratro.* — Versus 444, 445 praeclari, verborum quoque delectu; nunc enim recte memorata *placida* mors et *quiescere* in amici complexu, Volscente caeso.

446 — 449. Splendidissimum epiphonema! et ad miserationem altius infigendam animo, dum se ipsum ea factum significat poëta, aptissimum. Hic felici audacia se ipsum interponit poëta narratione epica, quod alioqui parum docte fieret. Sumserunt a poëta alii, non aeque feliciter: congessit imitationem multorum Cerda. Tu in-

Adcolet, imperiumque pater Romanus habebit.
Victores praeda Rutuli spoliisque potiti 450
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus, Rhamnete reperto
Exsangui et primis una tot caede peremtis,
Sarranoque Numaque. Ingens concursus ad ipsa
Corpora seminecesque viros tepidaque recentem 455
Caede locum et plenos spumanti sanguine rivos.
Adgnoscunt spolia inter se galeamque nitentem
Messapi et multo phaleras sudore receptas.
Et iam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile, 460
Iam sole infuso, iam rebus luce retectis.
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,
Suscitat aeratasque acies: in proelia cogit
Quisque suos variisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa adrectis visu miserabile! in hastis 465

spice Statium Theb. X, 443-8. Et ex parte hinc ducta loca Silii II, 696-9 et Valer. Fl. II, 242-6. Splendor autem et pondus etiam in ornamentis ac verbis. *domus Aeneae*, gens Iulia, aut, quod minus malim, omnino populus Romanus. *immobile saxum*: quippe *aeternum* Capitolium, et nota narratio de Termino deo, qui in fundamentis Capitolii iaciendis non cessit loco. *pater Romanus* est Iupiter Capitolinus, non Augustus; is non aeternum habiturus erat imperium. At Aeneidi faustum hoc fatum obtigit, ut etiam post Imperii Romani interitum supersit.

452. Conf. Il. x, l. c. 523 sq. — 455, 456. *tepidaque recentem caede locum*: docte et eleganter; non per hypallagen, ut vulgo exponunt, sed propter exquisitiorem et remotam a vulgari usu formam. Nam *locus recens caede* doctius dictum est, quam *locus recenti caede*, in quo recens caedes facta. At *caedes tepida*, propter lepentem adhuc cruorem. φόνος, αἷμα λιχρόν. Ita et mox: *plenos spumanti sanguine rivos* dictos accipe pro rivis sanguinis.

461. *Quisque suos*. Variae fieri possunt iuncturae; nulla satis commoda. Ad instam ac sollennem rationem esse debebat: *aeratasque acies in praelia cogunt*, nunc per appositum: *quisque suos v.* Dicendum est, *cogunt*, nunc relatum ad sequens, in singularem abiisse, *cogit quisque* (Simplicissima esse videtur iunctura, ut post *acies* interpungas: *Turnus ... acies: in proelia cogit Quisque ... iras: viros* h. l. duces interpreteris, *aeratas* autem *acies* milites. *R.*) *rumoribus* docte videtur positum pro hortatibus,

Praefigunt capita et multo clamore sequuntur
Euryali et Nisi.
Aeneadae duri murorum in parte sinistra
Opposuere aciem (nam dextera cingitur amni)
Ingentisque tenent fossas et turribus altis 470
Stant maesti; simul ora virum praefixa movebant,
Nota nimis miseris atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia Fama ruit matrisque adlabitur auris
Euryali. At subitus miserae calor ossa reliquit. 475
Excussi manibus radii revolutaque pensa.
Evolat infelix et femineo ululatu,
Scissa comam, muros amens atque agmina cursu
Prima petit: non illa virum, non illa pericli
Telorumque memor: coelum dehinc questibus inplet:
Hunc ego te, Euryale, adspicio? tune, illa senectae 481
Sera meae requies, potuisti linquere solam,
Crudelis? nec te sub tanta pericula missum
Adfari extremum miserae data copia matri?
Heu terra ignota canibus date praeda Latinis 485
Alitibusque iaces! nec te tua funera mater

vocibus. — 468. Conf. ad v. 194. de locorum situ. Firmant Troiani praesidiis vallum ab laeva parte, qua Rutuli oppugnare munitionem seu urbem, qua voce Virgilius appellat, poterant: collocant ea in ipso vallo seu muro et in turribus, quas fossa ambit. *In parte sinistra murorum*, ex positu castrorum a partibus Troianorum. — 473 sqq. Comparant Andromachae trepidationem et luctum Il. χ, 447 sqq. et ζ, 388 sq. Vt imitatorem minus subacti iudicii agnoscas, cf. Statii III Theb. 193 sqq. In v. 476 est affectus a multis adumbratus. Qui exempla cupit, Cerdam adeat: malim talia quemque sibi in ipsa poëtarum lectione notare aut reminisci. Nam, ut placeant et prosint; cum rerum ac sententiarum contexto talia cognoscenda sunt. — 479. *prima agmina* haud dubie iungenda. Nam procurrit ante propugnatores valli. — 485, 486 ex prisci aevi atrocitate proiiciendi corpora inhumata satis nota, vel ex Iliadis primis versibus. Ad sequentes quoque versus illustrandos undique locorum copia suppetit, etiam ea ipso Homero, v. c. Od. ω, 291 sqq. Il. χ, 86 sqq. cf. X, 552 sqq. — 486. *nec te tua funera mater produxi.* Vt nunc legitur, ratio gram-

Produxi pressive oculos aut vulnera lavi
Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque
Vrguebam et tela curas solabar anilis.
Quo sequar? aut quae nunc artus avolsaque membra 490
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc sum terraque marique secuta?
Figite me, si qua est pietas! in me omnia tela
Coniicite, o Rutuli! me primam absumite ferro!
Aut tu, magne pater divom, miserere tuoque 495
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo!
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concussi animi, maestusque per omnis
It gemitus; torpent infractae ad proelia vires.
Illam incendentem luctus Idaeus et Actor 500
Ilionei monitu et multum lacrimantis Iuli
Conripiunt interque manus sub tecta reponunt.
At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
Increpuit; sequitur clamor coelumque remugit.

matica accipere sic iubet, ut *tua funera* sit appositum voc. *te*. Scilicet funus ducitur, producitur, ideoque et corpus. Friget tamen vel sic locus. Probabile est, quum nec Servii emendatio *funeram* i. e. producentem cadaver, nec praepositio omissa *ad* aut *in* tua funera locum habere possit, legendum esse cum Bembo: *funere*. Nec ego funus tuum duxi; pro hoc doctius dictum: *te produxi funere*. — 488. *veste tegens*. Minus bene de veste funebri (ἐντάφιον dicitur) cogitant Interpp. et σπεῖρον Laërtae a Penelope curatum huc advocant. De filii adolescentis morte mater profecto non cogitabat; sed vestem ei ornatiorem parabat. — 492. *hoc* caput, quod ante oculos erat suffixum pertica v. 465, hoc sum sequuta, ut mihi aliquando id esset sic adspectandum! Nisi *hoc* pro eo, propterea, malis accipere, s. pro hunc luctum. *funus* autem est cadaver, ut alibi quoque. *telo*, fulmine. Praeclare omnia ad miserationem composita et attemperata! — 500. *illam incendentem luctus*, exultantem, augentem aliorum moerorem, ita ut animi deprimerentur et rebus praesentibus diffiderent. Vt *ardere* dicuntur ea, quae in magno motu sunt, agitantur, turbantur, versantur; sic *incendere* est motum quemcunque inferre vel augere. Cf. ad X, 895.

503, 504. Praeclare ad revocandum a moerore et recipiendum ex tam longa narratione animum utitur versibus ad movendos animos idoneis; prioris lineas ductas esse ex illo En-

Adcelerant acta pariter testudine Volsci 505
Et fossas inplere parant ac vellere vallum.
Quaerunt pars aditum et scalis adscendere muros,
Qua rara est acies interlucetque corona
Non tam spissa viris. Telorum effundere contra
Omne genus Teucri ac duris detrudere contis 510
Adsueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
Possent tectam aciem perrumpere; quum tamen omnis
Ferre iuvat subter densa testudine casus.
Nec iam sufficiunt; nam, qua globus inminet ingens
Inmanem Teucri molem volvuntque ruuntque, 515
Quae stravit Rutulos late armorumque resolvit
Tegmina. Nec curant caeco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo

nii: *at tuba terribili sonitu taratantara dixit*, omnes monuere post Macrobium. *increpuit sonitum*, ut, sonuit sonitum; fecit, edidit sonitum. — 505. In *testudine* egressus est Homericam τειχομαχίαν Il. μ, 443 sqq., quae in hoc et sqq. poëtae animo insidere debuit, uti ex multa lectione unicuique accidere necesse est. *Testudinem agere* scutis supra caput iunctis, unde v. 513 *tecta acies*, Troiani et Achivi nondum norant; de machina multo minus cogitare licet. Mox Messapus v. 523 Homerici Sarpedonis partes explet Iliad. μ, 387 sqq. Volsci ducebantur a Camilla, VII, 803. Ceterum novam Troiam, urbem, poëta ita descripsit, ut simul castrorum vicem ea praebere possit: lib. VII, 157: *Ipse* humili *designat* moenia fossa *Moliturque locum primasque in littore sedes* Castrorum *in morem* pinnis atque aggere *cingit*. Itaque libro nono, ex Aeneae praecepto, non in aciem procedunt Rutulis accedentibus; sed *castra et tutos servare aggere muros* student. Erat autem, quantum video, ex poëtae mente fossa ducta cum aggere seu vallo, ex humo aggesta, vallis seu stipitibus ei praefixis; vallo impositus erat murus turribus ex intervallis distinctus. Itaque oppugnatio ita instituitur, ut primum alii testudine facta succedere, fossam implere ac vallos convellere; alii, qua parte murus nudatus esset, scalas admovere tentent. Rupta ac soluta testudine, v. 515 517, missilibus e longinquo muros propugnatoribus nudant. Tandem 521 sq. in turrim impetus fit: igni immisso expulsis Troianis irruunt Rutuli. — vs. 511 ingenioso commento a poëta subiicitur. — *infesto pondere* pro gravi et ob gravitatem exitiosa: *quum tamen iuvat*: at illis, qui sub testudine latent, decretum est extrema experiri. — 518. *caeco Marte* sub testudine, quam

Missilibus certant. 520
Parte alia horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum et fumiferos infert Mezentius ignis;
At Messapus equum domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum et scalas in moenia poscit.
Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti; 525
Quas ibi tunc ferro strages, quae funera Turnus
Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco;
Et mecum ingentis oras evolvite belli.
Et meministis enim, divae, et memorare potestis.
Turris erat vasto suspectu et pontibus altis, 530
Opportuna loco, summis quam viribus omnes
Expugnare Itali summaque evertere opum vi

modo *tectam aciem* et *armorum tegmina* dixerat; pugnae tectae opponitur pugna aperta. — 522. *pinus* nulla alia est quam ardens, quae pro face esset.

525 sqq. Praeclara haec; facit enim Musarum invocatio plurimum ad convertendos animos in Turnum, qui nunc rebus gestis erat illustrandus: modo non ex Homero omnia nimis manifeste essent translata; a quo tamen omnino diligentius curatum est, ut, quae narraret, non ex poëtae ingenio sed a vetere fama profecta esse videretur, quam Musae suppeditarent. In Virgilio contra nimis manifestum est, ex poëtico artificio aut formula poëtica haec esse inserta. *Vos, o Calliope.* Exempla enallages seu syllepsios v. ap. Cerdam et alios.

525. V. Il. ξ, 508 sq. — 527. Αὖτ' πρόϊαψεν quis nescit? — 528. Versus Ennianus ex VI. Annal. teste Macrob. VI, 1 et Servio: *Qui potis ingentis oras evolvere belli?* et hinc explicandum. *oras* videntur dictae simpl. pro partibus, ut fines de toto loco, spatio. *bellum* est pugna, quae quomodo omnibus locis per totam aciem facta sit, quis *evolvere* verbis, exponere, possit? Ἀργαλέον δέ με ταῦτα, θεὸν ὡς, πάντ' ἀγορεῦσαι etc. (Iliad. μ, 176.) Adiecta vox *evolvere*, in animum revocabat Turnebo oras vestium, quod alienum est. Apud Homer. Il. ὁ, 374 γεφύρας πολέμοιο per *oras* illustrant, perperam utique, nam illae sunt intervallum inter utramque aciem, qua parte propugnatores, πρόμαχοι, prodeunt seque invicem armis petunt. Servius *oras* extrema bellorum exponit; enimvero de pugna agitur. Vers. 529 huc translatus e lib. VII, 645 melioribus codd. deest.

530. Conf. lib. II, 440 sqq., ubi regia Priami simili modo oppugnatur. *pontibus*, quibus discurrunt propugnatores per moenia et ad turrim pervenire licet. Ita statuendum est, si turris fuit in ipsis muris: sin fuit ante murum seu vallum, iuncta cum eo illa fuit ponte, ut supra ad v. 170

Certabant: Troës contra defendere saxis
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem coniecit lampada Turnus 535
Et flammam adfixit lateri, quae plurima vento
Conripuit tabulas et postibus haesit adesis.
Turbati trepidare intus frustraque malorum
Velle fugam. Dum se glomerant retroque residunt
In partem, quae peste caret: tum pondere turris 540
Procubuit subito, et coelum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, inmani mole secuta,
Confixique suis telis et pectora duro
Transfossi ligno veniunt. Vix unus Helenor
Et Lycus elabsi; quorum primaevus Helenor, 545
Maeonio regi quem serva Licymnia furtim
Sustulerat vetitisque ad Troiam miserat armis,
Ense levis nudo parmaque inglorius alba.

expositum est. — 533. *defendere* sc. turrim, non se; hoc indignum poëtica gravitate esset. — 536. *Et flammam adfixit lateri*: ergo turrim ligneam fuisse credendum est, si exterius adhaesit fax allisa et affixa. — 540. *pestis* de incendio, ut V, 683. Dum omnes in alteram turris partem, quae intacta ab igni est, concedunt; illa, quae solo imposita et superstructa erat (non fundamento saxeo in terram acto), utpote lignea et mobilis inaequali pondere inclinatur. — 542. Corruente turri in latus alterum affliguntur ii, qui intus sunt, solo, gravi turris ruina; hoc dixit: *veniunt in terram*. Fit autem ex his maxime probabile turrim propugnaculum ante vallum fuisse, quandoquidem, cum in alterutrum latus illa rueret, *in medio hostium* se viderunt constitutos ii, qui incolumes ruina effugerant.

545 sq. Ornat Helenorem, sed Homeri vestigia legens Iliad. ζ, 23 sq. — 547. *vetitis armis*: quae tractare nondum posset propter teneram adolescentiam; nam erat *primaevus* (At mater misit: hinc *arma vetita*, haud apta servae filio, quo elegantius, quam ei conveniret, armato matrem gloriatam innuit poëta, magis sui quam heroici aevi ratione habita. *R.*) — 548. *parmaque inglorius alba*: media vox satis arguit poëtam non λεύκασπιν vel λευκασπίδα voluisse innuere, fulgenti clipeo instructum, ut apud Aeschyl. Sept ad Th. 90, nec ἄσημα ὅπλα sine insigoibus, Euripidis Phoeniss. 1119. quae moderationis ibi insigne habentur in Amphiarao; verum hominem, qui nullo dum facinore claro edito clipeum gestabat nullo argumento caelato insignem: sed de hoc more, ut clipei insignia rebus gestis responderent, aliunde nihil constat. Itaque

Isque ubi se Turni media inter millia vidit,
Hinc acies atque hinc acies adstare Latinas; 550
Vt fera, quae densa venantum saepta corona
Contra tela furit seseque haud nescia morti
Iniicit et saltu supra venabula fertur,
Haud aliter iuvenis medios moriturus in hostis
Inruit et, qua tela videt densissima, tendit. 555
A pedibus longe melior Lycus inter et hostis
Inter et arma fuga muros tenet altaque certat
Prendere tecta manu sociumque adtingere dextras.
Quem Turnus, pariter cursu teloque secutus,
Increpat his victor: Nostrasne evadere, demens, 560
Sperasti te posse manus? Simul adripit ipsum
Pendentem et magna muri cum parte revellit,
Qualis ubi aut leporem aut candenti corpore cycnum
Sustulit alta petens pedibus Iovis armiger uncis;
Quaesitum aut matri multis balatibus agnum 565

Helenor mox fortiter in hostes irruens videtur *inglorius* h. l. esse, ut qui leviter et vulgariter tantum ense et levi parma, non ὁπλίτης thorace, hasta et clipeo instructus fuerit, ideoque ipse ἄσημος. Est ergo *inglorius* non conspicuus (qui non gloriabatur, sed alba tantum, nullis insignibus ornata, parma armatus. *R.*) Contra 582 Arcens *clarus* chlamyde purpurea dictus. — 549. Turri in fastigio aperta, non tecto clausa, in praeceps data, desilientes duo, Helenor et Lycus, in medio hostium versari se videbant; alter, Lycus, 556 sq., vibrato a terra corpore in aggerem et murum recipere se et escendere conatur. — 551 sq. Comparandus Hom. Il. μ, 41 sqq. υ, 164 sq. cf. inf. XII, 4 sq. Silius X, 1 sqq. — 557. Murum humilem fuisse necesse est, qualis est Homericus murus in vallo Achivorum, cuius pinnas Sarpedon manu convellit. Iliad. μ, 397. — *tecta* pro muri summa parte, ut 568 *fastigia*; hinc 562 *pendentem*, nam prehenderat manu superiora muri, ut saltu se in altum librarret; et *magna muri cum parte*, uti Homer. loc. cit. ἔπαλξιν ἑλών χερσὶ στιβαρῆσιν ἑλὼν, ἡ δ' ἔσπετο πᾶσα διαμπερές. — 563, 564. Laudantur Il. χ, 308 sq. et comparantur cum his ab Intpp. inde a Macrobio; nec tamen quicquam amplius ibi est quam aquila petens πτῶκα λαγωόν: hic vero cf. Il. ρ, 674 sq. et ad comparationem cum aquila, quae cycnos invadit, Il. ο, 690 sq. Quod vero ad vs. 565, quo lupus agnum rictu oris auferens declaratur, Iliad. s, 162 comparandum memorant, perperam faciunt. *Martius lupus*, Marti sacer.

Martius a stabulis rapuit lupus. Vndique clamor
Tollitur. Invadunt et fossas aggere conplent;
Ardentis taedas alii ad fastigia iactant.
Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis
Lucetium portae subeuntem ignisque ferentem; 570
Emathiona Liger, Corynaeum sternit Asylas,
Hic iaculo bonus, hic longe fallente sagitta;
Ortygium Caeneus, victorem Caenea Turnus;
Turnus Itym Cloniumque, Dioxippum Promolumque
Et Sagarim et summis stantem pro turribus Idan; 575
Privernum Capys. Hunc primo levis hasta Temillae
Strinxerat; ille manum proiecto tegmine demens
Ad volnus tulit; ergo alis adlabsa sagitta
Et laevo adfixa est lateri manus abditaque intus
Spiramenta animae letali volnere rumpit. 580
Stabat in egregiis Arcentis filius armis
Pictus acu chlamydem et ferrugine clarus Hibera,
Insignis facie, genitor quem miserat Arcens

566 sq. Cum uno loco perrupisset munitionem Turnus, facti inde ceteri Rutuli audaciores undique novo impetu invadunt; eoque res succedit, ut fossam *humo aggesta* expletam habeant. Tum propius murum et portam subeuntes iactant faces. — 572 *longe fallente*, e longinquo et clam feriente. Cf. X, 754. — 575. *stantem pro turribus*, pro vulgari: stantem in summa turri. — 577. Abiecto *tegmine* scuto manum admoverat lateri vulnerato, eaque re latus nudavit; itaque *demens*. — 578. *alis adlapsa sagitta*, ornate, pro simplici allapsa; quia tolies πτερόεντες ὀϊστοὶ apud Homerum, item *alata*, *ales* sagitta, proprie occurrunt: noster improprie velocem motum et volatum teli per alas expressit, ut sup. lib. V, 319 *fulminis alae*. In vulneribus autem ingeniosus est poëta Homeri exemplo. Comparant h. l. Intpp. Il. v, 593 sq. — 580. Hoc est rupit vulnere facto eam partem, illud viscus, quo respiratio fit.

582—589. Ad variandam et ornandam narrationem nunc miserationem excitat brevi episodio; mox 590 sq. Numanus Remulus indignationem iniicit vecordi superbia elatus. Illud vero obscurum, ex qua recondita historia Arcentem Siculum huc induxerit, quod et in Servianis aliquis miratus est. Debuit poëta tacite ponere, profectum eum esse in Italiam cum Troianis e Sicilia solventibus. — 582. *ferrugine clarus Hibera*: purpura indutus Hispana, quae est ferruginei, nigricantis coloris. Cf. XI, 772 et Catull. 64, 227. not. *Arcens*, Siculus est.

Eductum Matris luco Symaethia circum
Flumina : pinguis ubi et placabilis ara Palaci. 585
Stridentem fundam positis Mezentius hastis
Ipse ter adducta circum caput egit habena
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit ac multa porrectum extendit arena.
Tum primum bello celerem intendisse sagittam 590
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,
Ascanius fortemque manu fudisse Numanum,

Est autem in orientali Siciliae parte *Symaethus*, fl., circa quem *lucus* fuisse a poëta narratur eo loco, quo Palicorum templum erat *Lucum matris* appellat; *Matrem Ennaeam* intelligit, Cererem, ut saepe Μήτηρ καὶ Κόρη. Nisi malis matrem Arcentis, nympham nomine non appellatam, cuius ille lucus erat. De Palicis loc. class. apud Macrob. V, 19. Aristot. Mirab. Auscult. 58 et Diodor. XI, 89 sunt: adde Bochart. Chan. I, 28 at, si plura desideres, praeter Cluverium in Sicil. ant., Dorvillium in Sic. p. 167 et ibid. Burman. Sec. p. 472 sqq. Fuere duo heroës seu dii indigetes, quorum tamen est obscura summae vetustatis religio. Fuere porro duo crateres seu lacus gemelli (ideoque fratres dicti) aquae sulfureae non longe ab Eryce, urbe, ad quos sollennia iuraiuranda fieri solebant; habitus iis honos divinus, et iis, ut diis, fanum cum sacris haud longe ab urbe Palica exstructum est, ut solebat antiquitas rebus naturalibus numen inesse credere, cui illa dei vel herois nomen et personam imperiebat. Quod autem fanum hoc circa Symaethum fuisse dicitur, non geographice accipiandum; sed poëta locorum situm latius et a nobiliore flumina designat. Alioquin etiam propior fluvius Eryces erat, nunc *Fiumo di s. Paulo*, ut *Iaretta* Symaethus est: quod bene docuit Cluverius. Quod unum tandem Palicum memorat poëta, ad poëticam rationem referendum, qua licuit ex duobus unum nominare; nisi forte Maronis iam aetate, ut nunc, unus tantum lacus superfuit, dictus *Donna Tesia* s. *Nastia*, haud procul ab urbe Pelagonia: durat adhuc similis superstitio, muliere fatidica illic sedem habente. In medio cratere aqua ebullit sulfurei odoris *placabilis ara*, quia dii placari possunt et solent victimis: propter quas eadem ara *pinguis*. Haec ratio simplicissima. — 588. *liquefacto ... plumbo*. Haec fides et opinio antiquitatis fuit, quam sequitur poëta. Sic Lucret. VI, 177: *plumbea vero Glans etiam longo cursu volvenda liquescit*. Erat autem funda missum plumbum olivae fere simile: cuius magna adhuc copia in agrorum per Italiam superficie mole reperiri solet. — In 589 poëta, cum in oppugnatione murorum versetur, *arenam* pro solo posuit.

590. Multa h. l. moliuntur viri docti, ut difficultatem diluant, quod hic iam arma tractet, qui l. I, 747 puer fuit, cui assimulatus Amor Didonis gremio insidere posset. Scilicet nec illud recte tenent, quid eo loco sit *gremio insidere*, ad veterem morem, nec cogi-

Cui Remulo cognomen erat Turnique minorem
Germanam nuper thalamo sociatus habebat.
Is primam ante aciem digna atque indigna relatu 595
Vociferans tumidusque novo praecordia regno
Ibat et ingentem sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, et Marti praetendere muros?
En, qui nostra sibi bello connubia poscunt! 600
Quis deus Italiam, quae vos dementia adegit?
Non hic Atridae nec fandi fictor Vlixes.
Durum ab stirpe genus natos ad flumina primum
Deferimus saevoque gelu duramus et undis;

tant Amorem a veteribus puerum fere puberem haberi: quod ex poëtis et signis satis constat. Tum vero idem iam venationi acrius indulserat IV, 156. VII, 479. — 593. Maior Turni soror Nympha Iuturna erat. V. Inf. VII, 138 sq. — 594. *sociatus habebat* pro vulgari: sibi nuper sociaverat. — 595. *digna atque indigna relatu*, fanda et nefanda, ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα, nam vs. 603 sqq Remulus virtutem popularium recte crepat; mox contumeliosa et turpia in Troianos iacit. Est autem hoc non minus ex heroum quam ex barbarorum populorum vita, ut hostem convieiis provocent. Qui Homerum inspexit, hoc satis tenet. — 596. *novo regno* superbiebat; docte pro matrimonio cum regiae stirpis femina inito, nova enim sponsa erat regina. — 597. *ingentem sese ferebat*, incedebat cum clamore ingens homo, vasta corporis specie. Sic inf. XII, 444: *portis sese extulit ingens.* — 598. Comparant Hectoris verba Il. σ, 287. In *iterum* et in *O Phryges bis capti* Servius et alii Troiam ab Hercule captam huc advocant. Ita nunc obsidentur Troiani tertio, his iam antea expugnati. Cf. XI, 402 et Silius I, 43. Lusum in his iam supra VII, 295. — *muros praetendere Marti* h. e. pugnae, quod vallo et muris continent, se et inclusi pugnam detrectant, post muros latentes (Praestat tamen codicis medicei lectio aliorumque: *morti*: cuius metu, iactator ait, ignavi muris se continent. *R.*) — 600. Invidiose respectu Laviniae, quam Turno ereptum ibat Aeneas. — 602. Imitati sunt Stat. XII Theb. 761 sqq. Silius I, 443 sqq. *fandi fictor* docte, qui fingit fanda, h. e. qui ficta fatur, fere, quod ἐπίκλοπος μύθων Il. χ, 281. — 603. Locus qui sequitur egregius et ornatus est de veteris Italiae disciplina et vita, quae in Sabinis diutissime viguit: eandem a maioribus Albanis Romani acceperant, et ex ea enituit *Romana virtus*, spectata partim frugalitate et paupertate, partim tolerandis laboribus. Adeo a multis anterioribus causis processerant initia rerum, quibus imperii Romani fundamenta iacta sunt. Adde laudes Italiae Ge. II, 167 sqq. et sup. V, 730: *gens dura atque aspera cultu Debellanda tibi Latio est.* — 605. *silvasque fati-*

Venatu invigilant pueri silvasque fatigant; 605
Flectere ludus equos et spicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque adsueta iuventus
Aut rastris terram domat aut quatit oppida bello.
Omne aevum ferro teritur, versaque iuvencum
Terga fatigamus hasta; nec tarda senectus 610
Debilitat vires animi mutatque vigorem.
Canitiem galea premimus; semperque recentis
Conportare iuvat praedas et vivere rapto.
Vobis picta croco et fulgenti murice vestis;
Desidiae cordi; iuvat indulgere choreis; 615
Et tunicae manicas et habent redimicula mitrae.
O vere Phrygiae, neque enim Phryges, ite per alta

gant, multum pererrant. Sic *quatere*, *movere*, *turbare* dicimur silvas, feras. V. ad lib. VIII, 94. — 606. *spicula tendere cornu*: si cornus arbor est, e qua spicula fiunt: uti Ge. II, 448 et inf. 698 *volat Itala cornus*, sunt *spicula cornu*, spicula cornea, et *tendere* est limando iacere, tamquam ad scopum; sin *cornu* est pro arcu, de sagittis est accipiendum; sic *torquere spicula cornu Partho* Ecl. X, 59 et alia Aen. VII, 497. XI, 773, 859. — Tum 608 *quatit oppida bello*, simpl. pro vexat, turbat, oppugnat. Sic enim quatere, movere, turbare, ut κλονεῖν, πόλιν σείειν Pindar. Pyth. IV, 484. — 609. Hasta inversa, σαυρωτῆρι, boves aratores cessantes pungimus. — 612. Etiam senes armati sumus et militamus: ut fere barbari. Sic et antiquissimi Graeci apud Thucydidem. — 614-620. Etiam hi versus inter ornatissimos: notabilis quoque rhetoricae propior tractatio. Phryges cum Troianis permisceri et tamquam ab eadem stirpe profectos haberi iam alias vidimus: ut statim Aen. I, 468. Iidem mollitie et luxu infames; quandoquidem primi cum Maeonibus seu Lydis in minore Asia opibus excelluerunt, in primis pauperum colonorum, qui e Graecia advenerant, iudicio. Ante oculos autem habuit poëta aliquot loca Homerica Od. ϑ, 248, 249 de Phaeacibus et Iliad. ω, 261, tum in illis: *O vere Phrygiae* Il. β, 235, η, 96. — 614. Vestem aliam crocotam, aliam purpuream intellige, utramque Phrygio opere, acu pictam. *Desidiae cordi*; pro *desidia*, indulgetis desidiae. φίλη κίθαρίς τε χοροί τε. — 616. Tunicae manicatae, χειριδωτοί, cf. Stat. VII Theb. 657. Gell. VII, 12. Ernesti clav. Cic. s. v. manicatus: tum *mitrae quae redimicula habent*, int. pileos Phrygios fimbriis pendulis, quibus mento subligatis malae ac tempora teguntur, conf. ad lib. IV, 216; male plerique omnes *mitras* Graecorum; diademata, cum his Phrygiis confundunt. — 617. Sacra magnae matris deum, *matris Idaeae*, Cybeles in Dindymo Phrygiae monte: τὰ Δίνδυμα ὄρη, cf. X, 252. VI, 785 sq.

Dindyma! ubi adsuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxusque vocant Berecyntia Matris
Idææ. Sinite arma viris et cedite ferro. 620
Talia iactantem dictis ac dira canentem
Non tulit Ascanius; nervoque obversus equino
Intendit telum diversaque brachia ducens
Constitit, ante Iovem supplex per vota precatus:
Iuppiter omnipotens, audacibus adnue coeptis. 625
Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona
Et statuam ante aras aurata fronte iuvencum
Candentem pariterque caput cum matre ferentem,
Iam cornu petat et pedibus qui spargat arenam.
Audiit et coeli Genitor de parte serena 630
Intonuit laevum; sonat una fatifer arcus.
Effugit horrendum stridens abducta sagitta
Perque caput Remuli venit et cava tempora ferro
Traiicit. I, verbis virtutem inlude superbis.

et hoc lib. v. 82 (Sic Hom. Il. β, 235, Ἀχαιΐδες οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί! *R.*) *buxus*, tibia. — 621. *canentem* simpl. dicentem, vociferantem.

622 sqq. Memorabile erat hoc telum, quippe primum, quod Ascanius in pugna emisit, primum virtutis documentum: itaque ornare poëta potuit. Fecit Homeri exemplo, qui sic Pandari in Menelaum mittendam sagittam exornat Il. δ, 116-122, etiam precea 119. Conf. XI, 857 sqq.: Apollon. III, 275, 283 sq. de Amore.— (*nervoque*, ubi coniunctio enclitica post adverb. negandi idem valet, quod *sed*, imo potius. *B.*) *Obversus intendit telum*. Aliter arcus tenditur, aliter sagitta; haec dirigitur. Sic 590 *celerem intendisse sagittam*, ut 606 *spicula tendere cornu*. — *nervo equino*, ut chorda arcus sive ex setis sit sive ax tendinibus et nervis equinis, cf. Wernsdorf. ad Avien. 933. — 626. *dona*, sacrificium, ut toties poëta. Male Serv. de donariis. 627. Cf. Od. γ. 382 sq. — 628. *Caput cum matre ferentem*, adultum, aequalem matri. Ἰσομάτορα ἀμνὸν ex Theocr. Id. η, 14 dixeris v. 629 et Ecl. III, 87 legitur. — 630. Saepius haec occurrunt. Cf. Il. ο, 377, Hesiod. Scut. Herc. 383-385. *sonat una*. Αἴγξε βιός etc. Il. δ, 125. Cf. XI, 863-4. — 632. *adducta*, adducto arcu concitata. Proprie *adducitur* arcus, cum eo sagitta: tum, quae adducto arcu evolat sagitta, poëtae et ipsa *adducta*, accelerata, admissa dici potuit: nisi malis in eo manere, ut sagitta adducta dicatur nervi respectu; ad quem sagitta adducta, admota, cui imposita fuerat. *horrendum stridens* iungenda. Δινὴ δὲ κλαγγὴ γίνετ' ἀργυρέοιο βιοῖο. — 634, 635. Schema traductae narra-

Bis capti Phryges haec Rutulis responsa remittunt. 635
Hoc tantum Ascanius. Teucri clamore sequuntur
Laetitiaque fremunt animosque ad sidera tollunt.
Aetheria tum forte plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat,
Nube sedens, atque his victorem adfatur Iulum: 640
Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra!
Dis genite et geniture deos. Iure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident;
Nec te Troia capit. Simul, haec effatus ab alto

tionis ad dialogum, quod orationem egregie animat, notarunt passim grammatici; cf. Clark. ad Il. δ, 303. ο, 348. Superbiae vero, qua victis aut caesis illudit victor, dignae horrida heroum vita exemplum poëta ab Homero repetiit. — 637. *animos ad sidera tollunt* audacter poëta novavit, non eo sensu, quo volunt, ut Ascanii aut suos animos per favorem extulerint laude; sed successu, gloria ac virtutis seu conscientia seu opinione, ferocientes et exsultantes *efferri animis* aut ipsi *animos efferre* dicuntur, et nunc quidem tam sublimes, ut coelum sibi attingere videantur. Sensu facilius rem assequare quam verbis.

638. Apollo gentis Iuliae in primis studiosus. Ita Aetiaca victoria ad eum referebatur, VIII, 704 sq. et Palatinum templum in eius honorem factum. — 639. *Ausonias acies urbemque*, oppugnationem castrorum seu urbis Trojanorum, novae Troiae. Cf. I, 224 sqq. — 641. *mactus*, origine et usu est *auctus*, amplificatus. Est aliquid, si reddas: o puer aucte, ornate nova virtute. Sed videtur aliud quid insuper desiderari, quod ex notione auctus, qui fructum et usum ac voluptatem affert, eliciendum est. Scilicet *mactus laude*, *virtute* est qui fruitur laude e re bene gesta, ex successu gaudens, fructum laetitiae inde capiens: et sic nihil est quod melius vocem reddat quam ὀνήμενος in illo Homerico Od. β, 33, ἐσθλός μοι δοκεῖ εἶναι, ὀνήμενος, qui fructum inde capiet, cui bene sit, bene eveniat! unde vulgare Graecorum ὄνατο· ut h. l. ὄνατο τῆς νέας ἀρετῆς. Bene evenial primum hoc virtutis documentum! laeti sit ominis! Itaque omnino, si in formulis ad deos precandi occurrit, *mactus* videtur esse laetus, propitius. Cf. Cato de R. R. 134. — 642. *geniture deos* propter Iulium Caesarem et Augustum, ut Serv. — 642, 643. Adscribendus est hic locus iis, in quibus pacis per orbem terrarum restitutae et Iani clausi memoria celebratur. Certe post V. C. 725 scripta haec esse necesse est: cf. Vita Virg. sub h. a. Merito hoc tuae genti dabitur, ut oriundus ex ea Augustus omnia bella finiat. Nomen *Assaraci* ad splendorem orationis pertinet: v. ad Ge. III, 35. Aen. I, 284. *bella fato ventura*: bona determinatio, in primis respectu bellorum civilium, de quibus maxime accipiendus locus. — 644. *Nec te Troia capit*: virtute tua haec tenuitas, ad quam nunc Troiani redacti sunt, indigna est. Notum satis

Aethere se mittit, spirantis dimovet auras 645
Ascaniumque petit. Formam tum vertitur oris
Antiquum in Buten. Hic Dardanio Anchisae
Armiger ante fuit fidusque ad limina custos;
Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo
Omnia longaevo similis, vocemque coloremque 650
Et crinis albos et saeva sonoribus arma,
Atque his ardentem dictis adfatur Iulum:
Sit satis, Aeneada, telis inpune Numanum
Oppetiisse tuis! primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem et paribus non invidet armis; 655
Cetera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo
Mortalis medio adspectus sermone reliquit
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Adgnovere deum proceres divinaque tela
Dardanidae pharetramque fuga sensere sonantem. 660
Ergo avidum pugnae dictis ac numine Phoebi

est illud Philippi ad Alexandrum filium: Quaere aliud regnum, Μακεδονίᾳ γάρ σε οὐ χωρεῖ. — 645. *spirantes auras.* Nec vitales, cum Servio, nec odoras, cum Cerda, sed flantes, πνεούσας αὔρας, accipe (ventos sedat, componit. *R.*) — 647. Alius erat *Butes*, quem supra memoravit lib. V, 372. Adumbravit autem Periphantem Il. ρ, 323 sq. (non locum Il. π, 715 sq.) An vero etiam illud ex vita heroum sit: *fidusque ad limina custos*, ut armigeri (Δορύφοροι) ildem et satellites sint, nam hi sunt *ad limina* custodes, dubito: nisi *ad limina* dici potuit pro, in domo. — 651. Butae similis etiam canis et armis, quae ille gestabat. *arma saeva sonoribus* h. e. sonore, saeve, terribiliter sonantia: Butae sunt. Mox *Aeneada*, ex Αἰνειάδης; Αἰνειάδης, ut saepe Aeneadae: v. I, 157. — 655. *ut paribus non invidet armis*, hoc sublime et magnificum: suae sagittandi peritiae, suae virtuti Ascanii futuram virtutem aequiparat deus Apollo. Alii comparationem in eo quaerunt, quod Apollo puer Pythonem interfecit. Mihi hoc argutum magis quam verum esse videtur. — 657. *medio sermone.* Servius: ideo *medio*, quia non respondit Ascanius. Est vero simpliciter: antequam plura subiiceret, cum his verbis discessit. Cf. IV, 277. — 659. Ergo in *fuga*, discessu divinam formam Apollo receperat, quam deposuerat, adscita humana, ut agere posset cum mortali. Forma autem divina, ut ex *divina tela pharetramque* apparet, credita est esse eadem, quae in signis expressa est, a Scopa puta vel Praxitele. — 661. *numen* declaratur per *dicta*, iussa, auctoritas.

Ascanium prohibent; ipsi in certamina rursus
Succedunt animasque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris:
Intendunt acris arcus amentaque torquent. 665
Sternitur omne solum telis; tum scuta cavaeque
Dant sonitum flictu galeae, pugna aspera surgit:
Quantus ab occasu veniens pluvialibus Haedis
Verberat inter hiemum, quam multa grandine nimbi
In vada praecipitant, quum Iuppiter horridus austris 670
Torquet aquosam hiemem et coelo cava nubila rumpit.
Pandarus et Bitias Idaeo Alcanore creti,
Quos Iovis eduxit luco silvestris Iaera
Abietibus iuvenes patriis et montibus aequos,

664 — 690. Ascanii virtute incensi Troiani fortiter de muris pugnant; portam tuentur duo, Pandarus et Bitias. — 664. *totis per propugnacula muris*, per loca murorum, e quibus propugnatur; inde simpliciter, per muros. De voce cf. ad 170. — 665. *Acres* ipsi, intendunt acriter et iaciunt tela amentis religata. — 666, 667. Macrob. VI, 4 ex Ennii Scipione laudat: *Sparseis hasteis longeis campus splendet et horret.* Tum alii ex Annal. XI: *Tum clupei resonant, et ferrei stridet acumen*. cf. v. 809 et Il. μ, 160 sq *flictu* docte ex vetustate pro afflictu. — *pugna aspera surgit*, fit, exasperatur multo magis et incenditur, quam adhuc factum erat.

668 sqq. Ornavit Homericos versus Il. μ, 156-161. *quantus* respondet ei, quod in anteced. latet: tantus telorum iactorum est acervus. *Haedis pluvialibus*, propter haedos. Bene et clare Servius: a Supra Tauri cornua est signum, cui Auriga nomen est. Retinet autem stellas duas in manu, quae *haedi* vocantur, et capram, quarum et ortus et occasus gravissimas tempestates faciunt. Oriuntur autem cum Scorpione mense Octobri. a Comparatis locis, quae ab Intpp. excitari solent, de occasu Haedorum sub medium Decembrem maxime poëta cogitasse videtur: v. Arat. Phaen. 678-681: Theocr. Id. VII, 53, 54. Stat. Theb. VIII, 407 sqq. — 670. Quod alias austris insurgentibus, id nunc Iovi tribuit: *torquet* is *aquosam hiemem*, h. e. versat, agitat nubes pluvias tandemque, ut illis imber exprimatur, facit: *coelo cava nubila rumpit.*

672 sqq. Ingeniose est usus loco Il. μ, 127 sqq et respexit duo Lapithas, Polypoeten et Leonteum, pro portis castrorum Achivorum stantes. Vt silvestrem daret originem fratribus; in monte Ida aducatos narrat, in luco Iovis Idaei: parentibus silvestrem in nemoribus Idaeis vitam agentibus. Cf. 584 — 674. ἐλάτῃσιν ἐοικότες ὑψηλῇσιν Il. ε, 560. Cum *montis cacumine* comparatur Polyphemus Od. ι, 191, 192. Miror tamen poëtam subiicere iterum vs. 679 et bis eandem

Portam, quae ducis imperio conmissa, recludunt 675
Freti armis ultroque invitant moenibus hostem.
Ipsi intus dextra ac laeva pro turribus adstant
Armati ferro et cristis capita alta corusci,
Quales aëriae liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis Athesim seu propter amoenum, 680
Consurgunt geminae quercus intonsaque coelo
Adtollunt capita et sublimi vertice nutant.
Inrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentis.
Continuo Quercens et pulcer Aquicolus armis
Et praeceps animi Tmarus et Mavortius Haemon 685
Agminibus totis aut versi terga dedere,
Aut ipso portae posuere in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus irae,
Et iam conlecti Troës glomerantur eodem
Et conferre manum et procurrere longius audent. 690
Ductori Turno diversa in parte furenti
Turbantique viros perfertur nuntius, hostem
Fervere caede nova et portas praebere patentis.
Deserit inceptum atque inmani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam fratresque superbos, 695
Et primum Antiphaten (is enim se primus agebat)

comparationem inferre. In *commissa* v. 675 argutati sunt veteres apud Servium, cum dubitarent, an sit: clausa, uti tabularum *commissurae* dicuntur. Est haud dubie: credita a duce, custodiae eorum mandata; et 176: *Nisus erat portae custos.* — 676. *moenibus*, in moenia, VIII, 178, ut *solio.* — 677. *pro turribus* accipio ἀντὶ πύργων, tamquam binae turres, aliter ac v. 575. — 679 sq. ex l. c. Il. μ, 131 sqq.; sed ornavit poëta adiunctis a certo genere ac loco petitis, circa Padum et Athesim. Nostrum iterum expressit Claudian. de R. Pros. III, 370. *flumina liquentia*, ut fons liquidus, epitheton ornans. Qui 684 nominantur, e Rutulis sunt. — 688. *animis discordibus* ornate, pro *iis*. Tum magis increscunt irae Troianis. Iam autem ii erant hostilibus in Rutulos animis.

691. Turnus, nuntio accepto portam valli Troianorum patere, eo accurrit, in castra irrumpit et Troianos ad summum discrimen adducit. Semper inhaeret animo Homeri τυχομαχία. Qui ibi Hector, hic Turnus

Thebana de matre nothum Sarpedonis alti
Coniecto sternit iaculo: volat Itala cornus
Aëra per tenerum stomachoque infixa sub altum
Pectus abit; reddit specus atri volneris undam 700
Spumantem et fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit Aphidnum;
Tum Bitian ardentem oculis animisque frementem
Non iaculo, neque enim iaculo vitam ille dedisset;
Sed magnum stridens contorta phalarica venit, 705
Fluminis acta modo; quam nec duo taurea terga
Nec duplici squama lorica fidelis et auro
Sustinuit; conlabsa ruunt inmania membra.
Dat tellus gemitum et clipeum super intonat ingens:

est. — 697. *Thebana de matre*: oriunda ex Thebe Mysiae urbe sub monte Placio, olim a Cilicibus colonis insessa, Eetione rege, patre Andromaches, clara, quem Achilles interemit. Iliad. α, 364. VI, 414 sq. Campus Thebes hinc mansit etiam serioribus aetatibus circa Adramyttium. Late de hac Thebe Strabo. Burmannus laudat notam ad Ovid. XII Met. 109. — *alti*, magni. — 698. *cornus*. V. Ge. II, 447, 448. — 699. *aëra tenerum*: alias, tenuem; sed et aliis locis alterum occurrit. Exempla collegit Heins., spectatque hoc nec minus ad aëris naturam, cum impulsui cedit ac pervius est. *stomacho*: recte Serv. « graecus sermo est. » Dixit scilicet στόμαχον, guttur, gulam. Tum *specus* h. e. cavum, vulnus hians, reddit *undam atri volneris* h. e. sanguinem ebullientem in undarum morem, undantem. Cf. Il. φ, 47 sqq. — 702. *manu*, ense, vi oppositi: nam v. 698 *iaculo* Antiphaten prostraverat. Nec insolens hoc. Etiam Serv. notavit.

703, 704. Bitiam tam vasto et immani corpore fuisse declarat, ut iaculi vulnus nimis leve nec mortem allaturum fuisset. Non satis dignum Maronis castigatiore Musa hoc videtur; nec placet τὸ παιδαρεῶδες, etsi referendus animus ad clipeum et loricam, quae tam vastum corpus tegebat. Multo enim minus de nudo corpore cogitandum, tanquam iaculo non pervium id esset. *dedisset* pro reddidisset. — 705. Non haec est *falarica*, quam Liv. XXI, 8 describit; sed est simpliciter pro lancea et hasta latioris ferri dicta. Ex Servio tamen et Festo notanda est origo vocis *a falis*, h. e. turribus. — 707. *lorica fidelis* (quae munit, tutum reddit, bona ideo et idonea, sic VII, 640 *fidus ensis*) *squama duplici et duro*, duplicibus squamis aureis seu duplici squamarum ordine; uti *bilicem loricam* dicit XII, 375. — 709. *ipse ingens intonat super clipeum*. Potest ita; cum Iulio Sabino, verborum ordo institui, quod et Burmanno probatur. Sed doctior est

Qualis in Euboïco Baiarum litore quondam 710
Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
Constructam ponto iaciunt; sic illa ruinam
Prona trahit penitusque vadis inlisa recumbit,
Miscent se maria et nigrae adtolluntur arenae.
Tum sonitu Prochyta alta tremit durumque cubile 715
Inarime Iovis imperiis inposta Typhoeo.
Hic Mars armipotens animum viresque Latinis
Addidit et stimulos acris sub pectore vertit

Serviana ratio, ut *clipeum* neutro genere dixerit: *hoc* clipeum *ingens intonat super*, sc. super immania membra collapsa. Ita est Homericum ἀράβησέ τε τεύχε' ἐπ' αὐτῷ. Ad verbum reddidit X, 488: *sonitum super arma dedere.*

710 sqq. In sequentibus iterum magnum poëtam agnoscas: rem posuit novam per se magnam et terribilem eamque ornavit ἐναργῶς et docte. Interceptus erat Crater seu sinus Baianus molibus in altum ductis, partim quibus praetoria inaedificata erant, et temperati aëris et prospectus causa, partim quibus portus Iulius muniebatur. V. Ge. II, 161: *Euboïco littore*, propter vicinas Cumas, Chalcidensium coloniam. V. ad VII, 2. *pila saxea molibus magnis*, alte aggestis caementis constructa, quae in pontum iaciunt. Serv. et Cerda *ponto* accipiunt: adversus mare; quidni: in ponto? Erant autem hae structiones ac molea ex saxis ac caementis pulvere Puteolano solidatis confectae: nisi *ante* est ex πρό vel πρόπρο, procedendo a littore. Eum enim solidescere sub aqua nota res est: v. Vitruv. II, 6. Maronem exscripsit Silius IV, 297 sqq. — 715, 716. Ruina molis facta vicina loca, insulas quoque, contremiscere narrat. *Prochyta* Promontorio Campaniae Miseno obiecta (nunc *Procida*) cum Pithecusa s. Aenaria (nunc *Ischia*), quam *Inarimen* dixit vocabulo ex Homero ducto, etsi perperam interpretato: nam Il. β, 783 est Typhoeus fulmine percussus εἰν Ἀρίμοις. Quaerendi Arimi et τὰ Ἄριμα ὄρη in Asia minore circa Ciliciam; quoniam in eo tractu loca erant terrae motibus et incendiis occultis foedata, quam locorum faciem vetustas ad monstrorum et gigantum molitiones referre solebat. Translata ab uno et altero poëta res est ad insulam Pithecusam, quae et ipsa aliquando subterraneos ignes et ruinas experta est; igitur cum re et ipsum nomen traductum, Inarime. Prochyta *alta* epitheton commune omnium insularum, quatenus mari eminent. *cubile*, ut Pindarus Aetnam στρωμνὰν Pyth. I, 54; Homerus Il. β, 783 τύνας dixit Arimos montes.

717, 718, 719. Homericum phantasma hic amplexus est. Saepe enim deos inducit robur et animos pugnantibus adspirantes aut in fugam vertentes adversam aciem. Sic Iliad. β, 446 sqq. Minervam, ν, 44 Neptunum; et ipsum Martem Il. ε,

Inmisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.
Vndique conveniunt, quoniam data copia pugnae 720
Bellatorque animos deus incidit.
Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit
Et, quo sit fortuna loco, qui casus agat res,
Portam vi multa converso cardine torquet
Obnixus latis humeris, multosque suorum 725
Moenibus exclusos duro in certamine linquit;
Ast alios secum includit recipitque ruentis,
Demens, qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit inrumpentem ultroque incluserit urbi:
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim. 730
Continuo nova lux oculis obfulsit, et arma
Horrendum sonuere; tremunt in vertice cristae
Sanguineae clipeoque micantia fulmina mittunt.

506 sqq.; sed, qui apud Homerum inter deos praeliantes negotiosus deus est, apud Maronem in otiosum allegoricum nomen abit: inprimis cum v. 721 bellatorem deum incidere animis, h. e. alacritatem, novum robur animi, dixisset. — 718. *stimulos* vertit: plus quam adhibet. V. lib. VI, 101. — 719. *atrum* Timorem exemplis illustrant Cerda et Burm. ad Petron. c. 89 pr. Nec vero epitheti vis in eo modo quaerenda, quod omnia tristia et infausta atra sunt: sed pertinet ad phantasma Terroris, ut sit tenebris et nocte involutum. — 720. *conveniunt* Latini ac Rutuli, inventa opportunitate irrumpendi in castra.

722. Pandarus porta occlusa multos suorum excludit: hostes autem, qui iam in castra irruperant, includit; in his Turnum. — 726, 727. Laudatus Statius lib. X Theb. 508 iam a Servio: *Par operi iactura lucro: namque hoste recepto Exclusere suos.* Sed his versibus minus gravitatis inest. Cf. eund. vs. 503 sq. — 728. Νήπιος etc. Il. β, 38 et VI, 590, *Demens, qui nimbos et fulmen simularat*: II, 345. — 730. *pecora inertia*, oves ait Cerda; saltem potissimum.

734—735. Praeclare haec in maius aucta. Scilicet cogitandum est principum virorum ac regum arma praecipuo aliquo laevore ac fulgore splenduisse, cristas fuisse altiores et sic porro. Turno autem intra castra intercepto crescit audacia: nova *lux oculis offulsit*, accessit iis, tum autem nec minus effulsit oculis. Ceterum singula in Homero passim sunt obvia, quae tamen ad imitationem trahi nequeunt. Sic ἐπὶ στήθεσσι δὲ χαλκὸς Σμερδαλέον κονάβιζε Il. φ, 254 et Δεινὸν δ' ἔβραχε χαλκὸς ἐπὶ στήθεσσιν ἄνακτος Il. δ, 410, ut hic *arma horrendum sonuere*, et Il. χ, 133,

Adgnoscunt faciem invisam atque inmania membra
Turbati subito Aeneadae. Tum Pandarus ingens 735
Emicat et mortis fraternae fervidus ira
Effatur: Non haec dotalis regia Amatae;
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides; nulla hinc exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus: 740
Incipe, si qua animo virtus, et consere dextram;
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem.
Dixerat. Ille rudem nodis et cortice crudo
Intorquet summis adnixus viribus hastam.
Excepere aurae volnus; Saturnia Iuno 745
Detorsit venienis, portaeque infigitur hasta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies; nòque enim is teli nec volneris auctor.
Sic ait et sublatum alte consurgit in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem 750
Dividit inpubesque inmani volnere malas.
Fit sonus; ingenti concussa est pondere tellus.
Conlabsos artus atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens, atque illi partibus aequis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit. 755
Diffugiunt versi trepida formidine Troës.
Et, si continuo victorem ea cura subisset
Rumpere claustra manu sociosque inmittere portis,

434, χαλκὸς ἐλάμπετο εἴκελος αὐγῇ ἢ πυρὸς αἰθομένοιο ἢ ἠελίου ἀνιόντος, pro quo h. l. *fulmina*: proprie, fulgura. *Cristas* Turni *rubentes* v. 270 supra vidimus. — 733. *mittunt* sc. se, mittuntur; durum hoc, poëticum tamen. — 737. *dotalis regia*, Laurentum. — 741. Ἀρχε, σὺ γὰρ γενεῇφι νεώτερος Il. φ, 439. — 742, ut illud lib. II, 549: *referes ergo haec Degeneremque Neoptolemum narrare memento*. — 745. *Iuno detorsit*. Praelvii exemplum Apollinis Il. Θ, 311 et Minervae Il. υ, 438 sqq., ubi dea πνοιῇ ἧκα μάλα ψύξασα averlit telum Hectoris ab Achille. — 748. *neque enim is teli nec volneris auctor*, ut tu effugere illud possis; immo vero inferitur telum a viro fortissimo. — 751. Vulnus, quale ap. Apollon. II, 104 et apud Homerum haud uno loco. — 757-759. καί κεν ἔπρη-

Vltimus ille dies bello gentique fuisset;
Sed furor ardentem caedisque insana cupido 760
Egit in adversos.
Principio Phalerim et, succiso poplite, Gygen
Excipit; hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergus: Iuno vires animumque ministrat.
Addit Halym comitem et confixa Phegea parma; 765
Ignaros deinde in muris Martemque cientis,
Alcandrumque Haliumque Noëmonaque Prytanimque.
Lyncea tendentem contra sociosque vocantem
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat; huic uno deiectum comminus ictu 770
Cum galea longe iacuit caput. Inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Vnguere tela manu ferrumque armare veneno;
Et Clytium Aeoliden et amicum Crethea Musis,
Crethea Musarum comitem, cui carmina semper 775

σὺν πυρί etc. Il. Θ, 217 sq. et alia esempla Iliad. σ, 454 et φ, 544. Si meminisset Turnus portam castri Troiani revellere ad suos admittendos, castrum captum fuisset a Rutulis. — 760. At ille occaecata mente ad caedem faciendam ruit.

762. Ordo est, inquit Serv. Excipit (puta, in se irruentem) et succidit poplitem, ut 537, *Postibus haesit adesis* h. e. inhaeret et adedit; item III, 237, *tectosque per herbam Disponunt enses*: h. e. disponunt et tegunt. — 763. *raptas* sc. de caesorum cadaveribus, et 766 *Martem cientes*, pugnam agitantes in muris. Scilicet Phegeum parma transfixa confossum et Alcandrum ceterosque in muris pugnantes *aversos* caedit; at Lynceum *adversum*. — 767. Cum hic versus ad verbum ex Homero conversus sit (Il. ε, 678), ibique iidem homines ab Vlysse ccisi narrentur; Servius inde apparere ait, non ad historiam sed ad ornatum poëmatis haec omnia pertinere. Sed quis tandem inde ornatus exsistit? dicat aliquis. Scilicet ad ἐνάργειαν narrationis et ad animum in rem praesentem perducendum valet, si non solum caesos esse multos dicas, verum etiam nominatim eos persequaris. — 770. Comparant Il. ξ, 497. υ, 481. — 771. αἷμονα θήρης... ἐσθλὸν θηρητῆρα etc. Il. ε, 49. — 772. *felicior*, peritior, ut alibi quoque. — *manu* vacat, sed adiectum, quoniam de peritia agitur. οὐς χρίσθαι, non nisi admodum barbarorum populorum mos, in Iliade vix occurrit, sed in Od. α, 260. — 774-777 suaves versus de Cretheo poëta, ἀοιδῷ s. ἐποποιῷ, quorum praeclara

Et citharae cordi numerosque intendere nervis;
Semper equos atque arma virum pugnasque canebat.
Tandem ductores, audita caede suorum,
Conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus;
Palantisque vident socios hostemque receptum. 780
Et Mnestheus: Quo deinde fugam, quo tenditis? inquit.
Quos alios muros, quae iam ultra moenia habetis?
Vnus homo et vestris, o cives, undique saeptus
Aggeribus tantas strages inpune per urbem
Ediderit? iuvenum primos tot miserit Orco? 785
Non infelicis patriae veterumque deorum
Et magni Aeneae segnes miseretque pudetque?
Talibus adcensi firmantur et agmine denso
Consistunt. Turnus paullatim excedere pugna
Et fluvium petere ac partem, quae cingitur amni. 790
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno
Et glomerare manum: ceu saevum turba leonem
Quum telis premit infensis; at territus ille,

imitatio est in Leonida Gloverii, ubi de Aristandro IV, 213 sqq. (lib. V, 239). — 776. Proprie *intenduntur nervi* seu fides ad numeros, h. e. sonos, pro quibus doctius *numeros* posuit; sunt enim soni numerosi, si arte eliciuntur. Doctius dixit nunc: *intendere numeros nervis*, per nervos intentos. *equos*, ut Homericum ἵππους, currus dixit: non equestres cursus; nam adiicit *arma* et *pugnas*.

778. *Tandem*. Bene Serv.: Servat τὸ πρέπον, ne praesentibus ducibus Turnus tot strages fecisse videatur. Geruntur enim superiora alio castrorum loco. — 781, 782. Aiacem hic reddit ex Il. ο, 732 sqq. ... Ἦ τινάς φαμεν εἶναι ἀοσσητῆρας ὀπίσσω; Ἦ τι τεῖχος ἄρειον etc. *quo tenditis* sc. fugam, ut *tendere iter*, *gressum*, *cursum*. Tum *deinde* est ulterius. — 786. *infelicis patriae* in nova Troiae reditae. *veterum deorum*, Penatium, quos alias *patrios*, a patribus acceptos, appellat; quique nunc urbe capta in hostium manus venturi sunt. — 788. Ornat simplicitatem Homerici versus Iliad. ζ, 406. ρ, 342.

789. Discessus Turni impavidi et animosi in ipsa fuga egregie ornatus est; nec tamen Aiacis illum nobilem discessum (Il. λ, 543 sqq. 555 sqq.) superatum dicam. — 790. A dextra parte si a Laurento venisse Latinos et Rutulos reputes, castra ad Tiberim pertinebant. V. sup. 469 et ad v. 195. — 792. *glomerare manum*, colligi in turmam. Sic IV, 154, *cervi glomerant agmina*, et iam II, 315, *glomerare manum et concurrere in ar-*

Asper, acerba tuens retro redit et neque terga
Ira dare aut virtus patitur, nec tendere contra, 795
Ille quidem hoc cupiens; potis est per tela virosque.
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus
Inproperata refert, et mens exaestuat ira.
Quin etiam bis tum medios invaserat hostes;
Bis confusa fuga per muros agmina vertit. 800
Sed manus e castris propere coit omnis in unum.
Nec contra vires audet Saturnia Iuno
Sufficere; aëriam coelo nam Iuppiter Irim
Demisit germanae haud mollia iussa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum moenibus altis. 805

cem. Comparatio Homerica, sed admodum variata, ex eodem loco Il. λ, 547 sqq. Variavit tamen eam ipse Homerus alio loco egregie Il. ρ, 108-113. — 794. *asper*, *acerba*, *tuens*, δριμὺς δερκόμενος. Vtrumque ad Iram spectat; exasperat ira et exacerbat animum. Sed de terribili adspectu eadem verba iam posuit Lucret. V, 35 de dracone: *asper*, *acerba*, *tuens*, *immani corpore serpens*. — 795 nec ira et virtus patiuntur Turnum dare terga, nec ille, cupiens quidem hoc, potest contra tendere *per tela virosque*, per agmen Troianorum conglobatum.

802. Ergo tacite intelligi vult poëta, Iunonem pugnae huic interfulsse praesentem. Quod saepe monuimus, poëtam deorum interventu minus feliciter uti quam Homerum, qui rerum actum non minus dis quam hominibus assignaverat; hoc quoque loco inculcandum videtur. Iuno enim, si recte iudicamus, nunc inducitur necessitatis magis causa ad expediendam rem, quam rerum ordine ita postulante. Deam enim rebus gerendis interesse nondum vidimus, nisi v. 725, ubi illa avertit ictum hastae a Turno, et v. 764: *Iuno vires animumque ministrat*; hoc vero poterat facere ex alto; et oblitus est poëta interponere eam praesentem pugnantibus, descensu ex Olympo facto, ut Iupiter nunc Irim mittere posset, quae eam recedere iuberet. Tamen vel sic imitatio nimis manifesta est ex Il. Θ, 397 sq. ο, 157 sq et al. et Iris iam libri huius init. mandatis Iunonis ad Turnum perferendis partes a poëta impositas peregerat: quod bis in eodem libro vix putem suaviter factum. — 802. Non audet Iuno vires sufficere Turno contra Troianorum agmen, ut adhuc fecisse est intelligenda v. 764. — *vires sufficere*, suppeditare, praebere, ut ὑποσχεῖν, παρέχειν, ut iam II, 618, *ipse pater Danais animos viresque secundas sufficit*. — 806 sq. Totum locum esse Homericum notarunt omnes. Aiacem ex Il. π, 102 sqq. refert Turnus: et est locus alter cum altero comparandus Sed in verborum ornamentis multa accepit Maro ab Ennio, qui Homericos versus iam ante expresserat. Locum ex Annal. XV adscri-

Ergo nec clipeo iuvenis subsistere, tantum
Nec dextra valet: iniectis sic undique telis
Obruitur. Strepit adsiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, et saxis solida aera fatiscunt;
Discussaeque iubae capiti; nec sufficit umbo 810
Ictibus; ingeminant hastis et Troës et ipse
Fulmineus Mnestheus. Tum toto corpore sudor
Liquitur et piceum (nec respirare potestas)
Flumen agit; fessos quatit acer anhelitus artus.
Tum demum praeceps saltu sese omnibus armis 815
In fluvium dedit. Ille suo cum gurgite flavo
Adcepit venientem ac mollibus extulit undis
Et laetum sociis abluta caede remisit.

psit Macrob. VI. Sat. 3, dignum, qui hic quoque legatur. In bello Istrico versans poëta pugnam Istrorum cum Coelio Tribuno describebat: *Undique conveniunt, velut imber, tela Tribuno. Confligunt parmam; tinnit hastilibus umbo: Aerato sonitu, galeae; sed nec pole quisquam Undique nitendo corpus* (Tribuni) *discerpere ferro. Semper abundanteis hastas frangitque quatitque. Totum sudor habet corpus; multumque laborat; Nec respirandi fit copia praepete ferro. Istri tela manu iacientis sollicitabant. Occumbunt multi leto ferroque lapique, Aut intra moenos aut extra praecipe casu.* Quem talis poëta praecessit, qualem hic Ennium videmus, eum in orationis ornatu poëtico ad summum potuisse pervenire mirandum non est. Iam, cui libet, comparet imitatorem alium, Statium II Theb. in Tydeo insidiis Thebanorum oppresso 517 sq. 602 sq. et ad h. l. 668 sqq.

806. *nec subsistere* potuit, *clipeo*, excipiendo tela, *nec dextra*, pugnans ense, *valet tantum*; adeo obruitur telis. Ita vulgarem interpunctionem nunc corrigendam esse vidi, cum esset editum: *Ergo nec clipeo iuvenis subsistere tantum, nec dextra valet.* — 809. *fatiscunt aera*, cedunt ictibus; galea, nam de hac agitur, agit rimas, rumpitur. Cf. ad Ge. I, 480; itaque cum dilectu adiectum epitheton *solida*. — 813. *Sudor piceum flumen agit*, hoc est, ut Servius interpretatur, sordidum pulvere et cruore. — 815. Vid. ad v. 790. — 816 *suo cum gurgite*: sui ut vacet *cum*, ut saepe, aut ut capiatur ac si esset *in*. Vt Gr. poëtis *ἐν* pro *σύν*. — 817, 818. Scilicet secundo flumine parvo intervallo delatus ad suos pervenire debuit. — *mollibus*, lenibus, ornans epitheton, et simpliciter naturam aquae refert, *τὸ ὑγρόν*. — 818. *abluta caede*: ornamentum ex adiunctis arreptum est; nihil amplius; *caede* h. e. sanguine.

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER DECIMVS.

ARGVMENTVM

Iupiter, convocato Deorum concilio, ad concordiam ipsos adhortatur — 15. Ibi Venus de Troianorum periculo insatiabilique Iunonis odio conqueritur aliquamque tandem tot calamitatum requiem petit — 62. Iuno contra malorum omnium causam in Troianos veluti primos belli auctores atque ideo in Venerem ipsam reiicit — 95. Frustra itaque tentata reconciliatione Iupiter, ubi nullum videt esse contentionum finem, ne aut uxorem aut filiam offenderet, se neutrarum partium studia secuturum pronuntiat; sed pro sua aequitate omnia fatis esse permissurum — 117. Interim Rutuli totis viribus ad oppugnationem redeunt; nec minore animo obsessi se ad defensionem parant — 145. Dum haec in Latio geruntur, Aeneas rebus in Etruria ex animi sententia confectis multorumque sibi populorum auxiliis adiunctis triginta navium classe ad suos revehitur — 214. Ibi Nymphas, paullo ante in eam formam ex navibus suis transformatas, obvias habet: ex his et de classis amissione et de suorum periculo certior redditur — 255. Inde in hostium usque conspectum profectus copias suas in littus exponit. Rutuli oppugnatione desistunt occurrentesque ad littus terra hostem prohibere conantur. Magna utrimque strage pugnatur — 364. Ibi Pallas, multis prius ex hostium acie caesis, tandem a Turno occiditur — 509. Cuius rei dolore percitus Aeneas magnos Rutulorum acervos amico inferias mittit — 601. Ascanius quoque eruptione facta suas cum patre copias coniungit — 606. Quibus rebus permota Iuno et pro Turno sollicita, impetrata a Iove venia, praesenti eum periculo eripit, obiecta illi falsa Aeneae imagine, quam dum in navim quandam fugientem insequitur, vinculis a Iunone ruptis vi tempestatis ad littora Ar-

deae proxima devehitur — 688. Interim Mezentius Iovis monitu pugnae succedens magnum tam Troianorum quam Etruscorum numerum prosternit — 761, donec ab Aenea hastae ictu vulneratus et a Lauso filio protectus aegre se ad obligandum vulnus ex acie recipit — 795. Ibi Lausus quoque, dum patrem ulcisci conatur, ab Aenea interficitur — 832: eius rei nuntio accepto, Mezentius conscenso equo in praelium redit; ubi, dum filii mortem vindicare parat, eadem qua filius dextra concidit — ad f.

In hoc tandem libro Aeneas ad pugnam procedit: quod multis nimis sero factum visum est, quoniam ex sua opinione, non ex argumenti et materiae natura iudicium faciebant. Aliis displicuisse video, quod Aeneas militis magis quam ducis partes explet, dum veterem heroum pugnandi morem parum meminere nec illud reputant, quam parum materiae narrationi epicae praebitura sit ducis sagacitas et prudentia, qualem nostri aevi res militaris postulat. Si phantasmatibus magnis rebusque, quae sensus impellant, epica vis continetur: strenua facinora, animi audacia, manus fortitudo ac robur requiruntur. Mihi quidem in sqq. libris haud pauca ex iis, quae in reprehensionem incurrere videntur, ingenii admirationem facere solent: quandoquidem argumentum belli ac praeliorum et quidem eiusdem vitae heroicae, licet incredibili cum varietate ac copia ab Homero tractatum, Maro tamen per tres libros variatis rerum generibus et novitatis commendatione detexuit. Artem et ingenium aliquis tum demum rite perspiciat, quum argumenti naturam paullo curiosius animo versaverit, quaeque ipse aliter vel melius in eo tractando constitui posse putet, expenderit. Inter ea, quae ingeniose et callide inventa sunt, primo loco eminet praeliorum narrationis varietas per diversa genera: habemus hoc libro navium appulsum, descensum in littus et pedestrem pugnam, in lib. XI equestrem, in XII pugnam tumultuariam, tum certamen singulare. Porro, ne taedium faceret continuata praeliorum narratio interposita sunt plura, ut de pace consilia: tum orationes magno cum acumine factae, nimia interdum cum arte et rhetorica subtilitate. Inter illas artes et inventa poëtae referendum et hoc est, quod hoc libro Arcades, libro XI Etrusci et XII Troiani maxime virtutis suae specimina edunt; quae et ipsa res ad varietatem facit. In ipsa autem pugnarum commemoratione Maro difficultatibus implicitum se sentire debuit non paucis nec levibus; in primis quod, quoquo se verteret, in ea semper incidebat, quae ab Homero iam erant tractata, haec igitur ut variaret, mutaret, alia ratione nec minus commode tractaret, perpetuo poëtae fuit allaborandum. Facit autem taedium serius ocyus omnis imitatio, quae cum studio ac contentione variandi ea, quae iam ab alio *proprie* exposita erant, coniuncta est. Atque hoc illud est, quod reprehensioni poëtae interdum locum facere potest: etsi causa rei parum animadversa est ab iis, qui, quod reprehendendum esset, videbant; qua de causa reprehensionem haberet, minus pervidebant. Nec tamen, inprimis cum eius lectione animum imbutum haberet, in diversa

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumque vocat divom pater atque hominum rex

ab Homero abire aut aliam viam sibi patefacere aut aliter res tradere poterat, nisi a veritate naturae recedere vellet. Quod igitur ab homine sollerti et prudenti fieri potuit, id fecit poëta, ut ex argumenti natura pugnas persequeretur et locorum et hominum naturae convenienter nec tamen sine respectu popularium, quibus placere carmen volebat, varios praeliorum casus esponeret; utque, quoties in ea incideret, quae ab Homero ea cum copia essent tradita, ut deterrerent omnes, qui eadem aggredi vellent, ea omitteret aut breviter attingeret; sin talia essent, ut, quo ipse Maeonium poëtam superabat, ornatum admitterent, ea et situ et adiunctis et aliis rebus variata ornaret et amplificaret aut cultu, elegantia ac suavitate phantasmatum et verborum expoliret. Haec quidem animo tenere debet is, qui de his libris iudicium facere sibi sumit. Vt vero aliquis cum Guyeto tres postremos libros Virgilio abiudicet, graviores, quam quas is in promtu habuit, afferre debet causas.

1. Dum haec geruntur, dii ad concilium habendum convocantur. Est poëtis iam inde ab Homero Olympus accommodatus ad formam aedium priscae vitae (cf. ad Ge. III, 261): sunt portae, ingens atrium, in quo negotia vitae et conventus adeuntium aguntur; ab utraque parte seu atrii seu, quod cum Homericis magis convenit, τοῦ δώματος, domus, intra τὸ ἕρκος τῆς αὐλῆς, exstructi sunt thalami seu minora cubicula, aediculae verius, singulis qui domum inhabitant parata sunt. Conf. de Priami regia Il. ζ, 242 sqq. Eodem modo in Olympo ab utraque parte duodecim maiorum deorum suot seu cubicula seu parvae aedes; in media autem domus parte, quam μέγαρον, δῶμα, δόμον appellare solet Homerus, conventus ac consessus deorum fit sive ad deliberandum de rebus communibus sive ad epulandum. Eandem fere rerum speciem Virgilius animis exhibet, nisi quod de cubiculis silet. Potuit autem hoc tanto magis sequi, quando Homerus multis in locis faciem ac situm Olympi variavit. Ita Iovis sedes aliqua in parte Olympi altiore vel interiore memoratur; ceterorum deorum domus in aliis Olympi iugis sitae sunt, unde ad Iovis aedes confluunt. Cf. Il. υ, 4 sqq. Cum ad conventum admittendi sunt dii, *panditur domus*, atrium, δῶμα. Ita hoc simpliciter accipiendum nec cum Servio et inde cum aliis Intpp. de die orto cogitandum. Etsi enim verum est noctu coelum claudi, mane aperiri dici, tamen huc ea res trahi nequit: neque rerum ordo admittit, ut nunc de matutino tempore cogitemus; inclinatur enim nunc dies, quo pugnatum erat (IX, 459 sqq.), ad vesperam; comparet modo aliquis inf. 146, 147, 215, 216. Concilia autem deorum similia apud Homerum occurrunt plura, quae ante oculos Maroni fuisse probabile fit; in primis Iliad. δ, 1-4; sed ibi inter deliberandum potant dii, ex priscorum hominum more, Il. θ, 2 et 51. υ, 4 sqq. — *omnipotentis Olympi*: quod iterum XII, 791. Melior ratio nulla suppetit,

Sideream in sedem: terras unde arduus omnes
Castraque Dardanidum adspectat, populosque Latinos.
Considunt tectis bipatentibus. Incipit ipse: 5
Coelicolae magni, quianam sententia vobis
Versa retro tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.
Quae contra vetitum discordia? quis metus aut hos
Aut hos arma sequi ferrumque lacessere suasit? 10

quam ut statuatur epitheton a diis, qui in Olympo habitant, translatum esse ad ipsum Olympum: antiquiore forsan auctoritate. — 3. εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα Homericum. Ad reliqua conf. Il. 9, 51, 52. — 5. *tectis bipatentibus*. Si *tectum bipatens* audias seu domum bipatentem, non aliter accipias quam ut sit, quod *ab antica et a postica parte aditum habet*, ut ναοὶ ἀμφιπρόστυλοι. Itaque bene ad ortum et occasum refertur apud Servium. Pergit idem bene; est autem sermo Ennianus. Alii fores binis valvis apertas intelligunt; nec male. Ad vs. 6 idem Servius: « *quianam*, cur, quare: sermo Ennianus, *quianam legiones caedimus ferro?* » cf. V, 13: *Heu quianam* etc.

6. Oratio Iovis maiestatis plena, ipsa brevitate et antiquae orationis studio. Hortatur deos, contentiones inter se pro Troianis et Latinis deponant. Sic *versa retro* pro mutata. — *iniquis* pro infestis. — 8 sqq. Nusquam, si bene meminimus, poëta commemoravit in superioribus Iovem interdixisse, ne dii bellum inter Troianos et Latinos foverent. Nec praeter Venerem et Iunonem alii dii eam rem curasse videntur: quin potius Iovis verba parum caute praemissa videri possunt lib. I, 263, *Bellum ingens geret Italia* etc. Nec Servius ad h. l. rem expedit. Refero hunc et fere omnia loca, in quibus deorum interventus exponitur, inter ea, quae Aeneidem nondum absolutam arguunt. Voluit, puto, haec praestruere, ut debebat, in superioribus et deorum consilia omnino attemperare paullo diligentius rebus in Latio gestis; sed mors incidit conatus. Interea possunt haec et alia videri ex eo genere, quae tacite a poëta tamquam facta poni potuerunt; ideoque res hoc modo procedunt: Iuno nimis cupide faverat Turno, ut etiam Iupiter consultum duceret avocare eam a pugna IX, 802 sqq. Eadem Iunonis impotentia motus Iupiter concilium deorum indicit, ut deorum studia, Iunonis in primis, reprimat. — 10. Quis metus, cuiusnam mali aut periculi depellendi adduxit, ut utraque pars bellum moveret? Docta oratio. Metuunt altera pars, ne Troiani in Latio considant et imperii futuri fundamenta iaciant; alii, ne iidem bello succumbant. *Ferrum lacessere* poëtae idem est, quod alias movere, Lucretii IV, 1033 exemplo: *Namque alias aliud res commovet atque lacessit*. Sic noster dixit *lacessere pugnas* (V, 429), *bella* (XI, 254), et alii *lacessere mare*, *arva* etc.: unde tandem poëtis simpliciter est incedere, accedere; ut in illo Horatii: *Quicumque Bithyna la-*

Adveniet iustum pugnae, ne arcessite! tempus,
Quum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes inmittit apertas:
Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.
Nunc sinite et placitum laeti conponite foedus. 15
Iuppiter haec paucis; at non Venus aurea contra
Pauca refert:
O Pater, o hominum divomque aeterna potestas!
Namque aliud quid sit, quod iam inplorare queamus?
Cernis ut insultent Rutuli, Turnusque feratur 20

cessit Carpathium pelagus carina, navigat per mare, quia remis movet; ideoque ad eundem paene morem ad ea deflectitur, quae omnino geruntur, fiunt: itidemque Lucretii exemplo, v. c. IV, 348: *simulacra ... Quae sita sunt in luce lacessuntque, ut videamus*. Erat antiqua vox, *lacere*, movere, unde est *allicere, illicere*. Latet ubique notio τοῦ impellere, ut toties Lucretius *visum, aures, lacessere*, uti etiam *movere visum, aures* eodem sensu dictum occurrit. Duxerat hinc Virgilius, quod supra VII, 526 vidimus: *Aera sole lacessita*, et XII, 85: *manibusque lacessunt Pectora plausa cavis*.

14 sqq. Egregie instructa oratio! *Alpes immittit apertas*, magnifice: quandoquidem Alpibus patefactis Annibal ingressus est Italiam. *exitium* et *Alpes apertas* iunxit. Haec enim omnis calamitatis et tot cladium acceptarum causa et origo fuit, quod Alpes perviae erant factae. Ad vulgarem morem oratio est haec: Carthago Romae immisit exercitum, qui per Alpes transiit cum exitio Romanorum. Potuit, tamquam poëta, ipsum transitum, et doctius, ipsas Alpes transitas commemorare. Petita sunt ex his fortasse iam ex Ennio traductis Punica Silii Italici. — 14. *res rapuisse*. Servio assentior hactenus, ut ex formula antiqua petitum hoc, utque hostilem omnino vim hoc modo a poëta declaratam dicam per rapinas, quae in bello fiunt. *Res repetere* longe aliud est quam *res rapere*. Scilicet res raptae repetuntur ac redduntur. Nec tamen satis accommodatum hoc ad h. l. *Res rapere* videtur esse raptim, turbate agere, praecipitare; quod nunc dii facere videri possunt. — Porro *placitum foedus*. Placita sunt omnia pacta, in quae consensere plures, h. e. quod iis placuit. Mox *Venus aurea* saepe occurrit: Χρυσῆ Ἀφροδίτη ex Homero: exponitur vulgo pulcra. Sed est ex antiquissima religione auro ornata. Cf. Hymn. in Ven. 7 sqq.

16 sqq. Artificii plena oratio Veneris; ut faciat miserationem pro Troianis et indignationem adversus Iunonem. Enumerat mala Troianis illata machinatione Iunonis, incolumitatem saltem iis flagitat et, si non reliquis, saltem Ascanio. — 18. *potestas* est pro potens: abstractum pro concreto. — 19. *Namque*. Solus enim tu restas, quem implorare possim: cum fere omnes dii in favorem Iu-

Per medios insignis equis tumidusque secundo
Marte ruat? Non clausa tegunt iam moenia Teucros.
Quin intra portas atque ipsis proelia miscent
Aggeribus moerorum, et inundant sanguine fossae.
Aeneas ignarus abest. Numquamne levari 25
Obsidione sines? Muris iterum inminet hostis
Nascentis Troiae; nec non exercitus alter
Atque iterum in Teucros Aetolis surgit ab Arpis
Tydides. Equidem credo, mea volnera restant;
Et tua progenies mortalia demoror arma! 30
Si sine pace tua atque invito numine Troes
Italiam petiere; luant peccata; neque illos
Iuveris auxilio: sin tot responsa secuti,
Quae Superi Manesque dabant, cur nunc tua quisquam
Vertere iussa potest? aut cur nova condere fata? 35
Quid repetam exustas Erycino in littore classis?
Quid tempestatum regem ventosque furentis
Aeolia excitos? aut actam nubibus Irim?

nonis concesserint: ut Servii fere verbis utar. — 24. *equis*, i. e. curru, ut ἵπποι pro ἅρμα apud Homerum. — 24. *aggeribus moerorum* ex Ennio aut alio vetere poëta ductum videtur, qui antiquo more *moeros* pro muris dixit: ut pomoeria. — 25. *numquamne*, an ubique ea ipsa fortuna manet, ut obsidione se pressos videant? — 28. Nec non alter exercitus et Diomedes insurgit, venit, in Troianos. Aetolis *ab Arpis* (urbe Dauniae, cuius ruinae hodieque *Arpe* vocantur), quos Aetoli sub Diomede insederunt; ad Diomedem autem belli societate iungendum missi erant legati a Latinis. Cf. VIII, 9 et lib. XI, 225 sqq. — 29. Supersunt adhuc cicatrices vulneris a Diomede accepti. V. Il. e, 334 sqq. Videtur hic locus lectus esse Ovidio Met. XV, 768 sqq. 30. *demoror*, ego, dea, iterumne sustinebo ac depellam Diomedis impetum hostilem, et verendum mihi erit, ne a mortali iterum vulnerer! Scilicet *morata*, *demorata* erat Venus Diomedem, cum in Aeneam iam vulneratum ille irruerel eumque iugulaturus esset: haec sunt *mortalia arma*. — 33. *tot responsa* sc. deorum, ut IX, 134. Cf. P. I, p. 277 sqq. *Manes* Hectoris lib. II, 294, 295; Creusae II, 780, 781; Anchisae V, 720 sq.: nisi descensum ad inferos respexerit.

36. Facit invidiam Iunoni commemorandis eius in Troianos machinationibus: primum incensae in Siciliae littore classis lib. V, 606 sqq.: porro v. 37 in Aeolis insula quod adiit Aeolum lib. I, 50 sq. et v 38. *Irim* ad Turnum missam lib. IX pr. Si tamen sqq. compares, ad superiora tem-

Nunc etiam Manis (haec intentata manebat
Sors rerum) movet et superis inmissa repente 40
Allecto medias Italum bacchata per urbis.
Nil super imperio moveor: speravimus ista,
Dum fortuna fuit: vincant, quos vincere mavis!
Si nulla et regio, Teucris quam det tua coniunx
Dura; per eversae, genitor, fumantia Troiae 45
Excidia obtestor: liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.
Aeneas sane ignotis iactetur in undis
Et, quamcumque viam dederit Fortuna, sequatur:
Hunc tegere et dirae valeam subducere pugnae. 50
Est Amathus, est celsa mihi Paphus atque Cythera
Idaliaeque domus: positis inglorius armis

pora referendum erit etiam hoc: ut iterum animum revocet (ita convertit orationem affectus animi concitati) ad classis incendium et Irim ad Troianas mulieres missam lib. V, 606. De *Eryce* (hodie Monte di S. Giuliano) cum templo Veneris et urbe in Sicilia, cuius ruinae exstant. Cf. Munteri Nachrichten von Sicilien etc. p. 231 sq. — 39. *Nunc etiam*: ex quo Troiani tandem ad Italiam appulerunt. Antea *mare terrasque metui coelumque* fatigabat Iuno lib. I, 280. Nunc etiam Orcum, qui restabat, adit (*Iuno* non nominatur, sed intelligitur ex *quisquam* v. 31.) ad Alecto excitandam. Vid. VII, 323 sqq. Sed et Iunonem ipsam audivimus: *Absumptae*, inquit, *in Teucros vires coelique marisque*... *Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo*, VII, 301-312. — 40. *sors rerum* pro vulgari: pars, portio: loca infera — 41. *bacchata per urbes*, vagata. Vide VII, 312 sq. Aliud est, quod Lavinia cum matronis bacchatur ibidem 376 sqq. — 42. *super imperio*: a Iove promisso. Vid. I, 257 sqq. et Disquis. II. § VI, VII. — *Si nulla*, ut I, 233: quibus ... *Cinctus ob Italiam terrarum clauditur orbis*. — 47. *Ascanium*... scil. *cui regnum Italiae Romanaque tellus debentur* lib. IV, 275 et a quo gens Iulia oriunda. — 48. *in undis*. Erat nunc in eo, ut rediret ex Etruria Tiberi devectus. Hoc tamen respici non puto. Sed sede in Italia negata iterum conscendenda fuisset Aeneae navis et errandum per ignotum mare. *sane* pro: est nunc et iactetur. In v. 49 comparant intpp. versus de Sarpedone Il. η, 436, 437. — 50. Ascanium saltem liceat subducere, ὑπάγειν, ὑπεκφέρειν; Il. X, 183. ε, 348.

51, 52. Repete supra dicta ad lib. I, 680 et 681. — *domus Idaliae*, seu ut sint *Idaliae domus*, seu ut sit *domus Idaliae* terrae; ut *Idaliae lucos* dixerat I, 693; est ipsa Idalia terra seu regio, sicut *Amathus* et *Paphus* urbes notae (cf. Theocr. XV, 100 sqq.) in Cypro Veneri sacrae. *domus* pro ha-

Exigat hic aevum. Magna ditione iubeto
Carthago premat Ausoniam: nihil urbibus inde
Obstabit Tyriis. Quid pestem evadere belli 55
Iuvit et Argolicos medium fugisse per ignis
Totque maris vastaeque exhausta pericula terrae,
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quaerunt?
Non satius cineres patriae insedisse supremos
Atque solum, quo Troia fuit? Xanthum et Simoënta 60
Redde, oro, miseris; iterumque revolvere casus
Da, pater, Iliacos Teucris. Tum regia Iuno
Acta furore gravi: Quid me alta silentia cogis
Rumpere et obductum verbis volgare dolorem?
Aenean hominum quisquam divomque subegit 65

bitatione, sede. Dicuntur autem dii amare terras eas, frequentare et inhabitare, quae ipsis sacratae et in quibus templa eorum sunt. — 53, 54. Respicit Iovis verba paullo ante v. 12. Cf. Aen. I, 19 sqq. Verba ad invidiam gravia: *magna ditione*, potenti et duro imperio; et *premat* pro teneat. — 54. *inde*, ab Ascanio et eius posteris nulla fiet mora coloniae Tyriae, quo minus Italiae imperium nanciscatur. — 55. Tamen quid profuit Troianis etc. *pestem* simpl. ὄλεθρον perniciem (57. *exhausta*. Cf. IV, 14. not. *R.*) — 58. *recidiva Pergama*, renascentia, restituta, cf. IV, 344. VII, 322. Tota conclusio orationis, qua expostulat Venus, egregia est vi ac nervo, quo argumentum per se grave potenter vibrat. Quid profuit nunc Troianis excisa urbe effugisse, si nunc fortuna similis eos cepit, ut nova urbe capta iterum exscindantur! Quam παθητικῶς *cineres patriae* memorat! — *solum, quo Troia fuit*: ut lib. III, 11. Illa vero sublimiter: redda nobis Troiam antiquam! Praestabat sic in Troade, in urbis solo aequatae ruinis remansisse et iterum easdem aerumnas tolerasse. Erat enim metuendum ibi, ne denuo Achivi incursarent Troadem et easdem iniurias inferrent, quas Troes erant experti. Frangunt intpp post Servium vim totius loci. Similis color orationis erat II, 669. *Reddite me Danais.*

63 sqq. In oratione hac funonis, quia Veneris accusationem dea diluit, quasi suis machinationibus calamitates hae inductae sint Troianis, et criminationes in Troianos et Aeneam retorquet, qui prior Italiam bello lacessivit, nescio an poëta paullo nimis ῥητορικῶς versetur. Omnino ea similis est ῥήσεσιν illis, quae passim in Tragicis occurrunt ad eloquentiae contentionis speciem elaboratae. Ceterum summa sententiae redit ad notum illud: *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes!* atqui Gracchi sunt fere omnes, qui iniuriam aliis intulere; iniuriam sibi fieri statuunt ab iis, qui de eorum iniuriis conqueruntur. — 63, 64 accipio secundum illa

Bella sequi aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam fatis petiit auctoribus, esto,
Cassandrae impulsus furiis: num linquere castra
Hortati sumus aut vitam conmittere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros? 70
Tyrrhenamve fidem aut gentis agitare quietas?
Quis deus in fraudem, quae dura potentia nostri
Egit? Vbi hic Iuno demissave nubibus Iris?
Indignum est Italos Troiam circumdare flammis
Nascentem et patria Turnum consistere terra, 75
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.
Quid? face Troianos atra vim ferre Latinis?
Arva aliena iugo premere atque avertere praedas?

lib. I, 25 seq.: *Nec dum etiam causae* etc. — 67. *Fata* maligne interpretatur Iuno *Cassandrae furias* h. e. vaticinia, quae ideo primo omnium loco Aeneam ad iter suscipiendum adegerunt: cf. lib. III, 183 sqq. et P. I, p. 277 sq. — 69. *ventis* ἐπιπρεπῶς da navigatione in Tiberi, qua Evandrum et inde Etruscos petit Aeneas. — 71. *agitare* ad utrumque diverso paullum sensu retulit: *gentes agitare quietas*, excitas ad belli societatem impellere, *Tyrrhenam fidem agitare*, movere, sollicitare, societatem et foedus ciere, expetere; pro vulgari: permovere Tyrrhenos, ut auxilii ferendi causa societatem ineant. — *fides* est societas fide interposita facta. V. ad IX, 79. — In 72 respicit v. 44, 38: *quis deus egit* et si quis deus, an ego egi? *in fraudem*: est malum, ἄτη, ut toties; periculum Servius interpretatur. *quia deus* = *quae potentia nostri*: quod numen meum: fere ut I, 8, *quo numine laeso*.

74. Comparatio ad invidiam instituta. *Indignum est*... *Quid*, pro: Si Indignum est: an tolerabilius est: an tolerabilis est? *Troiam* novam, castra. — 76. *Pilumnus* inter heroes seu deos Latii indigetes fuit, nunc inter Turni maiores habitus. Conf. IX, 4: X, 619. — *Venilia* ex deabus marinis seu nymphis fuit, data a poëta, aliorum fortasse exemplo, Dauno in matrimonium, orta a Pilumno, soror Amatae Latino nuptae. Cf. VII, 366. Poëta quippe declarat Turnum esse in Italia natum et *defendere terram suam* adversus advenas (lene verbum, *consistere*, delegit): contra Troianos advenas bellum intulisse Latinis. 77. *Quid*, an minus indignum est? *atra face*: in hoc et sqq. exaggerat notionem belli per Troianos moti, dum ea cumulat, quae in bello fieri solent, etsi a Troianis ea facta esse nondum constat. *face* itaque proprie; male Serv. explicat *saevo bello*, nec bene Burm. remittit ad lib. VII, 456, ubi Alecto *facem* immittit Turni pectori. Non magis praedas egerant Troiani, quam incendia per agros sparserant: sed

Quid? soceros legere et gremiis abducere pactas?
Pacem orare manu, praefigere puppibus arma? 80
Tu potes Aenean manibus subducere Graium
Proque viro nebulam et ventos obtendere inanes,
Et potes in totidem classem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra iuvisse nefandum est?
Aeneas ignarus abest: ignarus et absit. 85
Est Paphus Idaliumque tibi, sunt alta Cythera:
Quid gravidam bellis urbem et corda aspera tentas?
Nosne tibi fluxas Phrygiae res vertere fundo
Conamur? nos? an, miseros qui Troas Achivis
Obiecit? quae caussa fuit consurgere in arma 90

ad invidiam faciendam ea omnia commemorat, quae fieri belli more poterant. — 79. *legere*, eligere, sumere. Perperam cum Servio alii: furari, sublegere exponunt. *gremiis* soccerorum ideoque parentum. *pactas* aliis sc. Laviniam. Decet enallage iram et habet vim. — 80. Non eadem sed diversa est sententia. Ad minas a Troianis factas, obtinere se posse vi, quod precibus non concedatur, spectat alterum; *praefigere puppibus arma*, igitur ad invidiam deflectit id, quod supra narratum VIII, 92 in simili Aeneae Tiberi adverso navigatione: *Miratur uemus insuetum fulgentia longe Scuta virum.*

81. *Tu potes*: ad Aeneam Diomedis manibus ereptum Il. ε, 315 sqq. spectat; alterum v. 82 Veneri imputatur, quod a Neptuno in eius gratiam factum Il. υ, 321 sqq. de vers. 83 conf. lib. V, 809. — 82. *proque eo*, nbiicere Achilli — *ventos inanes*, auram, ἠέρα. — 83. Etiam hoc per aliam deam factum erat, sed in Veneris gratiam: IX, 82: *Ipsa deum fertur genetrix* etc. — 89. Si, quod ipsa dixisti, tibi est Paphos, quo eum abducere possis incolumem: — quid *urbem* Latini, ideoque ipsum Latium, bello illato sollicitas? gentem bellicosam, *gravidam bellis* sq. quae illa gerit; multa bella gerentem: sic *gravidam imperiis* Italiam dixerat IV, 229; in qua magnum futurum erat imperium. *Idalium*. Cf. vers. 51 et I, 681. not.

88. Insurgit oratio et acerbe in ipsam Venerem invehitur: non se, sed ipsam Venerem, malorum, quae Troianis sunt, esse causam, Paridis adulterio: sic *manet alta mente repostum Iudicium Paridis spretaeque iniuria formae.* — *vertere fundo* pro vulgari. funditus evertere. — *res fluxas* seu per se infirmas Troianorum in Latio res designat, seu, quod tamen eodem redit, ornans est epithetum: nam, quod evertitur, omne infirmatum et labefactatum esse necesse est. — 89. *an is qui* absolute dictum: sed interpretandum de Venere, quae belli Troiani auctor fuit Helena rapta; mox statim redit ad proprium:

Europamque Asiamque et foedera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi fovive Cupidine bella?
Tum decuit metuisse tuis; nunc sera querelis
Haud iustis adsurgis et inrita iurgia iactas. 95
Talibus orabat Iuno, cunctique fremebant
Coelicolae adsensu vario: ceu flamina prima
Quum depressa fremunt silvis et caeca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum Pater omnipotens, rerum cui summa potestas, 100
Infit. Eo dicente deum domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus; silet arduus aether;

in illa, *quae causa fuit* etc. — 91. *foedera solvere furto*: ut solveretur, dirimeretur pas, pacatus status inter Troianos et Graecos abducta furtim Helena: *furtum* pro raptu. *foedera* de hospitio accipit Iul. Sab., sed obstant illa: *consurgere in arma Europamque Asiamque*. — 92. Comminiscitur obsessam a Paride Spartam Servius: perperam; gravi et odiosa voce usa est dea *expugnavit* ad vim et atrocitatem raptus declarandam: quasi hoc idem esset habendum, ac si bellum intulisset. *tela* amoris. — 94. Idem color orationis: *Tum decuit, quum sceptra dabas*, IV, 596, 597:

97—117. In hoc animorum aestu Iupiter tandem decernit et profitetur se fatali rerum ordini omnia permissurum esse. Alio, quam in Iliade, modo haec sunt constituta. In illa, Θ, pr. a praeliis et auxiliis alterutri exercitui ferendis abstinere se iubet Iupiter deos; qui tamen mox, fraude Iunonis circumvento Iove, praeliis iterum ipsi intersunt. Meliore quoque ordine et eventu studia et discordiae deorum in Aeneide procedunt ac finem habent, quam in Il. φ pugna ioter ipsos deos facta nullo ad ipsam actionem usu et fructu. Ad comparationem hanc cf. Ge. I, 356—359 et Ecl. V, 82: at exornationem comparationis Miltonus dabit *Parad. Lost.* II, v. 284 sqq. — *deprensa*, intercepta, impedita, inclusa; proprie ex insperato; ut de navibus Ge. IV, 421 et de Caco VIII Aen. 247-249. tum simpliciter, ut h. l., oppressus, inclusus. *caeca* i. e. obscura. — 100. *rerum cui summa potestas*, οὗ κράτος ἐστὶ μέγιστον Il. β, 118. Odyss. ε, 4. Splendidos hos versus pro se quisque facile mirabitur. Primas sed obscuras lineas in Ennianis versibus ex Scipione servavit Macrob. VI Sat. 2: *Mundus caeli vastus constitit silentio, Et Neptunus saevus undis asperis pausam dedit, Sol equis iter repressit ungulis volantibus, Constitere amnes perennes, arbores vento vacant.* Adde Cat. Epith. 204 sq. *tremefacta solo tellus*. Adiectum *solo* spectat ad poëticum ornatum; ut *solum terrae, solum telluris*, iungi solet; quoniam *solum*, οὖδας, per se notionem habet fundamenti, quod subiectum est: sic quoque *tellus* contremiscere dici potuit

Tum Zephyri posuere; premit placida aequora pontus.
« Adcipite ergo animis atque haec mea figite dicta :
Quandoquidem Ausonios coniungi foedere Teucris 105
Haud licitum, nec vestra capit discordia finem;
Quae cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem,
Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo;
Seu fatis Italum castra obsidione tenentur,
Sive errore malo Troiae montisque sinistris. 110

solo, simpliciter, nulle alia notione adiuncta; saltem, intra se. Sicque fere mox, cum *aequora ponti* iunctim efferuntur, poëta dixit: *pontus premit aequora*, h. e. pontus premit, comprimit se, quiescit. *Solum* pro *usque ad solidum* accipere sermonis rationi repugnat. *placida*, ut placide fiant. — 103. *Zephyri posuere* se, quievere, ennf. VII, 27. — 104. a Totus hic locus de primo Lucilii translatus est libro, ubi inducuntur dii habere concilium et egere primo de interitu Lupi... postea sententias dicere. » *Ser.* Cf. fragmenta Lucilii p. 260, 261. — 105. *Ausonios*, Ausones, cf. ad XI, 253. — 107-113. Sequitur Iovis decretum: Quam utraque pars fortunem hodie experietur, quam spem magnarum rerum praedictarum et exspectatarum alterutri sibi praecident (qua spe excident), seu Troiani seu Rutuli, iuxta et eodem loco habebo: sive (quod Venus putat) fatis suis iniquis, sive (quod Iuno v. 68) stultitia Troianorum et vaticiniis falsis eo res adducta est, ut nova Troia nunc oppugnetur. Nec Rutulos libero, quo minus fortunam sibi debitam consequantur. Experiatur quisque seu tristia seu laeta pro hodiernis rerum initiis et actu. Ego neutris studebo: eveniet, quae fata ferent. Haec, arbitror, sententia verbis subiecta est. — 107, 108. *quam quisque, Tros Rutulusve fuerit, spem secat.* De voc. *secat* pronuntiare non adeo facile est. Servius exponit: sequitur, tenet, habet: ut VI, 900, *Ille viam secat ad naves.* Sed *viam secare* longe aliud est. Si poëta archaismum sectatus *secit* scripsisset, posset esse antiqua vox *seco, secere*, pro *sequo, ere*, unde *sequor* mansit. Turnebus exposuerat *sumit*: nam, qui aliquid secat, sibi partem sumit (sic nos voce *theilen* utimur. *R.*) Scaliger et Cerda, *aperit sibi spem factis*, ut, qui viam secat, aperit. Sed hoc durum et longe petitum est. *Spem incidere* et ex Horatio Od. I, 11, 7, *spem longam resecare* (quod tamen paululum diversum est, demto enim hoc fit, quod nimium est) rationem certam loquendi satis produnt, quae quidem ita fert: ut simili modo ἀναλόγως, quod poëtae facere licet, *spem secare* sit: incidere, intercipere, tollere spem. Sic vota, *gaudia* scindi dicuntur. In hoc saltem analogiam video, quam sequar, necdum vidi meliora. Respiciunt autem haec ad spem Veneris de futuro Iulii regno in Italia, quam incidi, h. e. intercidere necesse erat, si castra a Turno expugnabantur. Cf. 42, 50.

109, 110. Iungo *castra tenentur obsidione Italorum*: seu *fatis*, quod fata iniqua, ut Venus interpretabatur, pro-

Nec Rutulos solvo. Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. Rex Iuppiter omnibus idem.
Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentis atraque voragine ripas
Adnuit et totum nutu tremefecit Olympum.» 115
His finis fandi. Solio tum Iuppiter aureo
Surgit, coelicolae medium quem ad limina ducunt.
Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere caede viros et moenia cingere flammis.
At legio Aeneadum vallis obsessa tenetur; 120
Nec spes ulla fugae. Miseri stant turribus altis
Nequidquam et rara muros cinxere corona,
Asius Imbrasides Hicetaoniusque Thymoetes
Assaracique duo et senior cum Castore Thymbris,
Prima acies. Hos germani Sarpedonis ambo, 125
Et Clarus et Themon, Lycia comitantur ab alta.
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnessius Acmon,

sequuntur Troianos etiam in medium Latium, *sive errore malo Troiae* (h. e. Troianorum stultitia, malignitate, qui oracula accepta male interpretati sunt) *monitisque sinistris*, oraculis et vaticiniis falsis, *furiis Cassandrae*. Vide vss. 67, 68. — 111. *Nec Rutulos solvo*, obscurum est per brevitatem affectus. Videtur supplendum esse ex iis, quae proxima sunt: non solvo, exsolvo, eximo, Rutulos *labore et fortuna*, quae eos manet. *nec*, non magis Rutulos quam Troianos. Interpretes secundum Servium *solvo* pro absolvo accipiunt: parum commode arbitror. — 113. Nihil obstabit fatis, fatali rerum ordini: pro, ego non obsistam. Cf. IX, 104-6. — 114. Docte dixit *ripas* (pro ipso amni) *torrentes pice et voragine atra*, h. e. alta aqua nigra defluens flumen. — 115. Notum Iliad α, 529 sq. — 117. *medium*. Hic Romanum agnosce: tamquam magistratum Consulem, deducunt Iovem dii.

118—145. Interea castra oppugnata aegre defendunt Troiani. — 119. Comparant verba Iliad. μ, 35, 36 et *moenia cingere flammis*, immittere undique ignes. Aliter dictum ac IX, 160, ubi de vigiliis. — 125. *Stant. . . . prima acies* pro vulg. stant in prima acie. — 126. *Lycia ab alta*, nobili, clara, oriundi. — 128. Modestius hoc visum Maecenati, tumidius, quod Homerus dixit Odyss. ι, 481, Polyphemum in naves κορυφὴν ὄρεος μεγάλοιο iaculatum esse. Senec. Suas. 1. Sed Maecenas non cogitasse videtur de Polyphemo agere Homerum,

Nec Clytio genitore minor nec fratre Menestheo.
Hi iaculis, illi certant defendere saxis 130
Molirique ignem nervoque aptare sagittas.
Ipse inter medios, Veneris iustissima cura,
Dardanius caput ecce puer detectus honestum
Qualis gemma micat, fulvum quae dividit aurum,
Aut collo decus aut capiti; vel quale per artem 135
Inclusum buxo aut Oricia terebintho
Lucet ebur; fusos cervix cui lactea crinis
Adcipit et molli subnectens circulus auro.
Te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes

de homine Troiano Maronem. — 131. *moliri ignem* Troiani etiam, parare ignes missiles de vallo *nervoque aptare sagittas* Troiani, adversus Rutulos.

132—138. Ornatus locus de Iulo in Iuliae gentis gratiam. *Veneris iustissima cura*, quem merito amabat Venus, quia illi debebatur imperium, ut Serv.; seu simpliciter, quia dulcissimus puer. Is, etsi iussus abstinere a pugna (IX, 661, 662) ideoque sine armis incedens, poëtae *sine galea*, tamen in medio pugnantium e muris repente iterum conspicitur. — *caput honestum*, pulcrum, ut Ge. II, 392. — *Qualis gemma micat*. Emicat inter ceteros adstantes Iulus formosus, ut gemma auro inclusa aut opus eburneum buxeo vel terebinthino margine ambiente. Κειμήλιον aliquod Homericum seu ἄγαλμα cogitat poëta. Cf. lib. I, 592, 593. — *aut collo aut capiti decus*, sive ut monili sive ut diademati inseratur gemma. — *Oricia terebinthus*. Oricus, Epiri civitas ad sinum Ionium, iuxta quam nascitur terebinthus nigrum lignum habens, ut Serv. tradit. De eadem Plin. XIII, 6, s. 42: *Circa Idam Troadis et in Macedonia* (ad hanc tum Epiri pars illa fuit attributa) *brevis arbor haec atque fruticosa in Damasco Syriae magna*. Egit de altera hac Celsius in Hierobotan. non longe a pr. sub voc. *Et Elim*. *Materies ei admodum lenta ac fidelis ad vetustatem, nigri splendoris*. — Retulit autem, ait Servius, comparationem *ad candidum vultum, qui erat nigris crinibus cinctus*. In hoc tamen comparationem constitutam nolim putare; sic enim omni dignitate caret: sed, quod supra posui, inter ceteros bellatores Ascanius conspectus effulget nitore oris. Non male variavit rem Silius XII, 226-229 sqq. Ad v. 137 cf. Ge. IV, 337, ubi sunt Nymphae *Caesariem effusae nitidam per candida colla*. Ita et h. l. *cervix candida et circulus aureus accipit*, excipit, *crines fusos* per cervicem. Capillum promissum diadema aureum, quod inter Phrygii luxus ornamenta fuisse videtur, colligit. Valer. Fl. II, 130: *aut tereti crinem subnectitur auro. molli auro*, ductili, ex bractea aurea. Fibulam minus bene intelligat aliquis, cum et de circulo et de crinibus agatur (at cf. vers. 818 et Val. Flac. I, 430. *R.*)

139 sqq. Ornat porro locum binis

Volnera dirigere et calamos armare veneno, 140
Maeonia generose domo: ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolosque inrigat auro.
Adfuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere moerorum sublimem gloria tollit;
Et Capys: hinc nomen Campanae ducitur urbi. 145
Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant: media Aeneas freta nocte secabat.
Namque, ut ab Evandro castris ingressus Etruscis
Regem adit et regi memorat nomenque genusque,
Quidve petat quidve ipse ferat, Mezentius arma 150

aliis praeclaris viris commemorandis, ne, quod poëtae turpe est facere, in generalibus dictis subsistat oratio, utque a numero et multitudine animus traducatur ad individua et singula. Nihil amplius in his spectandum. — *Volnera dirigere*, XI, 654 *spicula*. Quo vero iure Ismarum Lydium veneno inungentem tela inducere potuerit poëta, non assequor. Maeones illo tempore non adeo barbari erant. Et iam Amycum simili modo notaverat IX, 773 (Hunc morem esse barbarum poëta nusquam dixit; et quum Rutulos veneno inungentes vidissent tela, Troiani etiam sibi hoc licere in hostes putarunt. Nec Odysseae auctor pro more barbaro habuit, ut qui ipsum Vlyssem Ephyram profectum narrat (Od α, 260 sqq.), ut venenum, quo tela sua inungeret, sibi pararet. *R.*) Frigent quoque *Magnanimae gentes*. (*Magnanimae* propter sequens *generose* stare non potest. Sensus loci est: Etiam tu contra hostes fortes fortissime pugnasti. *Magnanimae* autem *gentes* bene dici poterant; Sil. Ital. I, 29 habet: magnanimis urbibus. *R.*) — 141. *Maeonia generose domo*, nate nobili genere in Lydia. — 143. Iterum studet gentis Memmiae nomini, v. V, 117 et ibi not. ad 114. *quem pulsi*: iterum lib. IX, 779 sqq., quem locum respicit nunc, quod Turnum a vallo repulerit. — 145. *Capys*. ... *Capua*: ex opinione illa veterum nota, a Graecis seu Troianis conditoribus repeti urbium Italiae origines. De Capua a Capy condita cf. Liv. IV, 37.

146 sqq. Dum ita pugnabatur utrinque, Aeneas ex portu urbis Caere, unde auxilia adducebat, solvens mari redibat cum navibus inde ab VIII extr. *Conferre manus*, *arma*, hinc etiam *pugnam*. *media nocte*, quae diem pugnae memoratae insequuta est; nam noctem pugnae supervenisse, facile ex tota narratione intelligitur. Noluit poëta iterum ornare, quod copiose exposuerat in superioris diei exitu IX, 157 sqq. Adest Aeneas cum classe postero die orto et pugnam novam in ascensu facit 260 sqq.

148. Verbo commemorat supra exposita: VIII, 478 sqq. 603 sqq. et adiungit reliqua deinceps insequuta. — 150, 151. *Mezentius arma Quae sibi conciliet*, Turni societate, VIII, 7, 8, 492, 493, VII, 647 sqq. — 152. *quae*

Quae sibi conciliet violentaque pectora Turni
Edocet; humanis quae sit fiducia rebus
Admonet inmiscetque preces. Haud fit mora; Tarchō
Iungit opes foedusque ferit; tum libera fati
Classem conscendit iussis gens Lydia divom, 155
Externo conmissa duci. Aeneïa puppis
Prima tenet rostro Phrygios subiuncta leones:
Inminet Ida super, profugis gratissima Teucris.

sit fiducia h. e. nullam esse: esse rerum humanarum varietatem et vicissitudinem summam: posse ideo fieri, ut Mezentius expulsus iterum in regnum remeet. — 153. Aut oratio pendet: *Namque, ut. . . adit. . . inmiscetque preces:* tum *haud fit mora*; aut v. 148 explenda est: *ut ingressus erat castra Etrusca: regem adiit,. . . inmiscetque preces Haud fit m.* etc. — 154. *libera fati*: a vaticinii necessitate soluti Etrusci, quo ad persequendum bello Mezentium externum ductum adsciscere debuerant VIII, 495, 503. *fatum* pro vaticinio aruspicis: vaticiniis et responsis deorum *illigatur* vel *obligatur* is, qui aliquid ex deorum iussu facere debet. *liberatur*, cum res vel conditio eventum habet. — 155. *gens Lydia*. Etrusci ex vetere opinione, cf. lib. VIII, 479, 480.

156, 157. Turbant interpretes. Sed navis Aeneae, quae primum locum tenet (ut lib. V, 338, *Emicat Euryalus et munere victor amici Prima tenet*), habet insigne seu parasemon in extrema prora montem Idam et sub monte fortasse in antro leones binos matri Idaeae sacros; sic 253: *binique ad frena leones*. Cf. Salmas. ad Solin. p. 403. Vocabulo *puppis* improprie unus est omnino pro navi; alias puppis tutelam, non parasemon haberet. Ea navis subiunctos habet leones *rostro*, ideoque infra proram extremam. Proprie tamen parasemon est supra rostrum: igitur *subiuncta* non urgendum, sed est: habet appositos, additos. Sedet *hic*, h. e. in navi, Aeneas cum Pallante. Posses *hic* de prora accipere, unde liber caeli prospectus: sed locus sedendi et alibi in puppi assignatur, et v. 218 in puppi sedens diserte exhibetur. Illud paullo obscurius est, qua ratione Ida in prora picta et leones ibi frequentes ideoque Cybelae sacri sub monte expressi fuerint. Leonis certe ad montis altitudinem vix ulla proportio esse potuit in tali pictura. Idam sub personae symbolo expressam fuisse suspicatur Spenceius, in Polymet. Dial. XV, 8. Parum commode sic voc. *inminet* esset positum: debebat Ida in personam mutata saltem ad latus adiunctos habere leones. Vnde porro haec navis cum insigni ex Troianis religionibus petito Aeneae apud Caeretanos statim parata et ad manus fuit? Iam veterum Grammaticorum ea fuit dubitatio, quomodo intra unius diei spatium classis adornari potuerit. Dicendum, Caeretanos iam ante ad bellum instructos classem in promtu habuisse: cf. VIII, 494. Aeneae autem navem festinanter ornasse. Poëtam tamen minus cautum in his fuisse arbitror:

Hic magnus sedet Aeneas secumque volutat
Eventus belli varios; Pallasque sinistro 160
Adfixus lateri iam quaerit sidera, opacae
Noctis iter; iam quae passus terraque marique.
Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete:
Quae manus interea Tuscis comitetur ab oris
Aenean armetque rates pelagoque vehatur. 165
Massicus aerata princeps secat aequora Tigri,
Sub quo mille manus iuvenum, qui moenia Clusi
Quique urbem liquere Cosas: quis tela, sagittae
Corytique leves humeris et letifer arcus.
Vna torvus Abas: huic totum insignibus armis 170
Agmen et aurato fulgebat Apolline puppis.

ut et v. 205 in Oeni Mantuani navi Mincium pro insigni habente. Sed haec dubitatio evanescit recordanti, binas navea sinas (VIII, 79, 80) Aeneae se iunxisse ad Caeretanum portum (Ceterum noli oblivisci, te in poëta, non in historico versari, et illum contentum esse, si imaginationi tuae prudenter satisfecerit. *R.*) — 159-162. Bene Pallantis generosam et erectam indolem declarat poëta. Iuvenis discendi Cupidus ex Aenea, qui longum navigationis usum habebat, modo siderum notationes quaerit, *opacae noctis iter*: h. e. quibus *navis cursus per noctem* regitur; modo res gestas et fata Aeneae.

163. 4, 5. In re a prisca memoria repetita Musas invocat: sic VII, 641. — 166 sqq. De copiis ex Etruria et de urbibus, unde adducuntur, omnino haec habe. Quatuor earum copiarum turmas edidit: primam Clusinorum et Cosanorum ducit *Massicus*. Infra v. 655 *Osinius* Clusinorum rex (seu Lar) inducitur: quem sub Massici imperio egisse necesse est. Conf. ibi Serv. Alteram ex Populonio et Iiva s. Aethalia insula ducit *Abas*; tertiam ex Pisa *Asylas*; quartam ex Caere et vicinis locis *Astur*. Accedunt auxilia e Liguribus v. 185 et e Mantuanis 198. Classis omnino erat XXX navium; v. 213. Copiae autem mille sagittarii a Massico ducti, nongenti armati sub Abante, mille alii sub Asyla et totidem sub Asture: ergo ter mille nongentorum capitum. — *aerata Tigri* pro navi cum insigni tigridis in prora: ut V, 116 sqq. et v. 205, 206 et v. 209. Sub Massico *manus*, turma, *mille iuvenum* erat. — *coryti*, γωρυτοῦ pharetrae.

170. Alterius turmae ductor *Abas*, bellicosum animum vultu prae se ferens. — 171. *aurato fulgebat Apolline puppis*. Ergo is tutela navis erat. Sed poëta in ceteris, ut et V, 116 sqq. insignis navium seu parasema ponit, quae in prora sunt; etsi haec duo, insigne et tutelam, vulgo confundunt multi: itaque *puppim* potius pro navi omnino dictam velim: ut paullo ante versu 156. Tribuit autem

Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli iuvenes; ast Ilva trecentos
Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius ille hominum divomque interpres Asylas, 175
Cui pecudum fibrae, coeli cui sidera parent
Et linguae volucrum et praesagi fulminis ignes,
Mille rapit densos acie atque horrentibus hastis.
Hos parere iubent Alpheae ab origine Pisae:
Vrbs Etrusca solo. Sequitur pulcerrimus Astur, 180
Astur equo fidens et versicoloribus armis.

arma, clipeum, thoracem, galeam puta, *insignia* huic turmae, respectu ad ferri metalla, quibus Ilva olim clara erat, habito. — 172. *Populonia mater* h. l. patria. Supra VII, 762 dubitari poterat, an *Aricia mater* eo sensu dicta esset. *Ilva*, Elba, Αἰθάλη, hodieque insula ideo celebris. — 174. *generosa metallis* pro fecunda, eleganter; sed cum adiecta notione praeclari metallorum generis, quorum venas inexhaustas habet, comparatione declarata cum Chalybum fodinis.

175, 176, 177. Vatis luculenta descriptio. Enim *deorum* vel *Iovis interpretem* dici, sollenne est; at h. l. *hominum divomque* est *interpres*: accipio, ut sit inter deos hominesque medius et arbiter: dum deorum voluntatem hominibus interpretatur ex augurio. *Parent* ei fibrae pecudum etc., quatenus eas, tamquam pro habitu, interpretatur in bonam vel in sinistram partem. Sic apud poëtas *regere* et *moderari* dicimur ea, quorum scientiam habemus; ut sidera is, qui eorum nomina et cursum tenet. Ita *futura parere* dicuntur iis, qui ea praedicunt, quasi vim in ea habeant: iidem *futura moderari*, *regere*. Eo enim omnino inclinat hominum opinio, ut, qui praedicunt futura, eos etiam constituere posse futura putent: unde videmus obiurgari et odio haberi in sacris quoque libris nostris vates, qui sinistra fata denuntiarent, tamquam ipsos malorum auctores. Tandem eas res, quibus utuntur vates ad divinandum, aves, exta, sidera, vim occultam nescio quam habere, qua fata inflectantur ac mutentur, sibi persuasit superstitio. Comparat Burm. Petron. 134: *Quicquid in orbe vides, paret mihi.* Sed ibi venefica loquitur: hanc autem sibi potestatem in omnem rerum naturam tribuere nota res est. Solenne illud, *parere* pro apparere, huc spectare non potest. — 178. *rapit* pro vulgari, ducit, ut VII, 725: *Mille rapit populos.* *Horrentibus*, i. e. erectis. Vide ad vers. 237. — 179. Similiter Statius Theb. IV, 179: *Huic parere dati quos* etc. *Pisae* s. Pisa, ab iis condita, qui Pisa Elidis profecti erant, unde *Alpheae ab origine*, pro ab origine Alphea s. Elisca; at *solo*, sede ac situ, urbs Etrusca.

180. Quartam turmam ducit Astur *equo fidens et armis*, ornate pro habens, ut Homer. ἡνερέῃ πίσυνος καὶ κάρτει χειρῶν· alias *superbus equo*. — *versicoloribus armis*, e diversis me-

Tercentum adiiciunt (mens omnibus una sequendi)
Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis,
Et Pyrgi veteres intempestaeque Graviscae.
Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello, 185
Transierim, Cinyra et paucis comitate Cupavo,
Cuius olorinae surgunt de vertice pennae:

tallis. Sic Iliad. ε, 504: ἐπεὶ κατέδυ κλυτὰ τεύχεα ποικίλα χαλκῷ. Hoc malim huc trahere quam αἰόλα τεύχεα. Iliad. ε, 295, αἰολοθώρηξ apud eundem, quod de motu potius accipiendum vario ac celeri, ut κορυθαίολος et alia dicta sunt. — 182, 184. Asturem sequuntur trecenti ex Caere et agro ad Minionem, Pyrgis et Graviscis: quae vicina oppida Caeretanorum fuere. Sed cur tam pauci ex urbe tam opulenta Caere? Quia mille hinc abduxerat Mezentius VII, 652, 653. *Adiiciunt* tercentum viros *ii, qui sunt Caerete domo* etc. h. e. qui domo sunt Caeretani, ei additi sunt, eum comitantur. Burmannus secundum Servium supplet *adiiciunt se*; nec multum recedit Probus, qui, *adiacent et quasi iuxta sunt*, interpretatus erat. — *intempestae Graviscae* aëris intemperie, cum in humili ac palustri loco essent sitae.

185 sqq. Obscurior locus sen ex interpolatione, quod equidem suspicor, ut totus v. 188 tollendus sit, quo facto sententia bene procedit (ut sit: Commemorabo quoque te, o Cinyra, et te, Cupavo, Cycni fili, aut, quod melius est, non ego te, o Cupavo, comitate a Cinyra et paucis, transierim, olorinas pennas in crista qui gestabas); seu propter obscuriorem fabulam a poëta aliter quam ab aliis tractatam; facilius enim videtur, ut ex Oriente fabulam de Phaëthonte, Cinyra et Cubabo (v. Apollod. III, 14, 3. Not.) ibique in Liguriam traduxerint homines; etsi Ligurum diversus plane est Cycnus et Phaëthon. Si Phanocles elegi, Ἔρωτες, superessent (de quibus v. Heins. et Burm. ad Ovid. Met. X, 83 et Ruhnken. Epist. crit. p. 299), melius forsan de fabula constaret; nam ex illo ductam eam esse a Lactantio proditum in Narrat. fabb. II, 4; eandem fabulam Ovidius II Met. 357 repetiit. Multa autem in ea tradita fuisse, de quibus nunc parum constat, etiam ex anaglypho discas ap. Winckelm. *Monum. ined.* n. 43, ex sarcophago villae Borghesiae expresso. Vt nunc locus se habet, ut aliquo saltem modo expediatur illud: *Crimen amor vestrum*; statuere necesse est, Cinyram et Cupavonem turpi se amore prosequutos esse. *Cupavo* et *Cinyras* vix videntur posse coniungi, tamquam Cycni filii: itaque aut sustinenda est pronuntiatio post *Cinyra*, *Non ego te Transierim Cinyra*; et (pro *nec*) *te*, *paucis comitate Cupavo*, *Cuius*. Aut accipienda et scribenda sunt: *Cinyra et paucis comitate Cupavo*, ut Cupavo Cinyram et paucos comites habuerit. Pergamus ad reliqua. *Cupavo* cristam habet ex pennis olorinis v. 187 in memoriam patris Cycni in olorem mutati ex nimio luctu de Phaëthontis casu. Cycnus apud Ovidium l. c. Sthenelei (non Stheneli) filius, Phaëthonti *materno a sanguine iunctus*, *mente tamen pro-*

Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli iuvenes; ast Ilva trecentos
Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius ille hominum divomque interpres Asylas, 175
Cui pecudum fibrae, coeli cui sidera parent
Et linguae volucrum et praesagi fulminis ignes,
Mille rapit densos acie atque horrentibus hastis.
Hos parere iubent Alpheae ab origine Pisae:
Vrbs Etrusca solo. Sequitur pulcerrimus Astur, 180
Astur equo fidens et versicoloribus armis.

arma, clipeum, thoracem, galeam puta, *insignia* huic turmae, respectu ad ferri metalla, quibus Ilva olim clara erat, habito. — 172. *Populonia mater* h. l. patria. Supra VII, 762 dubitari poterat, an *Aricia mater* eo sensu dicta esset. *Ilva*, Elba, Αἰθάλη, hodieque insula ideo celebris. — 174. *generosa metallis* pro fecunda, eleganter; sed cum adiecta notione praeclari metallorum generis, quorum venas inexhaustas habet, comparatione declarata cum Chalybum fodinis.

175, 176, 177. Vatis luculenta descriptio. Enim *deorum* vel *Iovis interpretem* dici, sollenne est; at h. l. *hominum divomque* est *interpres*: accipio, ut sit inter deos hominesque medius et arbiter: dum deorum voluntatem hominibus interpretatur ex augurio. *Parent* ei fibrae pecudum etc., quatenus eas, tamquam pro lubitu, interpretatur in bonam vel in sinistram partem. Sic apud poëtas *regere* et *moderari* dicimur ea, quorum scientiam habemus; ut sidera is, qui eorum nomina et cursum tenet. Ita *futura parere* dicuntur iis, qui ea praedicunt, quasi vim in ea habeant: iidem *futura moderari*, *regere*. Eo enim omnino inclinat hominum opinio, ut, qui praedicunt futura, eos etiam constituere posse futura putent: unde videmus obiurgari et odio haberi in sacris quoque libris nostris vates, qui sinistra fata denuntiarent, tamquam ipsos malorum auctores. Eadem eas res, quibus utuntur vates ad divinandum, aves, exta, sidera, vim occultam nescio quam habere, qua fata inflectantur ac mutentur, sibi persuasit superstitio. Comparat Burm. Petron. 134: *Quicquid in orbe vides, paret mihi.* Sed ibi venefica loquitur: hanc autem sibi potestatem in omnem rerum naturam tribuere nota res est. Soleone illud, *parere* pro apparere, huc spectare non potest. — 178. *rapit* pro vulgari, ducit, ut VII, 725: *Mille rapit populos.* *Horrentibus*, i. e. erectis. Vide ad vers. 237. — 179. Similiter Statius Theb. IV, 178: *Huic parere dati quos* etc. *Pisae* s. Pisa, ab iis condita, qui Pisa Elidis profecti erant, unde *Alpheae ab origine*, pro ab origine Alpheae s. Elisae; at *solo*, sede ac situ, urbs Etrusca.

180. Quartam turmam ducit Astur *equo fidens et armis*, ornate pro habens, ut Homer. ἵππῳ πίσυνος καὶ κάρτει χειρῶν· alias *superbus equo*. — *versicoloribus armis*, e diversis me-

Tercentum adiiciunt (mens omnibus una sequendi)
Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis,
Et Pyrgi veteres intempestaeque Graviscae.
Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello, 185
Transierim, Cinyra et paucis comitate Cupavo,
Cuius olorinae surgunt de vertice pennae:

tsllis. Sic Iliad. ε, 504: ἐπεὶ κατέδυ κλυτὰ τεύχεα ποικίλα χαλκῷ. Hoc malim huc trahere quam αἰόλα τεύχεα. Iliad. ε, 295, αἰολοθώρηξ apud eundem, quod de motu potius accipiendum vario ac celeri, ut κορυθαίολος et alia dicta sunt. — 182, 184. Asturem sequuntur trecenti ex Caere et agro ad Minionem, Pyrgis et Graviscis: quae vicina oppida Caeretanorum fuere. Sed cur tam pauci ex urbe tam opulenta Caere? Quia mille hinc abduserat Mezentius VII, 652, 653. *Adiiciunt* tercentum viros *ii, qui sunt Caerete domo* etc. h. e. qui domo sunt Caeretani, ei additi sunt, eum comitantur. Burmannus secundum Servium supplet *adiiciunt se*; nec multum recedit Probus, qui, *adiacent et quasi iuxta sunt*, interpretatus erat. — *intempestae Graviscae* aëris intemperie, cum in humili ac palustri loco essent sitae.

185 sqq. Obscurior locus sen ex interpolatione, quod equidem suspicor, ut totus v. 188 tollendus sit, quo facto sententia bene procedit (ut sit: Commemorabo quoque te, o Cinyra, et te, Cupavo, Cycni fili, aut, quod melius est, non ego te, o Cupavo, comitate a Cinyra et paucis, transierim, olorinas pennas in crista qui gestabas); seu propter obscuriorem fabulam a poëta aliter quam ab aliis tractatam; factum enim videtur, ut ex Oriente fabulam de Phaëthonte, Cinyra et Cubabo (v. Apollod. III, 14, 3. Not.) ibique in Ligurium traduxerint homines; etsi Ligurum diversus plane est Cycnus et Phaëthon. Si Phanoclis elegi, Ἔρωτες, superessent (de quibus v. Heins. et Burm. ad Ovid. Met. X, 83 et Ruhnken. Epist. crit. p. 299), melius forsan de fabula constaret; nam ex illo ductam eam esse a Lactantio proditum in Narrat. fabb. II, 4; eandem fabulam Ovidius II Met. 357 repetiit. Multa autem in ea tradita fuisse, de quibus nunc parum constat, etiam ex anaglypho discas sp. Winckelm. *Monum. ined.* n. 43, ex sarcophago villae Borghesiae expresso. Vt nunc locus se habet, ut aliquo saltem modo expediatur illud: *Crimen amor vestrum*; statuere necesse est, Cinyram et Cupavonem turpi se amore prosequutos esse. *Cupavo* et *Cinyras* vix videntur posse coniungi, tamquam Cycni filii: itaque aut sustinenda est pronuntiatio post *Cinyra*, *Non ego te Transierim Cinyra*; et (pro *nec*) *te*, *paucis comitate Cupavo*, *Cuius*. Aut accipienda et scribenda sunt: *Cinyra et paucis comitate Cupavo*, ut Cupavo Cinyram et paucos comites habuerit. Pergamus ad reliqua. *Cupavo* cristam habet ex pennis olorinis v. 187 in memoriam patris Cycni in olorem mutati ex nimio luctu de Phaëthontis casu. Cycnus apud Ovidium l. c. Stheneleï (non Stheneli) filius, Phaëthonti *materno a sanguine iunctus*, *mente tamen pro-*

Crimen, Amor, vestrum, formaeque insigne paternae:
Namque ferunt luctu Cycnum Phaëthontis amati,
Populeas inter frondis umbramque sororum 190
Dum canit et maestum Musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam,
Linquentem terras et sidera voce sequentem.
Filius aequalis comitatus classe catervas
Ingentem remis Centaurum promovet; ille 195
Instat aquae saxumque undis inmane minatur
Arduus et longa sulcat maria alta carina.

pior dictus. — *inter populeas frondes umbramque sororum*, populos (nigras, αἰγείρους, electrum exsudantes), in quas Phaëthontis sorores fuere mutatae, ex nonnullorum saltem narratione Cf. ad Ecl. VI, 62 (Si cum Chr. Conr. Sprengelio, Neue Kritik der klassischen röm. Dichter p. 139 sqq. vers. 189 ad praecedentem referas et scribas: „*Crimen, Amor, vestrum*, i. e. quae pannae, Amor (Tibi et Matri), crimini sunt (Ovid. Metam. VIII, 240. X, 197); ut unum quidem Amorem appellet, matrem tamen Venerem quoque intelligat, ut IX, 525: *Vos*, o *Calliope*, ubi unam nominat, plures alloquitur. Cf. I, 139: „ fortasse lucem loco obscuro affusam laetaberis. *R*) Versum emendes: *Crimen amoris erat formaeque ins. pat.* i. e. *olorinae pennae*, quas Cupavo ille Cycnides i. e. Cycni filius in vertice gestabat, pro insigni a patris forma versa petito fuere; una tamen *crimen* (nefas infr. v. 497), ὄνειδος sive probrum (qua significatione quoque occurrit ap. Propert. IV, 4, 41. Ovid. Trist. IV, 9, 25.) amoris paterni in Phaëthontem illiciti admonens. Sed ita praestat vers. 186 *Cycnida* et legere pro *Cinyra et*; nam vers. anteced. poëta unum tantum *belli ductorem* alloquitur et vett. Editt. duoque Goth. habent *Cygne* vel *Cygnae*, *Cycne*. B. — Mox v. 192, 193 eum iam senem in cycnum prae luctu mutatum narrat. Ferunt eum *duxisse*, h. e. induxisse, *senectam canentem molli pluma*: ita ut senectam pluma induxerit, ex poëtica ratione, cum ipsi seni pluma induceretur; *canentem . . . linquentem . . . sequentem*: h. e. ferunt eum, jam senem et canum, inductum plumis evolasse. Minus enim placet, ad poëticam quidem elegantiam, ut sit simpliciter: *duxisse*, egisse, eum *senectam*, *canentem pluma*, sic ut haberet plumas pro canis, h. e. in cycnum mutatus. Ex h. l. ductum est illud Nemes. Cyneg. 37: *Cycnum plumamque senilem*; et Claudian. VI Cons. Honor. 171: *Mutatumque senem plumis*. — 194. *aequales catervas*: h. e. turmam aequalium; seu potius aequali numero: alios trecentos ex v. 182. — 195-197. Cum navi vectum dicere vellet, quae Centaurum pro parasemo habebat, suaviter insigne navis ad ornatum orationis convertit: Centaurus ita erat sculptus, ut saxum evulsum terra proiceret.

Ille etiam patrias agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicae Mantus et Tusci filius amnis,
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen, 200
Mantua, dives avis: sed non genus omnibus unum.

498 sqq. Tandem *Mantuani* accedunt Etruscis, quippe auctoribus civitatum XII transpadanarum ideoque etiam Mantuae. Ocnus dux, Mantus nymphae (nam de Manto Tiresiae filia cogitasse non videtur) et Tiberis fluvii filius, diversus ab eo Ocno, quem poëtae in inferis collocarunt, condidit et a matre appellavit Mantuam. — 201, 202, 203. Non in promtu est expedire locum secundum interpretationem Servii et Cerdae, aut Gronovii aut Catroei. Equidem sic accipio: Mantua, potens olim copiis urbs, quae tamen non eiusdem erant generis, sed ex gentibus III ac populis XII constabant, quorum quaterni sub una gente erant comprehensi, quibus illa caput erat: copiae autem illae erant Etruscae. Videamus singula: *dives avis* per se ambiguo sensu dictum est: potest esse *dives avis*, qui multos avos habet, quod ad stirpis vetustatem trahi posset; potest esse *dives per avos* aut *qui avos divites habuit*; ideoque de urbe et populo est sensus, qui aliquando potens fuit. Videamus nunc de usu loquendi. Dici solet aliquis potens, florens genere, nobilitate, maioribus ideoque et avis; potens poëtis est *dives*, ὄλβιος, usu Homerico; uti contra reges πλούσιοι, quia ex divitiis opes veniunt. Iam, si quis avos habere, numerare, iis gloriari, iis dives esse ac potens memoratur, adsciscitur avorum vetustas, claritas, in notionem. Sollennior et planior forma loquendi est de singulis hominibus. Statius Theb. I, 392 de Adrasto: *Dives avis et utroque Iovem de sanguine ducens.* Supra VII, 56: *Turnus avis atavisque potens:* eadem vi, qua *dives*, ὄλβιος, *avis*, per avos, propter avos, h. e. habens avos claros. Silius XVI, 593, *Burrus avis pollens.* VIII, 382, Scaevola *avis pollens nec dextra indignus avorum.* Hic idem Silius etiam de populo: *Osci, quos dives opum, quos dives avorum E toto dabat ad bellum Campania tractu:* VIII, 523. Itaque et hoc loco Mantua fuit *dives avis*, per avos; pro vulgari, habens avos claros ac potentes; ideoque urbs potens olim, maiorum aetate; quod monendum erat inprimis, quum poëtae tempore illa tantopere a pristino splendore descivisset. Constabat tamen agmen e diversis populis: *sed non genus omnibus unum*: *omnibus* non ad *avos* erat referendum, quod vulgo faciunt, sed ad *agmen*, quod Ocnus adducit patriis ab oris (Simplicior *omnibus* referendi ratio esse videtur vulgaris: durior, qua ad *agmen* vox illa spectat. Servius quoque non unum Ocnum Mantuae conditorem nominat; sed plures conditores et eos *avos* atque in his Thebanos, unde poëta quominus *Manto* illam sumserit, nihil impedire videtur. Nam, etsi inepta sit illa deducendi ratio, tamen regnat in urbium originibus Italiae e Graecia repetendis, nec poëtam ab illa abstinuisse quisquam recte contenderit. *R.*) Pergit: Namque Mantua trinas gentes et duodenos popu-

Gens illi triplex, populi sub gente quaterni;
Ipsa caput populis; Tusco de sanguine vires:
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco velatus arundine glauca 205
Mincius infesta ducebat in aequora pinu.
It gravis Aulestes centenaque arbore fluctus
Verberat adsurgens: spumant vada marmore verso.
Hunc vehit inmanis Triton et caerula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti 210
Frons hominem praefert, in pristin desinit alvus;
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Troiae et campos salis aere secabant.
Iamque dies coelo concesserat, almaque curru 215

los habebat: *Gens illi triplex* etc. *Gens* tamquam latius sub se continet populos: quod Io. Fr. Gronov. ad Liv. V, 34 docuit. Populi igitur erant XII in trinas gentes divisi. Mantua vero horum XII populorum, qui Etrusci erant; h. e. XII coloniarum in dicta posthaec Gallia Cisalpina sitarum caput erat, unde Plin. III, 19, s. 23: *Mantua Tuscorum trans Padum sola reliqua*. — *vires*, copiae.

204. *Hinc in se armat* eleganter de copiis adversum Mezentium odio eius ductis. — 205, 206. Navis, qua vehitur Ocnus, parasemum seu insigne habet in prora Mincium fluvium. Is Georg. III, 15, *tenera praetexit arundine ripas*, ubi v. not. et ad Ecl. I, 52. — *patre Benaco*: ducit enim ortum Mincius (*Menzo*) ex Benaco lacu (*Lago di Garda*) aut potius ex Alpibus ortus medium eum transit. Cf. ad Georg. II, 159, 160. — Sequitur v. 207 *Aulestes*, Ocni frater et Perusiae conditor, *gravis* propter navem mole sua gravem, in navi C remorum νηῦς ἑκατόντζυγος, Il. υ, 247; hoc extulit magnifice: *Aulestes adsurgens verberat fluctus centena arbore*, centenis remis. Silius XI, 492 *centeno verbere* dixit; *adsurgere*, *insurgere*, *consurgere*, notae elegantiae vocabula de nisu eius, qui magna vi ictum infert, incumbit, protrudit. De *marmore*, aequore, monitum ad Georg. II, 254. Navis huius parasemon in prora Triton est buccinam inflans. — 210. *frons laterum tenus* exquisite pro: ipse a fronte usque ad latera seu medium corpus. — 212 suavissimae modulationis versus ex Apollonio ductus est l. I, 542, 543. *Troiae* novae — *et campos salis aere secabant*, ut iam lib. I, 35.

215—257. Aeneas navigatione *secunda* iam appropinquans Troianorum castris e Nymphis, in quas mutatae fuerant naves (IX, 120 sq.), comperit castra a Turno oppugnari, ideoque se ad pugnam accingit. *dies*: erat is tertius, ex quo castra reliquerat Aeneas: is ipse dies, quo Rutuli

Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum:
Aeneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat.
Atque illi medio in spatio chorus ecce suarum
Occurrit comitum: Nymphae, quas alma Cybebe 220
Numen habere maris Nymphasque e navibus esse
Iusserat, innabant pariter fluctusque secabant,
Quot prius aeratae steterant ad litora prorae.
Adgnoscunt longe regem lustrantque choreis.
Quarum, quae fandi doctissima, Cymodocea 225
Pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso
Eminet ac laeva tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarum adloquitur: Vigilasne, deum gens,
Aenea? Vigila et velis inmitte rudentes.
Nos sumus Ideae sacro de vertice pinus, 230

castra oppugnarant; inde a IX, 459. — *almaque curru Noctivago Phoebe*, ἅρματι νυκτιπόλῳ. Ex Egnatii lib. I de rerum natura ducta esse Macrob. VI, 5 notavit. *Roscida noctivagis astris labentibus Phoebe Pulsa loco cessit concedens lucibus altis.* — 218. Vtrumque docte, ut poëtam decet: *clavum regit*; proprie navem regimus clavo; tum *velis ministrat*, pro ministrat, ministerium praestat nauticum, ad vela. Cf. ad VI, 302. Sic *Luna ministrat equis* ap. Propert. III, 14, 15, et Statius, quem alii laudarunt, de Apolline currui insidente lib. VII, 751: *Ipse sedens telis pariterque ministrat habenis.* Affertarunt mox idem scriptores in soluta oratione, ut Tacitus Germ. 44, ubi v. not.

219. *medio in spatio.* Nam IX, 124 novae Nymphae: *pontoque ferunturque*; qui totus locus huc animo revocandus. *suarum comitum*: quia cum eo venerant naves. Serv. cf. IX, 80 sq. *Cybebe*, Κυβήβη, quae vulgo Κυβέλη. — 224. *numen habere maris* exquisite pro numina esse. IX, 101, 102: *magnique iubebo Aequoris esse deas.* — 224. *lustrant choreis*, ornate pro circumdant, circumnatant.

228. *deum gens*, γένος, γενεὰ IX, 642: *Dis genite*, Διογενές. — 229. *velis inmitte rudentes*, ut vela laxentur ad ventum excipiendum. Sic VIII, 708: *Ipsa videbatur ventis regina vocatis Vela dare et laxos iam iamque inmittere funes*, ut *inmittere habenas*, *frena* alibi; cf. V, 146, 147. Nec tamen *inmittere* per se aut est aut esse potest *laxare*, sed est *incitare*: ubi autem vela laxantur, rudentes non laxantur; sed intenduntur. Proprie *ventus inmittitur velis*, fit hoc multo magis velis expansis et rudentibus solutis aut laxatis; inversione solenni poëtarum *inmitti* dicuntur *vela ventis*, tandem *rudentes* ipsi,

Nunc pelagi Nymphae, classis tua. Perfidus ut nos
Praecipites ferro Rutulus flammaque premebat,
Rupimus invitae tua vincula teque per aequor
Quaerimus. Hanc Genetrix faciem miserata refecit
Et dedit esse deas aevumque agitare sub undis. 235
At puer Ascanius muro fossisque tenetur
Tela inter media atque horrentis Marte Latinos.
Iam loca iussa tenent forti permixtus Etrusco
Arcas eques. Medias illis opponere turmas,

velis, velorum expandendorum causa. Similiter *inmittitur equus* cursu concitato, habena laxata; tum *inmitti* dicuntur ipsae *habenae*, ut incitetur cursus equi et ipse equus. — 231. *perfidus*: quandoquidem foedere iam inter Latinos Troianosque facto bellum moverat. — 234. *refecit*, mutavit: nihil amplius. *dedit*, fecit, ut ἔδωκε Homer. — 237. *horrentes Marte Latinos*: est igitur pro *horrendis*, *qui horrorem faciunt*, bello, pugna; cuius significatus me exemplum in Marone desiderare supra ad exordium Aeneidis fassus sum, quum *horrentia Martis arma* explicarem. Possit *umbras horrentes* aliquis sic accipere lib. I, 165 et 311; III, 230: verum umbrae sunt ibi ipsae arbores, et sic *dumi horrentes*, *rubi horrentes*, *horrentia lustra* dicta sunt. *Horrent* enim omnia, quae superficiem habent asperam: quibus opponuntur ea, quae laevia sunt et nitent. Hinc omnino *horrere* pro asperum esse atque hinc squalere interdum; ut *apes horrent* Georg. IV, 96: *terra horret* III, 161. Atqui nec hic aliter dictum puto; sed *Latini horrent Marte* h. e. armis; exquisita dictio pro habentes arma horrentia, hastas crebras erectas: dum stant in acie densis ordinibus et pugnant. Vt Ennianum se habet: *Horrescit telis exercitus asper utrinque.* Aliter Valer. Fl. VI, 524, 525 *arma horrentia* dixit de thorace aspero squamis seu ornamentis ex aere sculptis (Graecor. φρίσσειν et horrere idem sonant et valent. Cf. Toup. Emendatt. in Suid. p. 168. *R.*)

238. *Iam loca iussa tenent.* Refert et hoc Servius ad ea, in quibus κατὰ τὸ σιωπώμενον aliquid intelligendum sit, *nam intelligimus, cum equites misisse per terras.* Sane quidem VIII, 518 sqq., quum in Etruriam pergit Aeneas: parte sociorum in comitatum assumta ceteros iubet Tiberi vectos reverti ad castra et nuntiare Ascanio, quae facta sint. Sed in his vix *equites* esse potuerunt (nam CCCC equites Evander et Pallas dederant VIII, 518, 519); multo minus *Etrusci*, quos nondum adierat. Ad artificium itaque narrationis et suavitatem ex brevitatis studio hoc referamus, quod nunc illa innuit, quae facile intelligi possunt: conscendisse Aeneam naves in portu Caeretano, equitatu in littore praemisso, qui ne castra intrare posset, Turnus obiecta copiarum parte cavebat. Nec tamen memoratur, cum iis equitibus Tiberis traiiciendus esset, qua parte aut quo paratu id factum sit, ne Turnus ab escensione in alterum littus eos prohiberet: ita

Ne castris iungant, certa est sententia Turno. 240
Surge age et Aurora socios veniente vocari
Primus in arma iube et clipeum cape, quem dedit ipse
Invictum Ignipotens atque oras ambiit auro.
Crastina lux, mea si non inrita dicta putaris,
Ingentes Rutulae spectabit caedis acervos. 245
Dixerat et dextrae discedens inpulit altam
Haud ignara modi puppim. Fugit illa per undas
Ociòr et iaculo et ventos aequante sagitta.
Inde aliae celerant cursus. Stupet inscius ipse
Tros Anchisiades; animos tamen omine tollit. 250
Tum breviter supera adspectans convexa precatur:
Alma parens Idaea deum, cui Dindyma cordi
Turrigeraeque urbes biiugique ad frena leones,
Tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques
Augurium Phrygibusque adsis pede, diva, secundo. 255

enim bis eadem rerum facies exhibenda fuisset. Nam et Aeneae copiae adductae praelium in ipso littoris clivo faciunt. — 240. *iungant se*: ut solet Maro. — 246. Locus, quem laudant Apollonii est lib. II, 600, 601, ubi Minerva simili modo Argo in Symplegadas immissam protrudit. Similior tamen nostris vss. alter est locus, ubi Argo in Planctas inducta est, IV, 930 sqq. — 247. *Modus* non est ratio, modus propellendi; hoc esset tenue et ieiunum in epico poëta. Sed est, quod bene Servius monuit, moderatio. » Impulit navem libramento peritiae (malim *libramenti peritia*), et moderationis, quippe quae fuerat navis » h. e. cum ipsa Nympha fuisset navis. — 249. *Inde aliae*, sc. naves, *celerant cursus*, cum Aeneae navem evolare vident. Sic, puto, bene accipitur. Servius tamen argutius explicat: inde aliae Nymphae aliarum navium cursus celeriores efficiunt, sicut fecerat Cymodocea. — 250. *omine*, ostento, prodigio confirmatus animos sumit. Mox v. 255 simili metonymia *augurium* dixit.

252. V. IX, 80, 83 et 618, ubi *Dindyma* ὄρη Phrygiae. — 253. *Turrigerae urbes*: hinc ipsa Cybele turrita, πολιάς, πολιοῦχος; est enim mater Terra lib. VI, 786. *ad frena leones*, frenari soliti; ut *ad lecticam servi*, *ad limina custos*, IX, 648. — 254, 255. *pugnae princeps*; πρόμαχος, h. l. opitulans. *tu rite propinques augurium*: h. e. fac ostentum hoc ritè eventum suum habere. Ita interpretandum arbitror. *Propinquare* poëtae et alibi est admovere, adducere: fere ut πελάσσαι Homericum. *Augurium* autem, ut omen, oraculum, sors, saepe pro eventu. Est ergò, fac eventus ostenti haud longe absit. Vt sensus sit, quem alii volunt: *tu praesens*

Tantum effatus; et interea revoluta ruebat
Matura iam luce dies noctemque fugarat.
Principio sociis edicit, signa sequantur
Atque animos aptent armis pugnaeque parent se.
Iamque in conspectu Teucros habet et sua castra [260]
Stans celsa in puppi, clipeum quum deinde sinistra
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidae e muris (spes addita suscitat iras,
Tela manu iaciunt) quales sub nubibus atris
Strymoniae dant signa grues atque aethera tranant [265]
Cum sonitu fugiuntque notos clamore secundo.
At Rutulo regi ducibusque ea mira videri
Ausoniis, donec versas ad litora puppis

sis et propitia hoc augurio: Cybele deberet propinquare ipsa cum augurio. Nec Barthius bene apud Burm.: *praesentior et propior augurio adsis*. Cerda ait esse: propitium facias augurium; sed in altero subiicitur: *adsis pede diva secundo*. — 256, 257. Ornate *revoluta ruebat* pro revolvebatur, redibat; *ruebat* pro veniebat, ut II, 250 *ruit oceano nox*. — *matura luce*, adulto die (aliter ac Georg. I, 66: *adultis solibus*, aestate profecta; et iterum aliter Tibull. IV, 1, 205, *maturu dies* de morte praematura).

258. Est hic dies, cuius gesta et eventua hoc libro usque ad eius finem exponuntur. Edicit, ut ad signa conveniant Troiani; ut *animos aptent armis*, pugnam exspectent eique se accingant. Ingeniose autem poëta novum pugnae genus commentus est in littore ad prohibendam escensionem, quippe quae res per se magnas difficultates habet. — 261. Clipei a Vulcano facti opportuna fit mentio. — 264-266. Ad clamorem spectare comparationem h. l. recte monet Servius. Clamorem tollunt, qualem grues in discessu; pro quo dixit *quales dant signa grues*. Nam Troianorum multitudinem designare non potest, ut VI, 310 sq., cum singuli in muris stent, non agmine incedant (conf. Lucan. V, 711 sqq. Stat. Theb. XII, 515 sqq.): multo minus telorum copiam. Ducta comparatio de Homero Il. γ, 3 sqq. nec dubito poëtam, quia *nubibus atris* apposuit, de abitu gruum in calidiores plagas ingruente hieme cogitasse. Vid. ad Aen. VI, 310. Nec aliter Homerus l. c. Non vero ad imbrem instantem evolantes grues Ge. I, 374, 375 huc traho. Itaque v. 266 *noti* pro quibuscunque ventis hibernis ac pluviis dicti sunt. — *dant signa* simpl. edunt clamorem; quatenus is pro signo est eos volatu adesse vel abire. *Clamor secundus*, laetus, ut alibi quoque. Reditum gruum ex australibus plagis redeunte vere fundum comparationis fecere alii, quorum loca apposuit Cerda. Sunt Statius Theb. V, 11-16.

Respiciunt totumque adlabi classibus aequor.
Ardet apex capiti cristisque a vertice flamma 270
Funditur et vastos umbo vomit aureus ignes:
Non secus ac liquida si quando nocte cometae
Sanguinei lugubre rubent aut Sirius ardor;
Ille sitim morbosque ferens mortalibus aegris
Nascitur et laevo contristat lumine coelum. 275
Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Litora praecipere et venientis pellere terra.

Val. Fl. III, 359 sqq. Claud. de b. Gildon. 474-478. Oppian. Halieut. I, 620-625. Nonni vero locus lib. XIV, 331-337 totus ex Homero est concinnatus. — 269. *totumque allabi classibus aequor*. Docte de magna navium copia, ad Rutulorum phantasiam et ad mirationem faciendam accommodate. Vulgari oratione: classis allabitur late per totum mare. Nunc mare ipsum, quam longe prospectus patet, navibus tectum videtur adfluere ad littus cum *classibus*. Nec aliter Servius. — 270-275. De summo armorum Aeneae, quae a Vulcano erant facta, splendore cogitandum est, quem per ignem et flammam reddi sollenne est. Homero vero ipsam flammam caire fecit armis. Plura sunt Homerica loca, quae Maro ante oculos habuit, et ab otioso diligenter comparari possunt; adscribere ea non vacat: primum splendissimum illum de Diomede Iliad. ε, 4-7, quem variavit in Achille Il. σ, 205-214. Ad hunc potissimum respexisse putandus Maro. Comparandus quoque VII, 785-788. Mox va. 272 comparationem *cometae* de suo adiecit Maro: nam Il. δ, 75-77 de stellae traiectione agit, non de cometa. Maronem imitati sunt diligenter Silius lib. I, 460-464 et Claudian. de R. Pros. I, 230-234, qui Homericum locum modo laudatum ad verbum expressit. Quomodo nostri poëtae excellere et superare possint veteres, exemplum esto hoc Miltoni *Parad. Lost* lib. II, 708 sqq., ubi cometen exustum igni et ab Ophiucho consumtum flammare et coma quassa pestem et famam immittere dicit. Sed Sirii seu caniculae comparatio tota debetur Homero: Iliad. χ, 26-33 de Achille. — 270. *apex*: cogitavit λόφον, conum, cui crista inserta, et designat nunc totam omnino galeam aere coruscantem. — 272. *liquida nocte*: translate ab aëre liquido pro clara. — 273. *Sirius* est adiectivae formae. Σείριος ἀστήρ, unde h. l. *Sirius ardor* pro ipsa stella. *Ille nascitur*, oritur, *ferens*, h. e. ortu suo ille affert *sitim morbosque*, nimium aestum et febrea. Adiecta haec ad exornandam et amplificandam comparationem, ex more poëtae ad exemplum Homeri. De re hacce cf. Apollon. II, 518-524 cum Schol. et Cic. de Div. I, 54 ibiq. Davis. — 275. *laevo lumine*, noxio, ut *infelix*. — *contristat coelum*, magna cum vi, pro fulget, sed tristia portendens.

276 sqq. Turni et animus et oratio digna viro forti. — *litora praecipere*, ante capere, occupare (Vers. 278 abest cod. mediceo al.; in aliis supe-

"Vltro animos tollit dictis atque increpat ultro:"
Quod votis optatis, adest, perfringere dextra.
In manibus Mars ipse, viri. Nunc coniugis esto 280
Quisque suae tectique memor; nunc magna referto
Facta, patrum laudes. Vltro occurramus ad undam,
Dum trepidi egressisque labant vestigia prima.
Audentis Fortuna iuvat.
Haec ait et secum versat, quos ducere contra 285
Vel quibus obsessos possit concredere muros.
Interea Aeneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit. Multi servare recursus
Languentis pelagi et brevibus se credere saltu;
Per remos alii. Speculatus litora Tarcho,
Qua vada non spirant nec fracta remurmurat unda,

riori praeponitur: est huc retractus e l. IX, 127. Mox *laudesque* aut *et patrum* e codd. cum Heynio praeferam: nisi forte patrum laudes pro appositione habeas. *R.*) — 279. *perfringere*, grave verbum, pugnare cominus; cum adhuc castra oppugnasset. Dictum ut: *aciem perfringere*, perrumpere. —280. *In manibus Mars ipse*. Nunc res ad discrimen adducta. Pugnandi tempus, quod optastis, adest; in manu pugna, pugnandi opportunitas, est. Adhuc enim oppugnatio castrorum facta erat; non acie pugnatum. *laudes*, τὰ κλέα ἀνδρῶν, praeclara facta, gloriam patrum. Cf. Iliad. π, 207 sq. ο, 664 sq. — *referto* animo vel in animum revocato, memor esto, quod modo praecessit: itaque nolim accipere, exprimito, imitator. Cf. Iliad. π, 207, 208, 209 et ad sequentia Iliad. ο, 664 sqq.

288. Escensio in littus non male narrata in primis in Tarchone morae impatiente. Pontes: τὰς ἐμβάθρας et ἀποβάθρας navium dixit. — *servare recursus Languentis pelagi*. De refluxu reciprocantis maris accipi nequit: nam eum profecto nunc non exspectarunt: sed sunt *loca vadosa* littoris, non abrupta, sed declivia, in quibus deficiunt extremi fluctus; *recurrit*, currit, procurrit, adeo fluctus per magnum arenae spatium. Is locus, qui fere in sinuosis littorum plagis esse solet, est *recursus pelagi languentis*: et eadem sunt *brevia*: cf. I, 111; V, 221. Non autem animo dimittendum, agi haec in ostiis Tiberis, ubi mare sese infert aliquantum amni; turbatum vero et vento averso spirante adactum retundit amnem venientem et intra ostia late immittitur. — 290. *Per remos alii*: assumendum: terrae se credere saltu remis pro contis littore infixis, quibus nixi in littus prosiliunt.

290. Tarchon morae impatiens vel cum navium periculo in molli, qua ad littus aditum mare satis profundum daret, anfractu littoris terrae declivi impingit navem remis concitatam, ut

Sed mare inoffensum crescenti adlabitur aestu, 291
Advertit subito proras sociosque precatur:
Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis,
Tollite, ferte rates! inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina! 295
Frangere nec tali puppim statione recuso;
Adrepta tellure semel. Quae talia postquam
Effatus Tarcho, socii consurgere tonsis
Spumantisque rates arvis inferre Latinis; 300
Donec rostra tenent siccum, et sedere carinae
Omnes innocuae. Sed non puppis tua, Tarcho.
Namque, inflicta vadis, dorso dum pendet iniquo
Anceps sustentata diu fluctusque fatigat:
Solvitur atque viros mediis exponit in undis; 305

in ea considat et ipsum solum pro firmamento ac retinaculo habeat: ut nostro quoque tempore solent nautae salutis spe abiecta naufragium facere voluntarium in amico littore. Conf. Act. Ap. XXVII, 39 sqq. Feliciter res succedit ceteris molle ac limosum solum nactis, excepta Tarchonis navi. — *qua vada non spirant*, aqua non aestuat, nullos fluctus movet, ideoque scopulis non alliditur aut latentes scopulos arguit. Est enim *spirare* h. l. aestuare, inflatum esse, fluctus movere, κορύσσεσθαι. Iam Ge. I, 327 vidimus *fervetque fretis spirantibus aequor*. — 292. *crescenti aestu*. Nec hoc de aestu maris reciproco accipere liceat; ne de mari quidem tempestate moto; sed de provolutis latius maris fluctibus, qui, si locum littoris molli clivo assurgentem acceperint, eo explicant se et late exundant ideoque *crescere* videri possunt; *aestum* autem pro fluctu, ut poëta, dixit. — 295. *tollite* remos; ad motum remorum spectat: *ferte*, impellite, agite. Mox *inferre* littori. — 299. *consurgere* remis: cf. v. 208; alibi *insurgere*. — Mox 301 *siccum* de littore, ut Ge. I, 363, *In sicco ludunt fulicae*, et Homerus ξερὸν, ξηρὸν pro χέρσον Od. ε, 402. *innocuae*, illaesae: passive, ex poëtarum more. — 302, 303. *dorso iniquo*. Bene Serv. Dorsum est durior arena (θίν), quae remeantibus fluctibus plerumque densatur et in modum saxi indurescit, quod a nautis *pulvinus* vocatur. *dorsum* tale, ῥάχιν, in medio mari I, 110 vidimus. — *iniquum*, noxium, exitiosum; uti quis *in locum iniquum adductus* dicitur. Alii pro inaequali arenae cumulo accipiunt. *pendet anceps sustentata*, suspensa, se librat, agitat, quoniam sulcum nullum impressit satis altum, nec firmata carina stabilem habet sedem. Cf. Lucan. IX, 337 et totum locum. Navis *fatigat fluctus*, dum allabentes ac recedentes eos agit et versat (conf. ad lib. VIII, 94) ideoque ipsa librata fluctuum impulsu in diversas partes versatur. Magis hoc poëticum,

Fragmina remorum quos et fluitantia transtra
Inpediunt, retrahitque pedem simul unda relabens.
Nec Turnum segnis retinet mora; sed rapit acer
Totam aciem in Teucros et contra in litore sistit.
Signa canunt. Primus turmas invasit agrestes 310
Aeneas (omen pugnae!) stravitque, Latinos,
Occiso Therone, virum qui maximus ultro
Aenean petit; huic gladio perque aerea suta,
Per tunicam squalentem auro latus haurit apertum.
Inde Lichan ferit, exsectum iam matre peremta 315
Et tibi, Phoebe, sacrum, casus evadere ferri
Quod licuit parvo. Nec longe, Cissea durum
Inmanemque Gyan sternentes agmina clava
Deiecit leto: nihil illos Herculis arma

quam si *fluctus fatigat navem*. Efficitur sane sic, ut navis fatiscat. — 307. *unda relabens*, fluctus littus alluens et ex allisu remeans: qui facit, ut pedem in lubrico figere nequeant.

308. Fit pugna in ipso littore. — 310. Laudatur Attius in Hellenibus: *Signa extemplo canere et tela ob moenia offerre imperat.* — *turmas agrestes*. Ceterum *signa canunt*, i. e. classicum, quod cornu fiebat: cf. VII, 512. VIII, 2. Prudenter in Aeneam pugnantem in ipsis pugnae exordiis animos convertit poëta. — *Latinos*, cf. VII, 573-582. VIII, 8 et IX, 607 sqq. — 311. *omen pugnae* eo spectat, quod *stravit Latinos*, *turmas agrestes*: quod qui primo loco caderent, e Latinis erant. — 313. *aerea suta*, thoracem sutilem ex aere, h. e. ex aereis lamellis vel catenulis. *Scuta* vulgo lectum, sed *suta* praestant codd. optimi, medic. rom. al. Est στρέπτος χιτών, III, 467. — 314. Suberat thoraci *tunica squalens auro*, aurea. *Squalere* perperam a squamis ducitur, sed, ut *horrere* de asperitate superficiei, cuius oppositum sit *laevor* ac *nitor*, dixere poëtae, sic *squalere* videtur traductum primum ad superficiem sordido ac squalido colore vel nitore impuro, lutulento aut pulverulento inductam, qualis in piscium ac serpentum cute est; tum omnino de nitore quocunque, ut auri. Nam Accius in Pelopidis (apud Serv. h. l. et Macrob. VI, 7 f.) distinxit squalorem auri a squamis serpentis: *eius Serpentis squamae squalido auro et purpura Praetextae*. Est igitur *squalere* doctius dictum h. l. quam splendere, v. ad Ge. IV, 91. *haurit apertum* pro simplici hauril, sc. ita ut aperiat; haurit et aperit vulnere facto. De voc. *haurire* pro transfodere, sc. hauriendo sanguinem, cf. ad II, 600. — 315, 316. *Phoebo sacrum* quippe deo medico, cuius ope ex matris utero esset servatus. An verum sit, quod Servio tradente narrant alii, omnes secto matris ventre procreatos Phoebo fuisse sacros, dubito. — 317. *nec longe*; pro: nec multo post, adverbium

Nec validae iuvere manus genitorque Melampus, 320
Alcidae comes, usque gravis quum terra labores
Praebuit. Ecce Pharo, voces dum iactat inertis,
Intorquens iaculum clamanti sistit in ore.
Tu quoque, flaventem prima lanugine malas
Dum sequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cydon, 325
Dardanea stratus dextra, securus amorum,
Qui iuvenum tibi semper erant, miserande, iaceres:
Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies; septem numero septenaque tela
Coniiciunt: partim galea clipeoque resultant 330
Inrita; deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus. Fidum Aeneas adfatur Achaten:
Suggere tela mihi! non ullum dextera frustra
Torserit in Rutulos, steterunt quae in corpore Graium
Iliacis campis. Tum magnam conripit hastam 335
Et iacit: illa volans clipei transverberat aera

loci pro temporis, antique. *Serv.* Vt alias: *nec mora*, h. e. statim, inde.

321. *usque quum*, usque dum, tamdiu quam. Narratiunculas, quibus poëta nominum ac caedium factarum argumentum per se molestum Homeri exempla variat, pro se quisque notabit. Nunc Cisseus et Gyas filii sunt Melampodis: isque fuit comes Herculis, quem in haec loca secutus (VIII, 21 sqq.) restitit et consedit in Latio. Illa: *nihil illos Nec iuvere*, Homerica sunt: v. c. Il. ε, 53, 54. η, 142, 143. Mox de Pharo. — 322. *voces inertes*: quia inertis hominis et imbellis est clamare et convicia iactare, ubi pugnandu opus erat.

324 sqq. Phorcum igitur fingit poëta vel tradit septem habuisse pueros, qui pugnae intersunt. Memorantur quatuor: primus, si modo is ex hoc numero fuit, *Cydon*, amator Clytii, alter *Maeon* v. 337; tum *Alcanor* et tandem *Numitor* v. 342. — *nova gaudia* pro eo, qui amatur, τὰ παιδικά, *deliciae*. *nova* bene Serv.: quem primum tunc amare coeperat. *securus*, oblitus, in morte, nec memor amoris puerorum, qui tibi semper erat. Non diverse poëta posuerat lib. I, 350 *securus amorum Germanae*, non curans, respiciens. — 331. Ea, quae stringere poterant, *deflexit*, ut Iuno lib. IX, 725, 726 in Turno: deorum apud Homerum exemplo Il. δ, 129 sqq. ε, 187 sq. — 333. *Suggere tela mihi*: heroum Homericorum opes: hastarum copia in armario: vide omnino Il. ν, 260 sqq. Puta igitur hastas ex pugnis cum Achivis collectas et diligenter servatas Aeneam secum attulisse. *non ullum dextera frustra torse-*

Maeonis et thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor fratremque ruentem
Sustentat dextra: traiecto missa lacerto
Protinus hasta fugit servatque cruenta tenorem, 340
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor iaculo fratris de corpore rapto
Aenean petiit; sed non et figere contra
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatae.
Hic Curibus fidens primaevo corpore Clausus 345
Advenit et rigida Dryopem ferit eminus hasta
Sub mentum graviter pressa pariterque loquentis
Vocem animamque rapit traiecto gutture; at ille
Fronte ferit terram et crassum vomit ore cruorem.
Tris quoque Threïcios Boreae de gente suprema 350

rit. Homerica gloriatio Polydamantis Il. ξ, 453 sqq. — In vss. 339-341 sequamur id, quod ad fidem faciendam expeditissimum est: una hasta clipeum et thoracem ac pectus traiicit Maeonis; hasta alia ab Aenea emissa brachium Alcanoris transfigit *et traiecto lacerto fugit protinus*, porro, ulterius abit, *servatque tenorem*, nec remittit quicquam de impetu, quem ex iactu fortis viri habebat; uno verbo, brachium Maeoni suppositum fere totum rescindit, ita ut illud de humero pendeat; reliqua ad ornatum adiecta. Si de una hasta utrumque vulnus faciente accipiantur versus: primum res nimis in miraculum aucta est; tum 342 non apparet, quomodo tam alte infixa hasta e corpore evelli possit. Praestat itaque putare Alcanorem alia hasta esse percussum. — 341. Pendet ex tendinibus ac musculis, quos poëta, ut Horat. Od. I, 28, 13, *nervos* appellat, *dextera moribunda*: qualis esse solet moribundi hominis, languida. Occurrit tamen vox et propfie dicta. Ita Macrob. VII, 9 agnoscit septem nervorum συζυγίας. — 342. Color ubique Homericus, ut et in hoc versu et in sqq. — *fratris de corpore*, Maeonis puta, si una hasta; sin duae, quod verius, *Alcanoris*. *figere contra*, πῆξαι ἀντικρύ, in adverso Aeneae corpore. *magnique femur.* Simile vulnus Iliad. Θ, 302. *perstrinxit* nunc pro simplici strinxit; nam leviter strinxerat.

345. *Clausus*, qui Latinis Sabinos adduxerat: v. VII, 406. Sunt igitur Troiani, quos ille caedit. Videtur poëta in Claudiae gentis, quae ab eo originem suam repetebat, honorem hunc Clausum ornare. *fidens* pro habens, usus. ἀλκὶ πεποιθώς. Sic alibi *fidens iuventa, viribus.* Dryops, Δρύοψ. *primaevo corpore*, iuventa. — 347. *hasta graviter pressa*, impressa, dum ille ἐπερείδει. V. c. Hom. Iliad. ρ, 47. — 350. *Tres Threicios Boreae de gente suprema.* Duplex suppetit in-

Et tris, quos Idas pater et patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. Adcurrit Halesus
Auruncaeque manus; subit et Neptunia proles,
Insignis Messapus equis. Expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi: certatur limine in ipso 355
Ausoniae. Magno discordes aethere venti
Proelia ceu tollunt animis et viribus aequis;
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedunt;
Anceps pugna diu; stant obnixa omnia contra:
Haud aliter Troianae acies aciesque Latinae 360
Concurrunt; haeret pede pes densusque viro vir.
At parte ex alia, qua saxa rotantia late

terpretatio, utraque iam in Servianis proposita, nec definire licet, utra sit verior. *Boreae gens suprema* potest esse extrema terra borealia, ut venerint illi ex Thraciae partibus versus septemtrionem ultimis. Potest tamen *Boreas* etiam esse auctor stirpis, a qua ducti illi tres dici poluere: *Boreae de gente suprema* h. e. ultima, antiquissima, ut *gens* pro genere sit. Praeferam equidem alterum hoc. *Ismara* patria pro Ismarica: mons et urbs Thraciae Ismarus. Adiunaissese Troiania putandi sunt, seu tum, cum illi iis littoribus adhaerescebant, lib. III, 13, seu in ipso bello societate armorum iuncti. — 352. *Halesus*, *Auruncaeque manus* inter Turni socios v. VII, 723 sqq. et *Messapus*, qui Etruscos a Pelasgia oriundos adduxerat; ibid. 691 sq. sunt hi in Turni exercitu. — 354. *expellere*, loco depellere, movere. Laudant Iliad. μ, 417 sq.

356 sq. Comparatio proeliantium cum ventis Homero frequentata v. c. Il. π, 765-771. et Ennio ap. Macrob. VI, 2; sed nunc a Marone ita ornata, ut nihil supra cogitari possit. — 359. *Obnixa omnia contra*. Sic omnes ubique fere codd. cum Romano et Mediceo habent: quae quidem auctoritas multo maior est lectionis auctoritate apud Arusianum Messium *obnixi* venti contra omnia, quam Aldd. et Heinsius cum Heynio praetulerant. *Omnia* sunt *obnixa*, obnituntur sibi invicem, mare ventis, venti mari et sic porro. *R.* — 361. *haeret pede pes*: Notissimi versus Iliad. ν, 430 sqq. a Tyrtaeo expressi: cf. Klotz. ad Tyrtaeum II, 31-34, p. 33 et 51 post Cerdam. Ennius iam ante Maronem: *Pes pede premitur, armis teruntur arma*, et A. Furius Antias Annal. IV: *Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir*, apud Macrob. VI, 3. Alia laudant Guell., Cerda, alii; in primis Stat. Theb. VIII, 398-399: *Iam clipeus clipeis, umbone repellitur umbo; Ense minax ensis, pede pes et cuspide cuspis.* I. H. Vossius ad Virg. Ge. I, 424 sq. p. 180, *pede* pro antiquo dativo habet.

362. Arcades equites ea Pallanteo adducti et a Pallante praemissi (v

Inpulerat torrens arbustaque diruta ripis,
Arcadas insuetos acies inferre pedestris
Vt vidit Pallas Latio dare terga sequaci, 365
Aspera quis natura loci dimittere quando
Suasit equos, unum quod rebus restat egenis,
Nunc prece nunc dictis virtutem adcendit amaris:
Quo fugitis, socii? per vos et fortia facta,
Per ducis Evandri nomen devictaque bella 370
Spemque meam, patriae quae nunc subit aemula laudi,
Fidite ne pedibus! Ferro rumpenda per hostis
Est via. Qua globus ille virum densissimus urguet,
Hac vos et Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt; mortali urguemur ab hoste 375
Mortales; totidem nobis animaeque manusque.
Ecce, maris magna claudit nos obiice pontus;

238, 239) alia ex parte Rutulos adorti erant (nec opus erat, ut poëta commemoraret, quomodo Tiberim traiecissent) et duce Pallante pugnabant ea parte littoris, qua torrens in Tiberim (*torrens* enim non est Tiberis) exierat; itaque equi in lubrico et aspero solo consistere non poterant: quare iis relictis pedites pugnabant; verum, cum pedestri pugnae parum assueti essent, loco cedebant, cum ecce Pallas eos increpat. Cur Arcades equites tantum adducti fuerint, disputatum est ad lib. VIII, 518, 519. *rotantia se*, ut Ge. I, 163, *volventia* etc. — 365. *Latio*, Latinis et Rutulis. — 366. *quis... quando*, quandoquidem natura loci aspera et impedita adduxerat eos, ut equis descenderent. — 367. *rebus egenis*, dubiis, egentibus consilii, ut inopia absolute pro inopia consilii. Sic quoque VI, 91 et Homero ἀμηχανίη pro ἀπορίᾳ. — 368. Comparant Il. μ, 267-268. λ, 232-240.

369. Oratio Pallantis plena fiduciae et indignationis, sed qualis iuvenem, qui nondum propriam laudem habebat, decere poterat. *devicta bella* nove dixit: ut pugnata bella, depugnata. — 371. *subit*, succedit, fit; *aemula laudi*, qua virtutem paternam aemulor. — 374. *Hac vos*. Vt in patriam redeatis et me incolumem reducatis, non fuga quaerendum est, sed hac turma perrupta. — 375. Comparant Il. φ, 568, 569, et ad v. 376, Il. ν, 814. — 377. *Ecce maris*. Nec mari nec terra fugae locus patet. Mari inclusi sumus; nec est, quo tendere possimus, nisi ut aut in mare immittamus nos aut in castra ab hoste obsessa, qui ab aditu nos intercludit. Cf. egregia dicta Aiacis Il. ο, 504 sq. et altera 734 et 740, ubi πόντῳ κεκλιμένοι est castra habentes

Deest iam terra fugae. Pelagus Troiamne petemus?
Haec ait et medius densos prorumpit in hostis.
Obvius huic primum, fatis adductus iniquis, 380
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua spina dabat; hastamque receptat
Ossibus haerentem. Quem non super occupat Hisbo,
Ille quidem hoc sperans: nam Pallas ante ruentem, 385
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis
Excipit atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Sthenelum petit et Rhoeti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercae.
Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis, 390
Daucia, Laride Thymberque, simillima proles,
Indiscreta suis gratusque parentibus error;
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:
Nam tibi, Thymbre, caput Evandrius abstulit ensis;
Te decisa suum, Laride, dextera quaerit; 395

in extremo littore. *maris* h. e. undarum. — 378. Pelagusne an Troiam. *Troiam novam*, castra Troianorum, quae adhuc pars copiarum Turni obsidebat, v. 268. Conf. IX, 130 sq. — 382, 383. Verbo: vulnus hasta factum, qua parte spina per medium dorsi inter costas procedit: quae intervallis inter se diremtae spinae adhaerent. — 384. *Hisbo* sperabat se Pallanti, ante quam ille hastam e Lagi corpore reciperet, vulnus illaturum esse. *super* aut est interea, super hoc, dum in eo occupatur; aut est desuper. Pallanti inclinanti se ad recipiendam hastam vulnus desuper inferre volebat Hisbo: sed id antevertit Pallas et ex inferiore loco ensem in eius corpore figit. — 388, 389. Praeclara hic Servii nota est, qui ex Avieno et Alexandro Polyhistore, quem ille sequutus videtur, haec narrat: Rhoetus Marrubiorum (Marsorum, v. VII, 750) rex Anchemolo filio Casparism novercam superinduxerat, quam privignus stupravit, poenaeque et irae paternae metu ad Daunum confugerat, Turni patrem. Quo exemplo probabile fit, alia quoque huius generis memorari a poëta ex antiqua fama et scriptoribus rerum Italiae servata. — 390, 391. *Daucia proles*. Fuit ergo Daucus aliquis, cuius filii Larides et Thymber vel Thymbrus. — 392. Vt ne a suis quidem parentibus discerni possent. Imitationes notavit Cerda Silii lib. II, 636-639 et ad 649 Lucan. III, 603-608. Add. Statii Theb. VI, 340-345. IX. 292-295. Valer. Fl. I, 367, 368.

Semanimesque micant digiti ferrumque retractant.
Arcadas adcensos monitu et praeclara tuentes
Facta viri mixtus dolor et pudor armat in hostis.
Tum Pallas biiugis fugientem Rhoetea praeter
Traiicit. Hoc spatium tantumque morae fuit Ilo : 400
Ilo namque procul validam direxerat hastam,
Quam medius Rhoeteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens fratremque Tyren : curruque volutus
Caedit semanimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut optato ventis aestate coortis, 405
Dispersa inmittit silvis incendia pastor;
Conreptis subito mediis extenditur una

Claudiani de IV Cons. Honor. 206-211. — 396. Bona Servii et haec nota est, « Ennii esse versum : *Oscitat in campis caput a cervice revulsum, Semanimesque micant oculi lucemque requirunt.* Quem versum ad suum carmen transtulit Varro Atacinus. » Luserc hinc alii in hoc plus quam par erat. V. ap. Guell. Cerdam et Burm. Quanto simplicius Homerus Iliad. ε, 81, 82.

399 sq. Pallas Rhoeteum, *praeterfugientem* bigis, ne a Teuthrante et Tyre fratribus interimeretur, hasta traiicit. Ita Ilus mortem effugit, quem Pallas hoc telo petierat. — 400. *hoc spatium tantumque morae fuit Ilo.* Si interpungimus, ut feci, *spatium* est temporis idemque quod mora, tantum spatium tantumque morae fuit Ilo, donec et ipse interficeretur. Sin interpunctio tollitur, iunctura est : *hoc tantumque spatium fuit Ilo morae*, casu tertio, meratum est mortem. — 404. Sic et 731 *calcibus atram Tundit humum exspirans.* ἀφαΰζει, λακτίζει. Quod *Rutulorum arva* pro solo Latino posuit, ornatus causa fecit. — 405 sq. Comparatio ad Homericum exemplum concinnata Il. λ, 155-157, forsan etiam ν, 490 sqq. Supra similem locum vidimus lib. II, 304 et Ge. II, 303 sq., in quibus vel incauto vel ignaro pastore incendium exoritur. Hoc autem loco pastor volens lubensque silvam incendit et flamma laetatur : quod aut stultum aut facinorosum hominem prodit; et quorsum omnino hoc pertinet, ut quis in media aestate incendat silvas? Hoc quidem quomodo placere et quomodo poëtae excidere potuerit, non video. Verum nec poëtae culpa ea est, sed interpretum, qui silvam non meminere esse h. l. stipulas agri demessi, quas pastor aeu omnino agrestis ad solum recreandum incendit. Sic *silvam* dixit Maro de leguminum calamis Ge. I, 76 et de herbis lib. I, 152. Et hoc sensu expressit locum Lucan. quoque IX, 182 sq. — Iam v. 405 *optato* est ex voto. — 406. *dispersa* epitheton ab eo, quod sequitur, sumtum : quod se dispergit incendium, non quod diversis locis pastor fecit. — 407. *correptis mediis*:

Horrida per latos acies Volcania campos;
Ille sedens victor flammas despectat ovantis:
Non aliter socium virtus coït omnis in unum 410
Teque iuvat, Pallà. Sed bellis acer Halesus
Tendit in adversos seque in sua conligit arma,
Hic mactat Ladona Pheretaque Demodocumque;
Strymonio dextram fulgenti deripit ense
Elatam in iugulum; saxo ferit ora Thoantis 415
Ossaque dispersit cerebro permixta cruentó.
Fata canens silvis genitor celarat Halesum;
Vt senior leto canentia lumina solvit,
Iniecere manum Parcae telisque sacrarunt
Evandri. Quem sic Pallas petit ante precatus: 420
Da nunc, Thybri pater, ferro, quod missile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Halesi.

eleganter ad interiora penetrare ignem dixit. Reliqua v. 407, 408 ornatissima, comparatione incendii cum pugna facta: unde et mox *flammas ovantes*, quasi successu exsultantes, dicere ausus est. — 409. *victor*: bene Serv.: voti compos, ἐπιτυχών. Est autem vis et momentum comparationis in hoc, quod in stipula flamma uno loco exorta confestim late spargitur, et nunc pugna semel a Pallanta incepta extemplo ab Arcadibus collectis late per hostiles turmas propagatur. — Nunc 410 *in unum* locum conglobant se pugnantes Arcades. — 411. Halesus Auruncorum dux, in Turni agmine, v. paullo ante v. 352. — 412. *seque in sua colligit arma*. s post scutum se clausit (sc. tegit scuto, quo tela excipiat): sic et XII, 491, *Substitit Aeneas seque in sua colligit arma*. s Serv. Est Homericum συστάλτις ἐν ἀσπίδι vel ὑπ' ἀσπίδος. — 415. *Elatam in iugulum*: iugulo suo vulnus minantem. *Serv.* Fetebat Strymonius ense vel asta iugulum Halesi. Sunt hi Troiani. — 417. Ergo Halesi parens erat vates, qui filium, cuius fata praevidebat, eduxit, quoad viveret, in silvis. Similis locus Il. β, 830 sqq. At vix ille e vivis excesserat, cum filius in bellum procedit. — 418. *lumina canentia* audacter pro senilibus seu senis canentis; sed canent supercilia, tempora, ipsae genae. — 419. In altero iuris, in altero sacrorum vocabulo usum poëtam observat Servius: *Manus*, inquit, *iniectio, quotiens nulla iudicis auctoritate exspectata rem nobis debitam vindicamus*. Agnoscas facile verba iuris. Alterum ductum ex eo, quod diis inferis vel Manibus sacrati dicuntur, quibus moriendum est. Obvium in primis in Tragicis, cf. Macrob. III, 7 (Homerus praeiverat Il. β, 834, et Hesiod. Scut. Herc. 253. *R.*) *tela Evandri* dixit Pallantis hastam, quia a

Haec arma exuviasque viri tua quercus habebit.
Audit illa deus: dum texit Imaona Halesus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum. 425
At non caede viri tanta perterrita Lausus,
Pars ingens belli; sinit agmina: primus Abantem
Oppositum interimit, pugnae nodumque moramque.
Sternitur Arcadiae proles; sternuntur Etrusci;
Et vos, o Graiis inperdita corpora, Teucri. 430
Agmina concurrunt ducibusque et viribus aequis.
Extremi addensant acies; nec turba moveri
Tela manusque sinit. Hinc Pallas instat et urguet,
Hinc contra Lausus, nec multum discrepat aetas,
Egregii formae; sed quis fortuna negarat 435
In patriam reditus. Ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator Olympi:
Mox illos sua fata manent maiore sub hoste.
Interea soror alma monet succurrere Lauso
Turnum, qui volucri curru medium secat agmen. 440
Vt vidit socios: Tempus desistere pugnae;

patre acceptam attulerat. — 424. Halesus clipeum praetendens amico Imaoni suum ipsius pectus nudat, ut Pallantis hastae obnoxium esset.

426. Lausus Mezentii filius (VII, 649) nunc prodit, amabilis et Pallanti haud prorsus dissimilis iuvenis: is *non sinit agmina* esse *perterrita* Halesi morte. — 427. *pars ingens belli*, h. e. pugnantium. *Abas* est is, de quo X, 460, *una torvus Abas*. — 428. *nodum pugnae*, non de densa acie ac militum globo; sed a nodo arboris sub cuneo petitum: de eo accipe, qui fortunam belli diutissime sustinet, longissime resistit, ἐτραχλεία νέκυν sua virtute facit. Itaque adiectum *moram*. Sic in noto illo: *belli mora concidit Hector*, conf. ad IX, 155. — 430. *Et vos*, Versus affabre factus et verbis et vi sententiae ad miserationem compositae. — 432. Qui in extremis ordinibus collocati sunt, urgent priores ordines, ideoque condensant aciem, ut arma vix moveri possint.

439. Vt Pallanti dignus adversarius obiiciatur, evocatur Turnus. *soror alma*, Iutuma nympha; de qua tamen nondum mentio facta: sed v. XII, 739 sq. In memoriam revocandum est binis eum maxime locis pugnari, primo qua parte Aeneae classis appulerat; hic Turnus pugnabat: altero loco, ubi Pallas cum equestri turma pugnabat equis relictis 362 sq. Ad hanc igitur pugnam advolat Turnus, ut succurrat; itaque, *ut vidit*

Solus ego in Pallanta feror; soli mihi Pallas
Debetur; cuperem ipse parens spectator adesset.
Haec ait, et socii cesserunt aequore iusso.
At Rutulum abscessu invenis tum, iussa superba 445
Miratus, stupet in Turno corpusque per ingens
Lumina volvit obitque truci procul omnia visu
Talibus et dictis it contra dicta tyranni:
Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis
Aut leto insigni. Sorti pater aequus utrique est. 450
Tolle minas! Fatus medium procedit in aequor.
Frigidus Arcadibus coit in praecordia sanguis.
Desiluit Turnus biiugis; pedes adparat ire
Comminus: utque leo, specula quum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem in proelia taurum, 455

socios suos qui hac parte pugnabant, iubet eos pugnam cum Pallante soli sibi servare. — 443. *debetur* a fato. — *parens* meus, Daunus. Servius tamen de Evandro, Pallantis patre, exponit, cf. II, 538, 539. — 444. *cesserunt aequore iusso* ipsi, ut XII, 696: campo, quo ipsi iussi erant cedere. — 445 sqq. Pallantis personam egregie tuitus est poëta; immota iuveni mens in tanto discrimine ele. fuge: *at tum iuvenis*, *R. discessu*, *miratus*, *stupet in Turno*, in Turni obtutu fixus. — 447. *omnia* dixit pro: totum Turnum. — 449, 450. Ornatius quam Homericum ἔλοιμί κεν ἢ κεν ἁλοίην (h. e. ἁλοίην) Il. χ. 253. Sententiam alibi aliter variavit Homerus: Il. ν, 487. ο, 502, 522. Macrobius lib. VI, 1, ex Attii Armorum iudicio ductum esse versum dixit: *Nam tropaeum ferre me a forti viro pulcrum est; Si autem et vincar, vinci a tali nullum est probrum*. — 450. *Sorti pater aequus utrique*, scil. ferendae par est: is est pater, qui utramque fortunam, et victoriae et mortis gloriosae, aequo animo ferat, ut fere Serv. Dixerat enim, ait Servius, Turnus v. 443: *cuperem ipse parens spectator adesset*. — 453. *Desiluit*, ut par pari congrederetur: ita enim heroicae vitae lex fert. — 454. Comparationes a leone sumtae multae similes sunt ap. Homerum Il. ο, 630. π, 487, 823. υ, 164. χ, 485. λ, 113. τ, 161. Cf. ad v. 729, sed novum in Marone hoc, quod a *specula* h. e. montis vertice, ἐκ σκοπιᾶς, prospicit, et quod taurum *meditantem in praelia* videt. Imitatorem Silium cf. lib. V, 309-315: Statium VII Theb. 670 sqq. — *meditantem in praelia*, h. e. parantem se ad pugnam, v. e. spargendo arenam pede, ictum cornu minando, dicta dixit; ut *proludere in pugnam*, *audere in praelia* lib. II, 347, *irasci in cornua* Ge. III, 232 et XII, 104, *proludere ad pugnam* iisdem locis. Scilicet ad exquisitiorem formam sic processit poëta: *meditari*, exercere se, *aliqua in re* et *aliquam ad rem*;

Advolat; haud alia est Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum missae fore credidit hastae,
Ire prior Pallas, si qua fors adiuvet ausum
Viribus inparibus, magnumque ita ad aethera fatur:
Per patris hospitium et mensas, quas advena adisti, 460
Te precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis.
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides iuvenem magnumque sub imo
Corde premit gemitum lacrimasque effudit inanes. 465
Tum Genitor natum dictis adfatur amicis:
Stat sua cuique dies; breve et inreparabile tempus
Omnibus est vitae: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Troiae sub moenibus altis
Tot gnati cecidere Deum; quin occidit una 470
Sarpedon, mea progenies. Etiam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad aevi.
Sic ait atque oculos Rutulorum reiicit arvis.

hoc alterum elegantius extulit, *in reni*. — 457, 458. Vbi intra teli iaclum venisse Turnum vidit, praevertere et occupare decrevit Pallas, si qua ratione fortuna adiuvet se; pro *se* dixit *ausum imparibus viribus*.

460. De hoc VIII, 362, 363. — 462; 463. Ornate. *Cernat Turnus* se spoliari et ferat, sustineat videre me victorem. — 465 sqq. Variavit et ornavit Maro ea, quae in Sarpedonis morte Homerus praeclare memoraverat Il. π, 431 sqq. et in Hectore Il. χ, 468 sqq. Alios imitatores passim Maro habuit. Vnum laudat Burm. Flaccum lib IV, 144 sqq. — 467. *Stat*, est, praefinita, constituta est, *sua cuique dies*, τὸ μόρσιμον ἦμαρ apud Homerum. — 468. *famam extendere factis*, τὸ κλέος. Lib. VI, 807 erat, *virtutem extendere factis*. Est idem quod alias: *vitam extendere factis, meritis*. Sententia autem verss. 467, 468, 469 ex Homero inhaesit fortasse poetae animo Odyss. τ, 328-334; sed multo suavius ea reddita verbis numerisque. Tum petita est sententia ex intimo animi humani sensu: in tanta vitae brevitate tui saltem memoriam post mortem aliquamdiu superesse mortalium quisque exoptat inter suos, amicos, populares: factis autem praecaris ac virtutibus generosissimus quisque et latius amplius et diutius et in perpetuum idem consequi cupit. — *irreparabile* h. l. quod renovari, iterari nequit. — 469 sqq. Color ex Hom. in sententiis paullo diversis Odyss. 7, 108 sqq. Alii comparant ex Il. σ, 117, 118, 119 Achillis verba. — 473 *reiicit* quasi retro iacit, πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινώ pro vulgari

At Pallas magnis emittit viribus hastam
Vaginaque cava fulgentem deripit ensem. 475
Illa volans, humeris surgunt qua tegmina summa,
Incidit atque, viam clipei molita per oras,
Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.
Hic Turnus ferro praefixum robur acuto
In Pallanta diu librans iacit atque ita fatur: 4
Adspice, num mage sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat; at clipeum, tot ferri terga tot aeris
Quum pellis totiens obeat circumdata tauri,
Vibranti medium cuspis transverberat ictu

retorquet, avertit: tamquam a spectaculo ingrato, quod impedire nec vult nec potest. Grammaticorum argutiae super causa, cur dii vultum avertant, alienae sunt. Conf. XII, 154 et 841.

476, 477. Variant codd. et edd. inter *humeri* et *humeris*. Si, ut vulgo faciunt, accipimus de thorace, nil refert, utro modo legamus. Sed, ut de thorace accipi possit, vereor; ita enim *hasta*, *quae in humerum incederat*, mox per clipei oram, ἄντυγα, adacta tandem corpus strinxit: quod quomodo fieri potuerit, nemo facile dicat. *Tegmina* nulla alia esse possunt quam *clipeus*; ut eandem rem amplificet: *tegmina summa* et *oras clipei*. In hac interpretatione, quam et perspicuitas et oratio poëtica dativum genitivo praeferens postulat, praestat *humeris* legere: hasta incidit ea parte, *qua tegmina summa surgunt humeris*, qua extrema clipei ora humeris praetenditur, in summa clipei parte: ἄντυγ' ὑπὸ πρώτην, ᾗ λεπτότατος θέν χαλκός, ut Iliad. υ, 275, atque eo traiecto (*viam molita per clipei oras*) etiam Turni humerum stringit: ἀκρότατον... ἐπέγραψε χρόα φωτός Il. δ, 139, quem locum a v. 134 nunc Maro ante oculos habuit. Similiter 589 ab inferiore parte *hasta subit per horas imas clipei* Lucagi stantis in curru, *tum* (h. e. ora clipei traiecta) hasta *perforat inguen lacrum*, imam ventris partem in sinistro latere. Tenendum autem animo, ἄντυγα clipei tenuiorem esse umbone faciliusque perforari posse. — 478. *strinxit de corpore*. Heinsius nec ipse habebat, quomodo expediret τὸ *strinxit de*, et conj. *strinxit se*; at mox *stringit* absolute pro se stringit, stringitur, dictum accipit: non video quo sensu. Non veniebat in mentem viris doctis esse hoc graecum: τοῦ σώματος ἐπέξεσεν, ἐπέγραψε, sc. μέρος τι. Sic *strinxit de corpore*, sc. partem. — 479. *robur ferro praefixum* est Homericum ἄλκιμον ἔγχος ἀκαχμένον ὀξέϊ χαλκῷ. Pallas exiguarum virium conscius corporis partem nudatam in Turno petierat; Turnus viribus confisus medium Pallantis clipeum traiicit. Mirantur sic animum alterius, alterius robur. — 481. Color orationis ex Il. λ, 384, 391, 392. *penetrabile t.* active, ut Ge. I, 93: *penetrabile frigus*. — 483. Variavit structuram, ne eodem

Loricaeque moras et pectus perforat ingens. 485
Ille rapit calidum frustra de volnere telum:
Vna eademque via sanguis animusque sequuntur.
Conruit in volnus; sonitum super arma dedere;
Et terram hostilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus super adsistens: 490
Arcades, haec, inquit, memores mea dicta referte
Evandro: Qualem meruit, Pallanta remitto.
Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est,
Largior. Haud illi stabunt Aeneia parvo
Hospitia. Et laevo pressit pede talia fatus 495
Exanimem, rapiens inmania pondera baltei
Inpressumque nefas (una sub nocte iugali

tenore sequeretur: tot laminas ferri et aeris (πτύχας Homerus dixit), *tot tauri terga*, h. e. tot coria, quibus clipeus erat indutus, et ipsam loricam ac pectus perforat telum.

485. *pectus ingens* Pallantis tamquam fortis et magnanimi iuvenis. Male argutatur Servius et alii, *ut cuspis ingens* iungatur. — 487. *animus* pro anima. Θυμὸς pro ψυχή. — 488. *in vulnus*; hastae gravi pondere. Sed et omnino cum Lucretio IV, 1042: *Namque omnes plerumque cadunt in vulnus*. Reliqua sunt Homericum notissimum: ἀρόβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ vel ἀμφὶ δέ οἱ βράχε τεύχεα ποικίλα χαλκῷ. Monenda haec sunt, ne praeteriisse videar. Expresserant Homerum iam ante Marcem Ennius et Furius Antias apud Macrob. VI, 4 et Vrsin. — 489. Sic Silius V, 526 et IX, 383, ubi, *appetere ore, morsu terram* in simili re occurrit: *mordere* et *mandere humum* XI, 418. 669. Homericum ὀδὰξ ἑλεῖν οὖδας, quid hoc aliud quam capere, petere? Simpliciter autem accipiendum: eum pronum terram ore petiisse, concidisse, ore *cruento:* nam vulnere tali accepto, ore et naribus sanguis erumpit. — 490. Ferocitas veteris aevi ex Homero adumbrata, ut insultet caeso victor: at non in hoc versu; nam *super adsistens* est simpl. adstans, ipse stans, alteri iacenti, sed v. 495: *laevo pressit pede*, λὰξ προσβάς, λὰξ ἐν στήθεσι βαίνων, ut balteum exueret. In hoc tamen generosa Turni indoles ad amorem sui pellicit, quod corpus humandum concedit Arcadibus. — 492. *Qualem meruit*, i. e. qualem Evander meruit, ut sibi remitterem filium, vel, hocque melius, qualem Pallas meruit, ut se remitterem, h. e. ut dignus erat audax adolescens. Prius sequuntur fere Inpp. idque ex sqq. adstruunt. At male eum irrisione dictum putant: Sic par erat te ex pugna dimitti. *qualem*: ὅσον pro ὡς, sc. sic, ut corpus humi mandandum concedatur.

497, 498. Brevitatis et varietatis ideoque et suavitatis studio structuram orationis, quam orsus erat, de-

Caesa manus iuvenum foede thalamique cruenti)
Quae Clonus Eurytides multo caelaverat auro:
Quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus. 500
Nescia mens hominum fati sortisque futurae
Et servare modum, rebus sublata secundis!
Turno tempus erit, magno quum optaverit emtum
Intactum Pallanta et quum spolia ista diemque
Oderit. At socii multo gemitu lacrimisque 505
Inpositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor atque decus magnum redituro parenti!
Haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert,
Quum tamen ingentis Rutulorum linquis acervos!
Nec iam fama mali tanti sed certior auctor 510
Advolat Aeneae, tenui discrimine leti

serit poëta et a quarto ad primum casum transit. Erat enim impressa *manus iuvenum*, L. Aegyptii filiorum exculptum balteo *nefas Danaidum* nocte nuptiali suos sponsos interimentium praeter Lyncea ab una ex illis Danai filiabus, Hypermnestra, servatum: cf. Apollod. II, 1, 4. not. Sic V, 586: *Cratera impressum signis:* cui signa impressa erant, etsi exculpta dixit. Et illustrandus hinc versus VIII, 731, *attollens humero famamque et fata nepotum* h. e. clipeum exculptis rebus a posteris gestis insignem. Idem Danaidum argumentum in clipeo copiosius exsculpsit Statius Theb. IV, 132-135. Cur in hoc argumentum incideret poëta, quaerendum non est: casus obtulisse illud putandus. — 499. Quod artificis nomen adlicit, ut poëta facit, Homeri quoque exemplo. Artis enim praestantiae fidem hoc facit. — 504. Quae hic, etiam vs. 507-509 de suo adiicit poëta, et egregiam sententiam habent et, dum futura anticipat, animum exspectatione futurorum erigunt. v. XII, 940 sqq. Hinc poëtae certatim hoc artificio usi sunt. — 502. *sublata* poëtae est, quod vulgo *elata*. — 503, ut lib. II, 104: *magno mercentur Achivi*. Comparandus ad rem similis de Hectore Patrocli spoliis ovante locus Il. *ρ*, 193-204 sq. — 507. *dolor atque decus*. Sumserunt hinc alii passim. Inprimis Martialis XI, 14, *Romani decus et dolor theatri:* sic V, 49, 50, *quem semper* acerbum, *semper* honoratum etc. — 509. Dicta haec ad vulgarem hominum sensum. Meliora supra praemiserat: *Stat sua cuique dies*. Ita poëtae assuefaciunt animos nostros, ut, quae in utramque partem disputari possint, videamus et reputemus: et hactenus sunt sapientiae magistri, praeceptores humani generis.

510. Pugnabat Aeneas in altero agmine 340-364, ut interea locus esset pugnae Etruscorum et Pallantis a poëta exponendae. Nunc autem Aeneae virtute res indigent. *tenui discri-*

Esse suos: tempus versis succurrere Teucris.
Proxima quaeque metit gladio latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro te, Turne, superbum
Caede nova quaerens. Pallas, Evander, in ipsis 515
Omnia sunt oculis; mensae, quas advena primas
Tunc adiit, dextraeque datae. Sulmone creatos
Quatuor hic iuvenes, totidem, quos educat Vfens,
Viventis rapit, inferias quos inmolet umbris
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas. 520
Inde Mago procul infensam contenderat hastam.
Ille astu subit (ac tremebunda supervolat hasta)
Et genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios Manis, per spes surgentis Iuli
Te precor, hanc animam serves natoque patrique. 525
Est domus alta; iacent penitus defossa talenta

mine leti, modico mortis interstitio, Serv. h. e. parum abesse suos ab extrema clade. — *letum* pro exitio, strage copiarum. — 513. *latum limitem agit*. Elegans translatio a vacuo spatio ad viam et actum inter duo agros relicto petita: conf. IX, 323. A Marone mutuatus est Silius lib. IV, 463, 464. *Agere limitem* autem proprie dicitur pro facere. V. Gronov. ad Taciti German. 29. — 516. *mensae quas*. Respicit lib. VIII, 102, 175 sq.

518. *Vfens*: is scilicet, de quo VII, 745. VIII, 6; ut Sulmonem hominem supra vidimus IX, 412. Malim tamen de hominibus e Volscorum gente Vfentis fluvii accolis accipere: ut *Sulmonem* de Peignorum oppido. — 520. *captivoque* h. e. captivorum, pro: et quorum sanguine etc. In ulciscendo Pallante et mox in eo sepeliendo Achillem, qui Patrocli caedem ulciscitur eique inferias facit, Maroni ante oculos fuisse constat. Ad idem exemplum Achillis nunc octonos iuvenes inferias Pallanti destinat et lib. XI, 81, 82 immolat Aeneas. Nondum igitur ea aetate metuendum fuit Maroni, ne displiceret immane facinus lectoribus: nec Aeneas, ubi ira ad furorem actus summa cum crudelitate supplicem ac pretium offerentem Magum v. 523 sqq. obtruncat et Tarquiti cadaveri insultat vs. 555 sq., ad Romanorum sensus videri debuit inhumaniter et impie egisse; etsi hoc ad nostrum sensum aliter se habet. Mihi quidem displicet manifesta nimium imitatio Homeri Iliad. φ, 26 sqq. ψ, 175 sqq.

521 sqq Rerum aperta sed ornata imitatio loci Homerici Il. φ, 67 sqq. — *Mago*, in Magum, ut toties, *subit*, ὑπεδύσαμ. *supervolat*, ὑπέρπτατο. *Et genua amplectens*: apud Homerum plus miserationis: altera εἷλον ἐλλισσετο γούνων; altera hastam Achillis retinet. — 526. Duxit haec ex alio loco simili Iliad. ζ, 46 sqq. adde Iliad.

Caelati argenti; sunt auri pondera facti
Infectique mihi. Non hic victoria Teucrum
Vertitur; aut anima una dabit discrimina tanta.
Dixerat, Aeneas contra cui talia reddit: 530
Argenti atque auri memoras quae multa talenta,
Gnatis parce tuis. Belli commercia Turnus
Sustulit ista prior iam tum Pallante peremto.
Hoc patris Anchisae Manes, hoc sentit Iulus.
Sic fatus galeam laeva tenet atque reflexa 535
Cervice orantis capulo tenus adplicat ensem,
Nec procul Haemonides, Phoebi Triviaeque sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta,
Totus conlucens veste atque insignibus armis:
Quem congressus agit campo labsumque superstans 540
Inmolat ingentique umbra tegit; arma Serestus
Lecta refert humeris tibi, rex Gravide, tropaeum.

x, 378 sqq. — *dabit* pro faciet, ut et alibi, et δώσει. Male vero poëtam ad grammaticam subtilitatem revocant Interp. post Servium, ut tria genera auri, argenti aerisque: *signatum* (in numis), *fictum* (in vasis et signis) *infectumque* (rude, grave, in massis) exprimere debuerit. *Argentum caelatum* est in vasis opere ectypo elaboratis, ut *aurum* factum quoque; et *talenta* simpliciter pro ponderibus dixit. — 534. Sententiam versus ornavit Claudian. de B. Getic. 604-615. — In vs. 532, 533 ornavit Homerica l. c. Iliad. φ, 99 sqq., et in vss. 534, 535 ibidem 415 sqq. *parce gnatis tuis* pro serva, ut apud Lucilium et Ennium invenitur: Servio monente. — *belli commercia*, redemtionem captivorum. — 534. Eandem Anchisae Manium et Iuli sententiam esse aio. Respicit ad preces. v. 524, 525.

537. Haemonides et ipse e Latinis, Apollinis et Dianae sacerdos, inter pugnantes tamen e more veterum aetatum, non conscripto hoc hominum genere in ordinem aliquem, qui ab armis et praeliis vacaret. Est autem extra regimen positum: *nec procul Haemonides*, sequente: *Quem congressus agit*, pro vulgari: Nec procul cum Haemonide congreditur et eum agit. Faciunt haec ad variandam orationem; variata autem oratione tollitur taedium, nascitur voluptas. — 541. *ingentique umbra tegit*, sc. super adstans ipse vir ingens clipeum manu tenens et inclinans se, ut spolia legat. Ita accipio, nec aliter accipi posse puto. Ordo verborum simplicior erat: *lapsum immolat superstansque ingenti umbra tegit*. Sane de morte alii accipiunt, ut sit σκότος ὅσσ' ἀκάλυψεν, et quae similia alia apud Homerum occurrunt. At enim *noctem*, *umbram*, *tegere oculos* recte dixeris: quis vero

Instaurant acies Volcani stirpe creatus
Caeculus et veniens Marsorum montibus Vmbro:
Dardanides contra furit. Anxuris ense sinistram 545
Et totum clipei ferro deiecerat orbem;
Dixerat ille aliquid magnum vimque adfore verbo
Crediderat coeloque animum fortasse ferebat
Canitiemque sibi et longos promiserat annos.
Tarquitus exsultans contra fulgentibus armis, 550
Silvicolae Fauno Dryope quem nympha crearat,
Obvius ardenti sese obtulit. Ille reducta
Loricam clipeique ingens onus inpedit hasta;

ferat: *tegere aliquem umbra?* et tum *umbra ingenti?* Arma detracta dat Serasto absportanda: ex more v. e. Il. π, 663-665.

543. *Instaurant acies* puto simpl. succedunt in pugnam cum Aenea. *Caeculus* VII, 678-681. — *Vmbro* ibid. 750-752. Cudunt vero h. l. sibi difficultates et molestias Intpp. alius aliter, dum non ad Anxurem, sed ad Vmbronem sqq. referunt. Perperam. Brevitati studens poëta, ne rem eandem vicies repetat, non addit Caeculum et Vmbronem fuisse caesum: latet tamen hoc in *Dardanides contra furit*; pergit ad Anxurem, sed variata oratione, ut eum iam ante caesum dicat et narrationem de eo subiungat; nam *deiecerat* sc. *Dardanides*, Aeneas, abstiderat Anxuris manum una cum clipeo, quem tenebat. *Dixerat illa* sc. Anxur, insolentius increpuerat Aeneam: *aliquid magnum*, verba superba, ἔπος μέγα. — 548. *coeloque animum fortasse ferebat*. Singulare dictum hoc. *Ferre coelo* pro: ad coelum efferre, alias vidimus iam poëtae frequentatum de superbia et arrogantia; et fortasse ille arrogantiorem se gesserat, dum de Aeneae victoriam et longam vitam sibi promiserat. Adumbravit h. l. Silius lib. II, 403 sqq. et ibid. 411, ut mox noster 550. Vt universe rem enucleem: Ex solleuni poëtarum usu et hominum sensu, quem in rudi quoque ingenio deprehendes, quae *alta* sunt, *coelum attingere* dicuntur. I, 162, *gemini mouantur in coelum scopuli*. III, 678 Cyclopes *coelo capita alta ferentes* et sic centena. Nec aliter Graeci, inprimis tragici ac lyrici; illustrat τὸ στηρίζειν οὐρανῷ Valkenarius ad Euripid. Hippolyt. 1106. Iam tropice hoc transfertur modo *ad gloriam*, ut Horat. *sublimi feriam sidera vertice*, modo ad gloriae opinionem ac persuasionem, hoc est, *ad superbiam, iactantiam, ostentationem*, ut h. l., modo *ad laudes*, quibus quis aliquem supra vulgus effert.

550. Tarquito primo statim congressu thoracem cum clipeo hasta Aeneae perforat. *exsultans* simpl. prosiliens, ut soleni ei πρόμαχοι. — 552, 553. *Ille*, Aeneas (non Tarquitus), *hasta reducta*, quam reduxerat (conf. ad IX, 423, ideoque magna cum vi immiserat, *inpedit loricam clipeique onus*, transfigit Tarquiti clipeum et

Tum caput orantis nequidquam et multa parantis
Dicere deturbat terrae truncumque tepentem 553
Provolvens super haec inimico pectore fatur:
Istic nunc, metuende, iace! Non te optima mater
Condet humi patriove onerabit membra sepulcro:
Alitibus linquere feris, aut gurgite mersum
Vnda feret piscesque inpasti volnera lambent. 560
Protenus Antaeum, et Lucam, prima agmina Turni,
Persequitur fortemque Numam fulvumque Camertem
Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri
Qui fuit Ausonidum et tacitis regnavit Amyclis.

loricam, sic ut infixa hasta haereret nec retrahi facile posset; hinc Aeneas arrepto statim ense caput deiicit (Servius *inpedit:* non permisit usui esse ad protegendum Tarquitum. Nec aliter Cerda). Est autem exquisite dictum: Tarquiti *loricam et clipeum inpedit* Aeneas *hasta*, pro vulgari: *hastam inpedit lorica:* nam hasta impedita et fixa tenetur; sicque et ipse clipeus impeditus est nec libere regi ac moveri potest: cf. 794, 795. Sed in his, quae reciproca sunt, poëtae illud sequuntur, quod minus vulgare est. — 554 sqq. Iterum Homerica adumbrat in sqq., quod quidem hic factum nolimus; cf. ad vs. 520. 527. Primum quidem φθεγγομένου δ' ἄρα τοῦγε κάρη κονίῃσιν ἐμίχθη aliquoties occurrit; in primis de Dolone Il. κ, 457: ubi vide ante 454 sq. Reliqua autem ex Il. φ, 120. 127 petita sunt. Cf. Il. λ, 452 sqq. — 558. *onerabit.* Scilicet *sepulchrum* hoc loco tumulus, τύμβος impositus corpori sepulto, quod alias inde tumulo *premi* dicitur, cum sub eo conditum iaceat. — 560. *pisces lambent*, ut Homer. l. c. ἀπολιχμήσουσι, sanguinem haurient.

561-64. Post alios Camertem sternit Aeneas. *prima agmina Turni*, vel προμάχους, qui pugnant ante ordines vel qui in prima acie, ἀριστεῖς. — 564. *Ausonidum*, Ausonidarum, ut bene Serv. exponit. *Ausonidas* autem pro Ausonibus dixit, quibus, cum olim omnem Italiam inferiorem tenerent, sedes a Circeiis ad Liris usque etiam serioribus aetatibus mansere. Iam in his locis inter Tarracinam et Caietam iuxta mare *Amuclae* vel *Amyclae* fuerant, a serpentibus deletae, seu viperae seu hydri illi fuerunt, incolis urbe excedere coactis. V. Serv. ad h. l. Plin. VIII, 29 et ceteros, qui oppidi meminere; apud Cluver. Ital. ant. p. 1093. Nomen oppidi servavit sinus, *mare Amyclaeum* vel *Amuclanum*, quod Tacitus etiam memorat IV Ann. 59. Hes Amyclas *tacitas* dixit, epitheto huc retracto ab alteris Amyclis Laconicae, quae, ab Achaeis habitatae ac diu fortiter propugnatae, tandem a Doriensibus expugnatae sunt. Hostium enim adventu saepe temere nuntiato, cum vere hostis veniret, nemine nuntiante et *tacentibus omnibus* urbs capta est. Nota res vel ex versu Pervigilii: *Sic Amyclas, cum tacerent, perdidit silentium.*

Aegaeon qualis, centum cui brachia dicunt, 565
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse, Iovis quum fulmina contra
Tot paribus streperet clipeis, tot stringeret ensis:
Sic toto Aeneas desaevit in aequore victor,
Vt semel intepuit mucro. Quin ecce Niphaei 570
Quadriiuges in equos adversaque pectora tendit;
Atque illi, longe gradientem et dira frementem
Vt videre, metu versi retroque ruentes
Effunduntque ducem rapiuntque ad litora currus.
Interea biiugis infert se Lucagus albis 575
In medios fraterque Liger; sed frater habenis
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Aeneas tanto fervore furentes:
Inruit adversaque ingens adparuit hasta.
Cui Liger: 580
Non Diomedis equos nec currus cernis Achilli
Aut Phrygiae campos: nunc belli finis et aevi
His dabitur terris. Vesano talia late
Dicta volant Ligeri; sed non et Troïus heros
Dicta parat contra; iaculum nam torquet in hostem. 585

565 sqq. Splendida comparatio. Qui primum nunc deductus erat in praelium Aeneas, quanta virtute, quo furore sit conspicuus! Aliter de Aegaeone seu Briareo tradit Virgilius, quam Homerus Il. α, 402, 403, cum inter Gigantes eum referre videatur, qui Olympum oppugnant. *Pectoribus* addit 567, quia efflat ignem, ut Cacus supra, ut Typhoeus et tot alia monstra. *tot paribus*, pari numero, scilicet quinquaginta clipeos. *Sic*, ut non unam manum putares, *toib* etc. Serv. Locum bene transtulit ad Tydeum Statius II Theb. 595 sq.

572. *longe gradientem*, longis gradibus incedentem; non longinquo, μακρὰ βιβῶντα. Magnificum vero et hoc de Aenea et mox vs. 579 *ingens apparuit*. — 575 sqq. Comparare solent Il. λ, 101 sqq. aut 122 sqq., ubi duo fratres eidem currui insistunt. — 581. Congressus quidem est Aeneas cum Diomede Il. ε, 217, 278 sqq., et cum Achille Iliad. υ, 79 sqq. Sed utriusque pugnae exitus is fuit, ut incolumis et salvus inde discederet; ac nunc Ligeris fortunam minus propitiam ominatur Aeneae: esse ipsi rem nunc cum viris, quos non tam facile effugiturus sit, ut supra Turnus lib. IX, 154, 155: *Haud sibi cum*

Lucagus ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit biiugos, proiecto dum pede laevo
Aptat se pugnae: subit oras hasta per imus
Fulgentis clipei, tum laevum perforat inguen;
Excussus curru moribundus volvitur arvis. 590
Quem pius Aeneas dictis adfatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit aut vanae vertere ex hostibus umbrae.
Ipse rotis saliens iuga deseris. Haec ita fatus
Adripuit biiugos. Frater tendebat inermes 595
Infelix palmas, curru delabsus eodem:
Per te, per, qui te talem genuere, parentes,
Vir Troiane, sine hanc animam et miserere precantis,
Pluribus oranti Aeneas: haud talia dudum
Dicta dabas. Morere et fratrem ne desere frater. 600
Tum, latebras animae, pectus, mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquae vel turbinis atri
More furens. Tandem erumpunt et castra relinquunt
Ascanius puer et nequidquam obsessa iuventus. 605

Danais rem faxo et pube Pelasga Esse putent. — 586. *pendens in verbera*, conf. lib. V, 146, 147. Ge. III, 106, 107; hic Lucagus gladio pro flagro usus est. Notabile autem hoc, quod Lucago in curru stanti non hastam, ex perpetuo heroum usu, sed ensem in manus dat poëta. — 587. *proiecto pede.* Notissimus status pugnandi. — 588, 589. Traiecta ima clipei ora, hasta ipsum hubonem transfigit. Al v. 476 per superiorem clipei oram hasta adacta erat. — 591. *pius* epitheton nullam vim habet (nisi forte h. l. ob ultionem, qua de Pallantis memoria promeruit, hoc epitheton acceperit. *R.*) — 592. Non proditus es hosti aut fuga equorum aut consternatis fis. *nullu fuga segnis equorum*, sc. quoniam hos incitaverat vs. 586 *pronus in verbera.* — 593. *aut vanae ex hostibus umbrae* verterunt in fugam exemplo Niphaei v. 572, 573, 574: sed sponte desiliisti de curru. — 594. Similis sarcasmus Il. π, 745 sqq. — 598. *sine hanc animam* pro parce: vitam mihi ne eripe, sed relinque. Sic ἐᾶν in Homero: Ἕκτωρ δ' ἄλλους μὲν Δαναοὺς ἐᾷ οὐδ' ἐνάριζεν. — 603. Vides et hic Homerica: cf. Iliad. ε, 87, 88. — 604, 605. Artificium narrationis velim observari in iudicio et dilectu rerum, quas narrat, tot alis omissis. Pugnari debuit interea non minus acriter circa muros; sed his nunc recte caremus: itaque

Iunonem interea compellat Iuppiter ultro :
O germana mihi atque eadem gratissima coniunx,
Vt rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Troianas sustentat opes : non vivida bello
Dextra viris animusque ferox patiensque pericli. 610
Cui Iuno submissa : Quid, o pulcerrime coniunx,
Sollicitas aegram et tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quae quondam fuerat quamque esse decebat,
Vis in amore foret, non hoc mihi namque negares,
Omnipotens, quin et pugnae subducere Turnum 615
Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat Teucrisque pio det sanguine poenas.
Ille tamen nostra deducit origine nomen,
Pilumnusque illi quartus pater; et tua larga

satis erat binis versibus nos moneri de exitu oppugnationis.

606 sqq. —688. Iuno, salute Turni in tempus tantum a Iove impetrata, Turnum elusum per εἴδωλον Aeneae e pugna educit. Eo iam res erat adducta, ut Turnum Aeneas assequeretur, ideoque pugna inter eos fieret. Haec ex rerum in Aeneide ordine destinato adhuc erat differenda. Deorum interventu ad hoc usus est, ut epicus poëta Homeri exemplo semel instituerat facere. — 607, 608. Amare haec ad Iunonem. Non virtute Troianorum, sed Veneris scilicet artibus haec geruntur. Comparant locum Il. σ, 356 sqq. Adde δ, 5 sq. —609, 610. *non vivida virtus*; immo vero Aeneae virtus pugnam restituerat. — *dextra viris*, virorum : ut solet poëta.

611. *pulcerrime* h. l. notabile, inter blanditias. — 612. *tristia dicta* h. l. exprobrantis, acerba. — 613. *Vis in amore mihi*, pro: si amori meo esset vis. Alias *potentia* dicitur de amantibus. Vulgaria oratio esset : *si tantum valeret amor meus apud te, tantam haberet vim et auctoritatem*, ut olim inter amoris nostri primordia. —614. *namque* non vacat, sed asseverat: nempe, scilicet, utique, γάρ τοι, γάρ δή. *Nunc pereat* stomachabunda pronuntiat, pro : nunc vero ei pereundum est in Troianorum gratiam; etsi ille etc. —618. *Ille tamen nostra deducit origine nomen* h. e. stirpem, genus. A Iunone Turni genus si ductum fuit, ignotam fabulam attingit poëta, ut fortasse Pilumnus Iunonis filius habitus fuerit, quod nunc ignoratur. Potest tamen illud, *nostra origine*, ita sumi, ut sive Saturnia sive omnino divina stirps et origo respiciatur. Si enim a Danaë ductum Turni genus : debuit illud ad Iovem et Io referri; aut Pilumnus Iovis filius haberi potuit vel Saturni. Nunc cum veriora ignoremus, praestat simpliciter de divina origine inde a Pilumno accipere; unde etiam adiectum : *Pilumnusque illi quartus pater*. Conf. X,

Saepe manu multisque oneravit limina donis. 620
Cui rex aetherii breviter sic fatur Olympi:
Si mora praesentis leti tempusque caduco
Oratur iuveni, meque hoc ita ponere sentis:
Tolle fuga Turnum atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat. Sin altior istis 625
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutarive putas bellum: spes pascis inanis.
Et Iuno adlacrumans: Quid si, quod voce gravaris,
Mente dares; atque haec Turno rata vita maneret!
Nunc manet insontem gravis exitus: aut ego veri 630
Vana feror. Quod ut o potius formidine falsa
Ludar, et in melius tua, qui potes, orsa reflectas!

76.—619, 620. *Et tua largas saepe manu.* Frequens hoc ad exorandos deos et ad hominum, qui *sacris factis tamquam donis et muneribus numen placari* putant, rudia ingenia accommodatum argumentum, cuius prima exempla in Homero Il. ϑ, 238-241 et 203 sqq.

621. Iuno hoc spectabat, ut Turnum omnino morti eriperet. Huic occurrit Iupiter sic, ut in praesens modo tempus fata Turni differri patiatur. Conf. VII, 313 sqq. Est vero totus locus Homericus, Il π, 439 sqq., ubi Iovi Sarpedonem morti subducturo simili modo intercedit Iuno, ac nunc Iunoni Iupiter. — 622. *caduco*, exquisite, cadenti seu mox casuro, vel cui mox cadendum, moriendum est: ut VI, 481, *bello caduci*, cadentes. — 623. *meque hoc ita ponere sentis*: sique ita hoc factum interpretaris, in hunc sensum accipis, ut in eum modum a me constituatur nunc hoc: scil. ut Turni fata differantur, non ut mutentur. *ponere*, docte, τεϑέναι pro διατιϑέναι, ordinare, constituere. — 625. *vacat* exquisitius quam *licet*: nihil ultra. — 626. *venia*, concessio: quod concedam, indulgeam.

628. Belli exitum fatalem immutatum non iri Iupiter pronuntiaverat; de Turno nil meminerat. Iuno itaque Iovem, quem sibi placatiorem videt seu alia de causa seu Veneris iurgia veritum, cetera de Turni vita et incolumitate eloqui non audere arbitrata, utinam id, inquit, quod disertis verbis promittere mihi gravaris, animo saltem et voluntate annueres, scilicet, ut Turno (in hoc bello) vita sit incolumis! *quid si?* valet idem quod: cur non? quid ni? τί οὖν; εἰ καί, quid mali inde futurum esset, si; reditque igitur sententia ad optativum; si, utinam! *gravaris* sc. dare. *rata* eleganter, ideoque perpetua et integra, incolumis. Mox se ipsa retractat: Enimvero, *nunc, manet* etc. — 630, 631. *aut ergo veri vana*, nisi admodum fallor, a vero aberro. — *vanus*, qui sibi vana et inania persuadet, *vanus veri* graece dictum, ut fallax veri, deceptus, falsus veri h. e. vero. Sic VII, 410 *veri*

Haec ubi dicta dedit, coelo se protenus alto
Misit agens hiemem, nimbo succincta, per auras
Iliacamque aciem et Laurentia castra petivit. 635
Tum dea nube cava tenuem sine viribus umbram
In faciem Aeneae (visu mirabile monstrum)
Dardaniis ornat telis clipeumque iubasque
Divini adsimulat capitis, dat inania verba,
Dat sine mente sonum gressusque effingit euntis: 640
Morte obita quales fama est volitare figuras
Aut, quae sopitos deludunt somnia sensus.
At primas laeta ante acies exsultat imago
Inritatque virum telis et voce lacessit.
Instat cui Turnus stridentemque eminus hastam 645
Coniicit; illa dato vertit vestigia tergo.
Tum vero Aenean aversum ut cedere Turnus
Credidit atque animo spem turbidus hausit inanem:

effeta, a varo vacans, verum haud afferaus. — *Quod*, καθ' ὁ, qua in re tamen utinam frustra metuam et utinam tu consilium de Turno mutas!

633 sqq. In simulacro Aeneae conflando habuit, quem sequeretur. Apollinem Homericum, qui Aeneae εἴδωλον, φάσμα, obiicit Diomedi Iliad. ε, 449 sq. Inventum autem hoc Iunonis eo pertinet, quod, si ei aperte fugam illa suasisset, more viri fortis Turnus fugae mortem praetulisset. Conf Serv. ad 644. Vid. 666 sqq. Imitatus, sed sobrie, Silius X, 83 sq. et paullo pinguius, in fraude Annibali a Iunone facta lib. XVII, 518 sqq. 572 sq. In quo loco multa ex nostro expressa. Antiquissimum huius generis spectrum, εἴδωλον, Euripidi φάσμα, est nubes in Iunonis speciem mutata et Ixioni obiecta. Dicas fortasse Iunonem et h. l. sagaciter esse adhibitam ad meteorum creandum, quippe quae aëris erat symbolum antiquae Graeciae, unde Iris erat eius ministra. Sed a Marone haec aliena sunt; quippe cui Iuno poëtica persona est, qua causam efficientem rei vulgari modo non tractandae exhibet; accommodate tamen ad mythorum fidem *nimbo succincta*, nube. *hiemem agens*, turbinem, procellam. Novum hoc ad deae praesentiam designandam, sed in ἐπιφανείαις deorum in templis non insolens: vide Callimach. in Apoll. pr. et Intpp. Cerda laudat ex Valar. Fl. II, 115: *Cum dea* (Venus) *se piceo per sudum turbida nimbo Praecipitat.* — 638. *telis* pro armis paullo durius dictum; at de valida hasta Aeneae accipere praestat. Mox *iubas* pro galea cum crista. — 639. *inania verba* ipse mox interpretatur: *dat sine mente sonum.* — 641. *figuras*, εἴδωλα. Ante oculos erat Lucret. I, 133 sq. — 618. *turbidus*, tumens, elatus arro-

Quo fugis, Aenea? thalamos ne desere pactos!
Hac dabitur dextra tellus quaesita per undas. 650
Talia vociferans sequitur strictumque coruscat
Mucronem nec ferre videt sua gaudia ventos.
Forte ratis celsi coniuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis et ponte parato,
Qua rex Clusinis advectus Osinius oris. 655
Huc sese trepida Aeneae fugientis imago
Coniicit in latebras; nec Turnus segnior instat
Exsuperatque moras et pontis transilit altos.
Vix proram adtigerat; rumpit Saturnia funem
Avolsamque rapit revoluta per aequora navem. 660
Illum autem Aeneas absentem in proelia poscit;
Obvia multa virum demittit corpora morti.
Tum levis haud ultra latebras iam quaerit imago;
Sed sublime volans nubi se inmiscuit atrae,
Quum Turnum medio interea fert aequore turbo. 665
Respicit ignarus rerum ingratusque salutis
Et duplices cum voce manus ad sidera tendit:
Omnipotens genitor, tanton' me crimine dignum
Duxisti et talis voluisti expendere poenas?

gantia, inquit Serv., perturbatur scilicet mens superbientis humore, ira, spe, metu. Mox *coruscare* ensem exquisitum voc. pro vibrare. —652. Nec sentit et intelligit suam exsultationem esse inanem. Loquendi ratio poëtis non infrequens; nisi mavis *gaudia* esse dicta pro ipso simulacro, quod nunc a se ferro attingi posse gaudebat.

653. Stabat forte navis ita admota littori saxoso, ut pons applicitus esset. —*crepido saxi* ornate de littore, quatenus eminet: lapidibus enim arboribusve riparum ancorae loco naves alligatas esse constat. *rex* ex mora veteris aevi pro viro ex principibus: aut fac fuisse Lartem Clusinorum, sub Massico, duce totius agminis. Cf. v. 166 huius libri. —660. *aequora revoluta* de fluctuum recessu, refluxu, a littore accipit.

666. *ingratus salutis* exquisite ad Graecorum poëtarum morem ἀχάριστος σωτηρίας sc. ἕνεκα· quod ad salutem; vitam servatam, attinet. Sic paullo ante: *verivana*. —668. Vir fortis fugae flagitium appellat *crimen* et *poenam*. Tota oratio gravissima et affectus plena. Nec habeo quicum comparem praeterquam Horatianae Europae querelas tantum miserationis facientes: *Vnde? quo veni? levis una*

Quo feror? undeabii? quae me fuga quemve reducet? 670
Laurentisne iterum muros aut castra videbo?
Quid manus illa virum, qui me meaque arma secuti?
Quosne nefas! omnis infanda in morte reliqui?
Et nunc palantis video gemitumque cadentum
Adcipio. Quid ago? aut quae iam satis ima dehiscat 675
Terra mihi? Vos o potius miserescite, venti;
In rupes, in saxa (volens vos Turnus adoro).
Ferte ratem, saevisque vadis inmittite Syrtis,
Quo neque me Rutuli nec conscia fama sequatur.
Haec memorans animo nunc huc nunc fluctuat illuc; 680
An sese mucrone ob tantum dedecus amens
Induat et crudum per costas exigat ensem;
Fluctibus an iactat mediis et litora nando
Curva petat Teucrumque iterum se reddat in arma.
Ter conatus utramque viam; ter maxima Iuno 685
Continuit iuvenemque animi miserata repressit.

mors est, Carm. III, 27-36. — 670. *quemve*: qualem, IX, 481: *Huno ego te, Euryale, adspicio?* quomodo et qua cum existimatione redibo? — 673. *Quosne* docte pro eosne? — 675, 676. In pudore solenne hoc iam Homero τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών, nec argutandum in eo, quod nunc mari fertur. Cf. ad IV, 24. — 677. Comparant Helenae illa Il. ζ, 343 sqq. — 678. *Syrtis*. Est enim et una Syrtis, ut IV, 41 et sic *vada Syrtis*, Syrtis vadosa; ne de Syrtibus Africae cogites, sed de quocunque cumulo arenoso maris. — 679. *conscia fama esse potest, cuius Turnus ipse conscius est*; sic *conscia virtus* V, 455 pro vulgari, virtutis conscientia; item XII, 668. Haec tamen conscientia Turnum nec in Syrti deseret. Tum antecedunt *Rutuli*. Vult se abscondi in loco remoto, quo nec Rutuli eum sequantur, nec fama de eo perveniat, ita ut a nemine agnoscatur. Ergo praeferendum alterum, ut *conscia* sit epitheton famae simpliciter ornans; omnis fama eius rei, facti, hominis, de quo aliquid nuntiat et spargit, est *conscia*, ita h. l. Turni. Sic *conscia sidera* supra IX, 419. *agmina conscia* scil. doli II, 267. — 681. Solenne est poëtis: *induere se telo* et *in telum*: mucrone infixo, qui a visceribus et corpore receptus conditur et tegitur (Fortasse cum cod. rom. *mucroni* praeferendum est; ut *sese induat* sit *irruat*: siquidem *induo* est compositum ex *in* et *duo*, *do*. R.) — 683. An in fluctus, medium h. est altum mare, se proiiciat. — 686. *animi miserata* Serv. «pro animo m., sicut XII, 49: *O praestans animi iuvenis.*» Immo vero est: miserata animum, dolorem animi

Labitur alta secans fluctuque aestuque secundo
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
At Iovis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnae Teucrosque invadit ovantis. 690
Concurrunt Tyrrhenae acies atque omnibus uni
Vni odiisque viri telisque frequentibus instant.
Ille, velut rupes, vastum quae prodit in aequor,
Obvia ventorum furiis expostaque ponto
Vim cunctam atque minas perfert coelique marisque 695
Ipsa inmota manens, prolem Dolichaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Lataguin Palmumque fugacem:
Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciemque adversam; poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit armaque Lauso 700
Donat habere humeris et vertice figere cristas.
Nec non Evanthen Phrygium Paridisque Mimanta

nam ordo est: *iuvenem repressit miserata* (eum) *animi*, ut graec. θυμοῦ sc. ἕνεκα. Casus secundus verbo *miserari* et similibus additus rem miserationi obiectam denotere solet, ut in eo ipso Silii loco, ad quem Burm. provocat, lib. XI, 381 *ni* poenae iuvenem indignae miseratus *ab alto Iupiter*; et sic in omnibus exemplis, quae vidi. — 687. *aestu*, fortasse h. l. vento. Vsu tamen grammatico *fluctus* est ex vento, *aestus* motus maris ex natura sua. Ergo *aestus secundus* h. l. non in altum abripiebat, sed littori navem admovebat. — 688. *urbem*, Ardeam.

689-754. Turno ex acie educto relinquitur Mezentius, cuius facta strenua narrantur. *Iovis monitis*, impulsu, conf. IX, 184, 185. Adde Servium, qui multa argutatur super viro impio (VII, 647) a Iove monito. Atqui poëtae, si demum ministeriis utuntur ad expediendas res, non semper morum et animorum probitatem spectant. Multo minus id antiquiores poëtae curarunt, qui multa impia et scelesta, intercedente deorum opera, facta narrant; cum id solum reputarent, ut rei mirae et insolitae causa et auctor inveniretur. — 694. Tyrrheni in Aeneae acie, qui sub Tarchonte tenebantur (conf. VIII, 494, 495 et 603 sq.), agmine in Mezentium incurrunt. Ex iisdem sunt, qui v. 696-699 occiduntur; qui 702 sq. sunt Troiani. — 693. *velut rupes*, Iliad. o, 618-622, sed maiore cum ornatu. Cf. VII, 586 sqq.

702-706. Mimas Amyci et Theanus filius eadem nocte natus, qua Paris ab Hecuba. Commentum poëtae ad variandam narrationem: quale apud Homerum de Hectore et Polydamante Il. σ, 251. Memoratur Theano Homero quoque, sed tamquam Au-

Aequalem comitemque, una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit et face praegnans
Cisseïs regina Parin: Paris urbe paterna 705
Occubat; ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac, velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit multosve palus Laurentia, silva
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est, 710
Substitit infremuitque ferox et inhorruit armos,
Nec cuiquam irasci propiusque accedere virtus,
Sed iaculis tutisque procul clamoribus instant;
Ille autem inpavidus partes cunctatur in omnis

tenoris uxor et Cissei filia, Il. ζ, 298, 299; λ, 223, 224; contra Hecuba Dymantis filia Iliad. π, 718. Sed poëta potuit alios, forsan tragicos, sequi, qui haec variaverant. Certe, quod Hecuba Cissei filia nunc traditur, ab Euripide accepit in Hecuba v. 3 monente Servio. Potest quoque haec Theano haberi diversa ab illa Homeri. — 704. *face praegnans Cisseis*. V. VII, 319, 320. De *Cisseo* v. ad V, 537. — 705. *Parin creat: urbe* prave antea lectum cum Bentl. et Marklando mutare non dubitavi. — 706. *ignarum* h. l. pro ignotum, passive, ut et alibi in poëtis, v. c. Ovid. Met. VII, 404: *Iamque aderat Theseus proles ignara parenti*. Eadem nocte, sed dispari fato, nati sunt. Alter in patria occubuit, alter in terra longinqua ignotus iacet; cf Gell. IX, 12 f. Quod si vetus haec auctoritas non esset, mallem dicere: *ignarum* esse fati sui, uti quoque Serv. — 707-718. Exquisite ornatus locus, quem iam Homerus tractaverat Il. λ 414-419 tam praeclare, ut vix contendere cum coquemquam audere debuisse dicas. Maro tamen ornamenta cum alia tum haec attulit, quod, cum ibi simpliciter esset memoratum prodire aprum ex alto fruticeto, εἴσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο, accurate ipse loca descripsit aprorum frequentia et praestantia notabilia in *Vesulo*, qui in Ligurum finibus mons erat, etiamnum *il Viso*, in Pedemontii extremis versus Delphinatum, ex quo Padus fontes habet; tum in *palude Laurentia*, est enim totus ille tractus Laurentinus paludosus et silvosus, de quo v. Cluver. Ital. ant. p. 886, 887: hinc *silva pastus arundinea* Horat. II, Serm. 4, 42, *aper Laurens ulvis et arundine pinguis*. Adde loca apud Bentlei. ad Horat. Epod. 5, 28. In verbis iung. *velut aper...: pastus.. substitit* h. e. subsistit. Porro nonnulla a Marone egregie adornata sunt: v. 710 *inter retia ventum est*; et *Substitit infremuitque ferox* et *inhorruit armos*; quod Hesiodus in simili loco non neglexit: Ὀρθαὶ δ' ἐν λοφιῇ φρίξαν τρίχες, ἀμφί τε δειρήν, in Scuto Herci 386-391; nec ipse Homerus alio in loco, qui comparandus est stu-

Dentibus infrendens et tergo decutit hastas: 715
Haud aliter, iustae quibus est Mezentius irae,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro;
Missilibus longe et vasto clamore lacessunt.
Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,
Graius homo; infectos linquens profugus hymenaeos: 720
Hunc ubi miscentem longe media agmina vidit,
Purpureum pennis et pactae coniugis ostro;
Inpastus stabula alta leo ceu saepe peragrans
(Suadet enim vesana fames) si forte fugacem
Conspexit capream aut surgentem in cornua cervum, 725

diosis, Il. ν, 474-476. Ornatiora quoque sunt, quam apud Homerum, vss. 712, 713: *irasci* i. e. audacter animum sumere et cominus congredi; tum illa vs. 715: *partes cunctatur*, cunctanter se vertit, dubius quo impetum faciat, *omnes* et *tergo decutit hastas*. Eundem locum tractarunt multi alii et veteres et recentiores. Illorum partem apud Cerdam videre licet. Primo tamen loco nominandus erat Silius lib. I, 421 sqq. — In 716 est *irae* poëta primus novavit, pro vulgari esse odio. Cf. Macrob. VI, 6. Ceterum versuum ordinem antea perturbatum nunc mutatum vides.

719. Etiam in Acrone aliquid comminiscitur, quod ad variandam narrationem faciat. *Coryti fines*, Cortona. Cf. ad lib. III, 167. — *Graius homo*. In hoc aut eandem fabulosam Dardani a Corytho Cortonae originem respexit poëta; aut id, quod a Dionysio nobis servatum est, Cortonam Vmbrorum urbem esse captam et habitatam a Pelasgis, qui in societatem belli cum Aboriginibus venerant, atque antiquam formam usque ad paucos ante eam aetatem annos servasse. V. Dionys. lib. I, c. 20 et 26. — *infectos linquens hymenaeos*, nuptias: ornavit Homerica Il. λ, 241 sqq. Explicatur δόμος ἡμιτελής Il. β, 701. — 721. *miscentem*, perturbantem: κλονέοντα redditum puta. Comparat Vrsinus Il. ε, 166, ubi ἀλαπάζοντα στίχας ἀνδρῶν simili sensu. — 722 quaesito artificio omnia dicta sunt, pro gestantem purpuream cristam et vestem a sponsa textam: IX, 163, *Purpurei cristis iuvenes*.

723-729. Egregie variata comparatio, cui similem iam IX, 339 sqq. vidimus, et quacum comparanda in primis sunt loca Il. μ, 299-306 et γ, 23 sq. Imitati sunt multi, ut Statius VI Theb. 675 sq., *peragrans stabula inpastus*, circumiens ieiunus, qui frustra stabula lustravit. *stabula alta*; epitheton parietes nimis altos declarat, quam ut saltu leo superare possit. *surgentem in cornua cervum*. Notio per se obvia est; ferentem cornua ardua, ut fere lib. I, 189, 190. Dictum arbitror pro assurgere, eminere, erigere se cornibus; sed plus ἐναργείας habet, erigere se in cornua: ut arbor surgit in ramos, mons in cacumen. Comparare licet alterum:

Gaudet hians inmane comasque adrexit et haeret
Visceribus super incumbens; lavit inproba teter
Ora cruor:
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infelix Acron et calcibus atram 730
Tundit humum exspirans infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere nec iacta caecum dare cuspide volnus:
Obvius adversoque occurrit seque viro vir
Contulit, haud furto melior sed fortibus armis. 735
Tum super abiectum posito pede nixus et hasta;
Pars belli haud temnenda, viri, iacet altus Orodes:
Conclamant socii laetum paeana secuti.
Ille autem exspirans: Non me, quicunque es, inulto,
Victor; nec longum laetabere: te quoque fata 740
Prospectant paria atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem subridens mixta Mezentius ira:
Nunc morere! Ast de me divom pater atque hominum
Viderit! Hoc dicens eduxit corpore telum. (rex

Georg. III, 232 et XII, 104, *irasci in cornua*. — 726. *haeret incumbens*, ἐμφύς. — 727, 728. *lavit ora cruor*, hoc latius persequutus est alio loco Homerus Odyss. χ, 402-405. *improba*, immodiese vorscitatis. V. ad Georg. I, 149. — 730. *calcibus tundit humum*, V. ad 404. — 731. *infracta tela*: sunt fracta. Sic *tendere*, *intendere*: *frendere*, *infrendere*. Saepe autem hasta in vulnus adacta, in primis ossi illisa, in ipso ferro, qua illud ligno vinctum est, infringitur ipso hastilis pondere. — 732 sq. Mezentius, indignum viro forti arbitratus a tergo hostem caedere, eum cursu antevertit; tunc conversus adverso ore in eum processit. *fugientem*, aversum, ut tergum petere posset hasta. Recedit, non fugit, ante alterum incedit. — *caecum volnus*, quod a verso infligitur, ideoque non praevisum. *furto*: non dolo ac fraude praestantior vir. — 736. *abiectum* h. l. prostratum. — 737. Sic apud Homerum passim exsultabundi exclamant victores, v. c. Il. ε, 102 sq. χ, 391 sqq., ubi et ἀείδοντες παιήονα. — 738. *conclamant sequuti* iung., non, ut faciunt, *sequuti paeana*. — 739. Affectus plena haec morientis verba et quanta ferocia Mezentii! Sed viro forti digna. In utroque Homerus praeivit in Hectore et Achille Il. χ, 358-366, et in Patroclo et Hectore Il. π, 851-861. — 741. Hoc eodem solo prostrabere. — 743. *Ast de me divum* ex vulgari loquendi ratione eorum, qui aliquid

Olli dura quies oculos et ferreus urguet 745
Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.
Caedicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen,
Partheniumque Rapo et praedurum viribus Orsen,
Messapus Cloniumque Lycaoniumque Ericeten,
Illum infrenis equi labsu tellure iacentem, 750
Hunc peditem pedes. Et Lycius processerat Agis,
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitae
Deiicit; at Thronium Salius, Saliumque Nealces,
Insignis iaculo et longe fallente sagitta.
Iam gravis aequabat luctus et mutua Mavors 755
Funera; caedebant pariter pariterque ruebant
Victores victique; neque his fuga nota neque illis.
Di Iovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum et tantos mortalibus esse labores;
Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Iuno; 760
Pallida Tisiphone media inter millia saevit.
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo. Quam magnus Orion,
Quum pedes incedit medii per maxima Nerei

curare se nolle dicunt, de eo dii viderint, diis haec permissa sunto. Volunt tamen Intpp. per ironiam in Iovem dictum: scilicet ut constet sibi Mezentius, *deorum contemtor* (VII, 648) et *cui dextra deus est* paullo post v. 773. Sed Idem v. 845: *Ad coelum tendit palmas.* Videntur Intpp. in *athei* notione argutari. — 745 ornavit id, quod apud Homerum erat: Ὡς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον Il. λ, 241. — 747 sq. Latina nomina Latinos, Graeca Troianos designare videntur. *Lycaonium*, Lycaonis filium. — 754. *longe fallente sagitta*, feriente a longinquo incautum. v. IX, 572.

755—832. Sequitur pugna Aeneae cum Mezentio interventu Lausi filii intercepta et Lausi mors. Ad 755 comparant Il. λ, 70 sq. — 758. *iram inanem*, qua neutra acies proficiebat quicquam; neutra enim alteram impellere poterat. — 760. Nominat inter ceteros deos duas deas, quibus potissimum pugnae exitus cordi esset. Quod vero sequitur de Furia, ad ipsam aciem spectat. Est enim veterum poëtarum phantasma hoc: Ερις, Ενυώ, Κήρ, inter acies pugnantium volitans. Vt unum exemplum memorem, conf. Hesiod. Scut. 248 sq.

763. *Turbidus*: quod alias saeviens, furens: *ingreditur* tam magnus, *quam*

Stagna viam scindens, humero supereminet undas; 765
Aut summis referens annosam montibus ornum
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contra Aeneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. Manet inperterritus ille, 770
Hostem magnanimum opperiens, et mole sua stat
Atque oculis spatium emensus, quantum satis hastae:
Dextra, mihi deus, et telum, quod missile libro,
Nunc adsint! voveo praedonis corpore raptis
Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropaeum 775
Aeneae. Dixit stridentemque eminus hastam
Iniicit; illa volans clipeo est excussa proculque
Egregium Antoren latus inter et ilia figit:
Herculis Antoren comitem, qui missus ab Argis
Haeserat Evandro atque Itala consederat urbe. 780
Sternitur infelix alieno volnere coelumque
Adspicit et dulcis moriens reminiscitur Argos.

magnus Orion humero supereminet undas. Nota est prodigiosa Orionis proceritas et per mare incessus, v. Apollodor. I, 4, 3; ubi cf. Not.; nata fabula a sidere huius hominis eiusque ortu. Orion oriens Ὠκεανῶ πόδας ἴσχει, ut rem Theocritus effert VII Idyll. 54. Ad Polyphemi staturam corporis idem transtulerat Maro III, 664, 665. *Nerei stagna*: lib. I, 126 *imis stagna refusa vadis.* — 766, 767. *Aut* (cum) *ingreditur.* Etiam Homerus Orionem venatorem exhibet in Necyia Odyss. λ, 571. — 771. *mole sua stat* sumtum a rupe, quae suo pondere librata firmum situm habet. De magnae molis homine stante nescio quam bene dicatur; nisi ad confidentiam sui in magnis corporis viribus referas. Aliter res se habeat, si in conflictu, in pugna urgeretur, impelleretur. Servius explicat; in sua mole, ut dicitur: in vestigio; quod parum placet. — 773. Sic XII, 95, 96: *Nunc o nunquam frustrata vocatus hasta meos nunc tempus adest.* Similis locus est Apollonii I, 466 sq. — 774. Cum alii tropaea in deorum honorem consecrent: Mezentius vovet se armis indutum esse Lausum filium, ut ideo ille tamquam tropaeum adstet, quod erat truncus armis indutus. — 777, 778. Intelligo hastam magna vi actam superficiem convexam clipei, quem divina arte factum, Ἡφαιστότευκτον, esse memineris, in tuni strinxisse, hinc resiliisse transversum aetam et in Antoren adstantem aberrasse, ὀλισθεῖν. — 779. *missus*, profectus, ut bene Serv. Cf. VI, 812, 813. Sic στέλλεσθαι, σταλῆναι, σταλτής. — 781-2 versi dulcissimi! *alieno*

Tum pius Aeneas hastam iacit; illa per orbem
Aere cavum triplici, per linea terga tribusque
Transiit intextum tauris opus imaque sedit 785
Inguine; sed vires haud pertulit. Ocius ensem
Aeneas viso Tyrrheni sanguine laetus
Eripit a femine et trepidanti fervidus instat.
Ingemuit cari graviter genitoris amore,
Vt vidit, Lausus; lacrimaeque per ora volutae. 790
Hic mortis durae casum tuaque optuma facta,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem nec te, iuvenis memorande, silebo.
Ille pedem referens et inutilis inque ligatus
Cedebat clipeoque inimicum hastile trahebat. 795
Prorupit iuvenis seseque inmiscuit armis;
Iamque adsurgentis dextra plagamque ferentis

vulnere; quod Silius VIII, 630: *telo non in sua volnera misso*. — 783 sq. Homeri vestigia iam veteres hic agnoverunt Il. λ 356 sq. 361 sq. Clipeus Mezentii septemplex fuit ex triplici aere, ex tegumento lineo triplicique corio taurino compactus. *tribus tauris*, coriis taurinis, ut Homericum βοῦς.

789 sqq. In loco sq. de Lausi in Mezentium patrem pietate Antilochum Nestoris f. ante oculos habuisse videri potest poëta, quippe cuius similis pietas apud Graecos poëtas inde a cyclicis et tragicis fuit celebratissima. Vel Pindari Oden VI. Pythic. vide. Hoc certe probabilius dixeris, quam quod historiam de Scipione Africano Maronem respexisse aiunt. In hoc vero poëtae acumen observari velim, quod tantam pietatem tribuit filio hominis saevi et iniusti, quodque hunc ipsum patrem, hominem impium et odiosum, naturae affectu et amore in filium mollissimum exhibuit: ut enim in tragicis, ita nunc in epica hac persona tanto magis movemur pietatis hoc affectu in homine, qui nullam talis humanitatis sensus spem de se fecerat. 791. Observandus locus etiam propterea, quod poëta epicus nunc ipse prodit suamque personam interponit: quod, si cum iudicio fit, animum lectoris advertit; nunc multo magis, cum ipse is, qui narrat, poëta miseratione se contactum significat. — 792. *Si qua vetustas*: pro posteritate dicta sunt: aliter *si qua* non expediri potest. Si qua serior aetas fidem *feret*, habebit, tantae Lausi pietati et virtuti. *opus* ut ἔργον pro facinore, virtute. Simile illud Ciceronis pro Milone 35: *de me nulla unquam obmutescet vetustas*. — 794. *inutilis*, vulnere debilitatus; ut Serv. *illigatus* sc. hastae, quae clipeo transfixo in inguen penetraverat. Similis locus de Sarpedone Il. ε, 664, 665. At Aeneas v. 797 *adsurgit* dextra, ad

Aeneae subiit mucronem ipsumque morando
Sustinuit; socii magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret, 800
Telaque coniiciunt proturbantque eminus hostem
Missilibus. Furit Aeneas tectusque tenet se.
Ac velut, effusa si quando grandine nimbi
Praecipitant, omnis campis diffugit arator
Omnis et agricola et tuta latet arce viator, 805
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris, ut possint, sole reducto,
Exercere diem: sic obrutus undique telis
Aeneas nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet et Lausum increpitat Lausoque minatur: 810
Quo moriture ruis maioraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minus ille
Exsultat demens. Saevae iamque altius irae
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcae fila legunt: validum namque exigit ensem 815
Per medium Aeneas iuvenem totumque recondit.

ictum infereodum insurgit manu elevata ac reducta.

802. *tectus tenet se*: sub clipeo quo missilia excipit. Sic X, 412 *seque in sua colligit arma*. Cf. Il. ν, 405. — 803 sqq. Praeclara comparatio: nec Homero quicquam in ea debet Virgilius; etsi laudari solet Il. μ, 166 sqq., nam in illo loco diversa res geritur. Sed simillimus locus est in Quinto VIII, 379—385, qui poëta omnino ditissimus est his ornamentorum copiis. — 805, 806. *tuta arce*, latebris, refugio, cavo ripae vel antro: quatenus *arx* ab *arceo* deducitur et locum designat, ubi quis se tuetur, defendit. — 807. *Dum pluit in terris*, Lucret. VI, 630, *Cum pluit in terris, et venti nubila portant*. — 808. *exercere diem* opere faciendo exquisite pro: exercendo opere transigere diem; ut noctem producere coena, extendere sermone; diem fatigare remigio VIII, 94, ubi v. not. — 809. *nubem belli*, ut πολέμοιο νέφος, de pugnae mole tamquam procella, tempestate, et h. l. de telorum multitudine accipe. Bene Servius: « Bellantium impetum sustinet, donec deferbeat. »

810 sqq. Vt ingenium, sic oratio Aeneae diversa ab ea, qua simili in congressu cum Pallante utebatur Turnus paullo ille ferocior, 442 sq. 490 sq. — 814, 815. *Parcae fila legunt*. « Proprium, inquit Servius, fuerat *rumpunt*: tameo *legunt* aut colligunt, aut rumpunt, aut etiam transeunt. » Prima bene dixit, cetera minus. Le-

Transiit et parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro;
Inplevitque sinum sanguis; tum vita per auras
Concessit maesta ad Manis corpusque reliquit. 820
At vero, ut voltum vidit morientis et ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris,
Ingemuit miserans graviter dextramque tetendit,
Et mentem patriae strinxit pietatis imago.
Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis, 825
Quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum?
Arma, quibus laetatus, habe tua; teque parentum
Manibus et cineri, si qua est ea cura, remitto;
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem:
Aeneae magni dextra cadis. Increpat ultro 830
Cunctantis socios et terra sublevat ipsum.
Sanguine turpantem comtos de more capillos.

guntur, puto, inter nendum fila, dum in fusum colliguntur, h. e. dum lana de colo in filum ducta in fuso glomeratur. Quare si Parcae *fila extrema* ducunt, nent, etiam ea *legere* recte dicuntur; colligere, ut penso iam absoluto ea rumpant. — 812. *minacis* pro: eius sc. Lausi. — 818. Decens in Etrusco iuvene vestis auro *molli* i. e. ductili texta; quod vestimenti genus frequentatum Etruscis fuisse constat. Ornavit Maro Homerica Il. υ, 470. — 819, 820. *per auras... Manes*... sunt Homerica: Iliad π, 856, 857, nihil amplius; nec in his appositis argutandum. *Vita* pro anima, ψυχή.

821 sq. Ad miserationem egregie facit ipsa Aeneae miseratio, dum tendit puero manus et terra eum sublevat 831, et respectus Ascanii et in alterius fortuna cogitatio de casu, qui sibi accidere posset. — 824. *patriae pietatis imago*, amoris sui in Ascanium recordatio: et quem ipse dolorem susceptiurus sit in simili casu. Ea, *quae recordantur*, poëta *imaginem* effert animo obiectam. Cf. IX, 299. — 825. *pro laudibus istis*, ista virtute, τὰ κλέα et τὸ κλέος, h. l. virtus, qua, ut patrem servaret, ipse vitae discrimen adiit. — 826 *indole* i. e. pietate. — 827. *Arma habe tua*. Magnus scilicet honos in illo aevo habitus, si victum victor non spoliaret. Cf. Il. ζ, 417. — 827, 828. *te remitto parentum Manibus et cineri*, h. e. ad sepulcrum patrium, ut te inferant; *si qua est ea cura*, sc. tibi, si modo sensum huius rei habes. Fere sic, ut IV, 34, *Id cinerem aut Manes credis curare sepultos*. Nisi quis ita malit accipere: modo est qui id curet, qui te inferendum curet: ut additum forte sit propterea, quod patria exsulabat cum patre Lausus. — 832. *comtos de more* Etrusco-

Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
Volnera siccabat lymphis, corpusque lavabat
Arboris adclinis trunco. Procul aerea ramis 835
Dependet galea et prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circum iuvenes: ipse aeger, anhelans
Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam;
Multa super Lauso rogitat multosque remittit,
Qui revocent maestique ferant mandata parentis. 840
At Lausum socii exanimem super arma ferebant
Flentes, ingentem atque ingenti volnere victum.
Adgnovit longe gemitum praesaga mali mens.
Canitiem multo deformat pulvere et ambas
Ad coelum tendit palmas et corpore inhaeret. 845
Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Vt pro me hostili paterer succedere dextrae,
Quem genui? Tuane haec genitor per volnera servor

rum: quod ex vasis aliisque monumentis intelligitur.

833. Sequentia de Mezentio tamquam in tabula exhibita sunt. Declaratur locus, positus, actio ipsa. Similis locus Il. ι, 692 sqq. de Sarpedone. — *volnera siccabat lymphis*, sanguinem sistebat frigida aqua. Ignoramus, an primus hoc ausus sit Maro: imitatus est Statius I Theb. 527. τέρσειν et τερσαίνειν, sed *aquae* notione non adiecta, iam Homerus de vulnere dixerat. *corpus levabat acclinis* ornate dictum pro acclinabat. 835. » *Procul*, modo iuxta, ut Ecl. VI, 16, Servius » non male. Saltem *procul* h. l. est paullo longius inde. Eidem videtur novasse h. l. poëta *acclinis* et *propexam barbam*; novatum dicerem primo loc *quiescunt* de armis iacentibus seu clipeo. — 838. *Colla fovet*: sustinet, levat caput arboris trunco. — *fusus barbam*, habens barbam eamque propexam, *in pectore*, in pectus promissam, profusam, non otiosum est; sed ad ἐνάργειαν narrationis requirebatur, dum ad truncum acclinatus capite demisso recubat. — 841. Hic magnum poëtam in hoc agnosce, quod arte sua effecit, ut Mezentii, tam invisi hominis, miseratione animos nostros tangeret. Rationem et modum et quae illa sunt, quibus hoc effecit, videant in singulis, qui haec interpretantur. *super arma*, super clipeo, ut facile assequi licet. Cf. 506, *Impositum scuto referunt Pallanta frequentes*. — *ingentem... ingenti*: etiam haec ad commendationem caesi iuvenis pertinent. Κεῖτο μέγας μεγαλωστὶ Il. π, 776. — 844. *deformat*: sic ornat Homericum κατεχεύατο Od. ω, 315. — 847. *hostili succedere dextrae*, non eo sensu dictum, ut volunt Intpp., ut 797, 798; sed: dextram h. e. vulnus excipere alterius loco. — 848. *tua per volnera*, pro vulnere. — *Exsilium* praeclare memorat: hoc

Morte tua vivens? Heu, nunc misero mihi demum
Exsilium infelix! nunc alte volnus adactum! 850
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen
Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.
Debueram patriae poenas odiisque meorum:
Omnis per mortes animam sontem ipse dedissem!
Nunc vivo! neque adhuc homines lucemque relinquo!
Sed linquam. Simul hoc dicens adtollit in aegrum 856
Se femur et, quamquam vis alto volnere tardat,
Haud deiectus equum duci iubet. Hoc decus illi,
Hoc solamen erat; bellis hoc victor abibat
Omnibus. Adloquitur maerentem et talibus infit: 860
Rhoebe, diu, res si qua diu mortalibus ulla est,
Viximus. Aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Aeneae referes Lausique dolorum

enim primum erat, quod in Mezentii fortuna occurrere poëtae animo debebat. — 850. *nunc alte volnus adactum*, nunc demum vulneris sensum habeo; loquitur de proprio vulnere, v. 785, 786. — 851. *crimine*, criminatione et odio; te infamem et odiosum feci meis sceleribus. — 853, 854. *Debueram p.* omisso *si*, inversa oratio. Si debebam poenas civibus meis; si merebar mortem: utinam ipse vitam vel omnibus suppliciis expulsam reddidissem, superstite te! At nunc vivo, te erepto. — 857. *tardat* Heins. interpretatur: tardat se, tardatur; cf. ad Aen. II, 208. Enimvero *vis alto volnere tardat* accipio solito poëtarum more pro: vis ademta, h. e. virium defectus ex alto vulnere tardat. Servius aliter reddidit: *alti volneris violentia*: ut ideo pro: vis vulneris dictum et doloris notio adiuncta sit. — 858. *Haud deiectus*, animo haud deiecto. — 860 sqq. Displicuit haec ad equum suum Mezentii oratio venustioribus nostra aetate. Non defendam Homeri exemplo in Hectoris et in Achillis equis Il. 9, 184 sqq. v, 396 sq., aut Statii imitatione vel Silii; quae ad alias aetates pertinere videri potest. Sed in naturae humanae indole hoc ipsum videtur alte insitum esse, ut cum iis ipsis animantibus, quibus diu adsuevimus, tamquam cum familiaribus et sodalibus agamus et confabulemur. Atque hoc ipsum optimorum hominum confessione firmatum vidimus. Non vero pro epici carminis dignitate nimis humile hoc videri debet in equo bellatore. In Mezentio accommodatum erat hoc commentum, quia mox equi vulnere ipsi sessori caedes paratur. — 861. *res si qua diu mortalibus ulla est*: scilicet in fluxa hac rerum conditione. Gravis sententia et h. l. affectus plena. — 863. *Lausi dolorum* ex Lausi caede. II, 7: *lacrimae Creü-*

Vltor eris mecum; aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter. Neque enim, fortissime, credo 865
Iussa aliena pati et dominos dignabere Teucros.
Dixit et exceptus tergo consueta locavit
Membra manusque ambas iaculis oneravit acutis,
Aere caput fulgens cristaque hirsutus equina.
Sic cursum in medios rapidus dedit. Aestuat ingens 870
Vno in corde pudor mixtoque insania luctu
Et furiis agitatus amor, et conscia virtus;
Atque hic Aenean magna ter voce vocavit.
Aeneas adgnovit enim laetusque precatur:
Sic pater ille deum faciat, sic altus Apollo; 875
Incipias conferre manum.
Tantum effatus et infesta subit obvius hasta.
Ille autem: Quid me erepto, saevissime, nato
Terres? haec via sola fuit, qua perdere posses:
Nec mortem horremus nec divom parcimus ulli. 880
Desine. Iam venio moriturus et haec tibi porto
Dona prius. Dixit telumque intorsit in hostem;
Inde aliud super atque aliud figitque volatque
Ingenti gyro; sed sustinet aureus umbo.

sae. — 767 sq. Non haec inutiliter memorata, verum ad ἐνάργειαν, ut Mezentii imago sensibus nostris alte insideat.

871. *Vno in corde pudor*, pudor, furor, luctus uno et coniunctim eum inflammant: *pudor* quidem ex eo, quod filium pro se cadere passus erat. — 872. XII, 668 iterum occurrit, deest in optimis codd. et adversatur loci rationibus. Quare asteriscis notatur. — 874. *agnovit enim* est utique. δὴ, γάρ τοι, δὴ γάρ τοι. *enimvero.* | 875. Vt nunc interpungitur, iungenda sunt; *Sic.... faciat... (ut) incipias.* Potest tamen oratio iuvari: *Sic.... Apollo!* (sc. ut tu conferas manum, congrediaris mecum) *Incipias conferre manum. altus* Apollo est magnus, ut iam aliquoties novavit Maro. — 876. *Incipe*, ut IX, 741. — 877. *subit* h. l. simpl. it, occurrit, aliter sc modo. v. 798. — 879. *haec via sola*, nato erepto, filii morte. — 880. *nec divom parcimus ulli*, curo, ut ab eo auxilium exspectem. Alio loco (XI, 52) *nihil diis debentem* eodem sensu dixerat *parcere* h. l. pro vereri, metuere ideoque omnino *curare*. Sic Gr. φείδεσθαι et φειδὼ pro cura. — 881. *Desine* terrere. — 883. *volatque*, de equitantis in orbem velocitate. —

Ter circum adstantem laevos equitavit in orbis 885
Tela manu iaciens; ter secum Troïus heros
Inmanem aerato circumfert tegmine silvam.
Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula taedet
Vellere, et urguetur pugna congressus iniqua:
Multa movens animo iam tandem erumpit et inter 890
Bellatoris equi cava tempora coniicit hastam.
Tollit se adrectum quadrupes et calcibus auras
Verberat effusumque equitem super ipse secutus
Inplicat eiectoque incumbit cernuus armo:
Clamore incendunt coelum Troësque Latinique. 896

885. Laevam in partrm non modo ob naturalem equi flexum in laevum, sed ideo maxime equitabat, ut ipse laeva clipeo tectus et dextra expedita Aeneae, qui ei semper a laeva in interiore gyri orbe stabat, dextrum latus peteret, quod a clipeo tectum non erat. Sed Aeneas clipeum circumfert, et hunc quidem v. 887 oneratum infixis hastis: is exceperat et austinuerat tela.

889. *pugna iniqua*, contra equitem ipse pedes, — 894. *inter tempora coniicit hastam*: traiicit tempora. Comparant similem locum Il. Θ, 81, ubi Nestoris equus, παρήορος (tertius adiectus bigis, συνωρίδι, idem qui et στιραῖος στιραφόρος, nobis funalis, *an der Leine*) percutitur ἄκρην κατὰ κεφαλὴν etc.; ibi equus primum exsultat (ἀνέπαλτο), tum caput in terra volutat, ut telo se liberet (κυλινδόμενος περὶ χαλκῷ, ut h. l. *cernuus*). — 892-894 Quod natura in tali vulnere fert, poëtam scripsisse probabile fit. Igitur equus primum prioribus crurilus elevatus se erigit; simul prae dolore calcibus calcitrat: sic equus effunditur et h. l. quidem *in latus* (non in caput, nec resupinus; neutrum reliqua admittunt); mox ipse equus in caput procumbit et armo suo incumbit prostrato Mezentio: Sic mihi videntur singula esse tenenda, ut locus expediatur. *tollit se adrectum*, prioribus pedibus erectis haud dubie. Cf. XI, 637, 638, 639 et bene inter multa inania Cerda laudavit Livii locum VIII, 7: *Circumactis deinde equis... speculum inter aures equi fixit; ad cuius vulneris sensum quum equus prioribus pedibus erectis magna vi caput quateret, excussit equitem*. Adde Silium lib. IX, 595 sqq., ubi res ad elephantum traducta. *calcibus* de posterioribus pedibus accipio: quis enim neget equi naturam sic ferre, ut prae dolore calcitret? — *Implicat*; hoc ipse poëta dilucidat; *cernuus incumbit armo*, suo scilicet, equus (quis enim aliter accipiat?) domino eiecto: quippe qui ad latus equi exciderat. *cernuus* proprie de praecipitato, κυβιστᾷ. — 895. *Clamore incendunt coelum*, uti et mox XI, 147 *incendunt clamoribus urbem*. Esse pro *implent*, facile unusquisque et videat et dicat. Sed rationrm reddere non tam facile est. Cerda duas rationes proponit, quarum neutra satis facit. Mihi sic videtur

Advolat Aeneas vaginaque eripit ensem
Et super haec: Vbi nunc Mezentius acer et illa
Effera vis animi? Contra Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit coelum mentemque recepit:
Hostis amare, quid increpitas mortemque minaris? 900
Nullum in caede nefas, nec sic ad proelia veni;
Nec tecum meus haec pepigit mihi foedera Lausus.
Vnum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro;
Corpus humo patiare tegi. Scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc, oro, defende furorem 905
Et me consortem nati concede sepulcro.
Haec loquitur iuguloque haud inscius adcipit ensem
Vndantique animam diffundit in arma cruore.

expedienda forma haec. Poëtis *incendere* est augere, magnum facere quid: simili modo *adolere* adhibetur: v. ad Ge. IV, 379. Inde dicitur aliquis *incendere clamorem in aere, coelo*, h. e. magnum clamorem movere. Sic *incendere luctum* IX, 500, ubi v. not. *vires* V, 455. etc. Ductum autem ex Tragicorum φλέγειν, ἐπιφλέγειν pro ἐγείρειν, ἀνεγείρειν, v. c. Soph. Ai. 196, Aeschyl. Pers. 393, ubi cf. Brunck. Iam poëta hoc ipsum doctius transfert ad coelum, quod hactenus proprie ideo incendi dici potest, quatenus res magno motu accepto omnino *incalescunt*, *fervent*. Hinc *fora fervent clamoribus, theatra strepitu*.

899. *hausit coelum*: hausit oculis, quod malim; seu coelum pro aura; simulque animam recepit e deliquio. — 901, 902. Interfice me: mortem non deprecor. Hoc sic extulit poëta: Non erit crimini me interfecisse, *nullum in caede nefas* (Serv. et Cerda: «Mori viro forti nefas non est:» quod est remotius). — *nec si*. Lausus meus pugnaturus non ita tecum pactus erat, ut ne me interficeres, aut ut ego mortem deprecarer; *nec sic ad proelia veni*, h. e. nec Lauso a te caeso pugnae haec conditio nobis proposita est. Immo vero, dum Lauso superstes esse non sustineo, mori decrevi. — 903. *Per, si qua est venia* ex more in precum formulis pro: *per veniam, si qua est*. *venia*, gratia, beneficium. Similes morientium preces dederat Homerus Il. χ, 388 sq. et alibi. — 905. *defende furorem*, propulsa (ut iam toties sic ex ἀρκεῖν) odia et iras, quominus corpus meum insepultum abiiciant at male mulcent: est αἰκίζεσθαι. — 906. *consortem sepulcro nati* pro vulgari oratione *consortem sepulcri nati* posuit exquisitius. Esse pro hoc dictum illud etiam Macrob. IV, 6 monuit. — 908. Iungenda sunt: cum *cruore undanti in arma*, thoracem seu clipeum. Cf. v. 487. Ceterum in toto hoc de Lausi et Mezentii morte loco se ipsum superasse poëtam tragico affectu et carminis dignitate epica fatendum est.

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER VNDECIMVS.

ARGVMENTVM

Occiso Mezentio victor Aeneas Marti tropaeum erigit; Pallantis mortui corpus magno pompae apparatu ad Evandri urbem remittit: ubi summo et patris et suorum omnium luctu excipitur — 99. *Interim oratores a Latinis missi dierum duodecim inducias impetrant: quo temporis spatio utrique suorum cadavera perquirunt supremoque sepulturae honore prosequuntur* — 224. *Eodem quoque tempore Venulus, quem sub belli initium legatum ad Diomedem miserant Latini, ad suos redux auxilia sibi denegata renunciat* — 295. *Ea spe destitutus Latinus consilio convocato de summa belli consultat legatosque de pacis conditionibus ad Aeneam mittendos censet* — 335. *Ibi Drances et Turnus pro inveterato inter ipsos odio se mutuis conviciis proscindunt* — 444. *Interim Aeneas, bipartito divisis copiis, levis armaturae equites planis itineribus ad urbem praemittit: ipse cum reliquo exercitu per loca silvis montibusque impedita ad editiorem oppidi partem contendit. Cuius rei nuntio Laurentum perlato consilium dimittitur: paranturque ea, quae ad urbis defensionem putantur pertinere* — 485. *Turnus cognito per exploratores Aeneae consilio bifariam et ipse suas copias partitur: equitibus Messapum et Camillam praeficit eosque hostium equitibus opponit; ipse cum peditibus angustias, qua necessario Aeneae ad urbem iter erat, breviori itinere occupat atque ibi in insidiis subsistit* — 531. *Interponitur episodium de Camilla* — 596. *Interim equestre praelium committitur, diuque dubio utrimque eventu pugnatur* — 647. *Ibi Camilla magna prius edita hostium strage, dum Chloreum Cybeles sacerdotem armorum eius pulchritudine capta incautius sequitur, ex insidiis ab Arunte hasta traiicitur* — 835. *Quam tamen*

sacrae virginis caedem Aruns non diu tulit inultam; nam et ipse paulo post ab Opi, Dianae ministra, sagitta trulectus offensi numinis poenas persolvit — 867. *Camillae nece consternati Rutuli fugam arripiunt: Troiani urbis oppugnationem parant* — 895. *Eius calamitatis nuntio ab Aeca Camillae comite ad Turnum perlato, relictis quas obsederat angustiis, suis auxilio accurrit. Eodem subsequitur et Aeneas; et, quoniam imminente iam nocte praelium committi non poterat, utrique positis ante urbem castris considunt* — *ad f.*

Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
Aeneas, quamquam et sociis dare tempus humandis
Praecipitant curae turbataque funere mens est,
Vota deum primo victor solvebat Eoo.
Ingentem quercum decisis undique ramis 5
Constituit tumulo fulgentiaque induit arma,

Ductus adversus Latinorum urbem Laurentum Aeneae exercitus merito, ut partem argumenti et rerum narratarum, ita librum Aeneidis constituit: quod quidem per se parum fecundum et ieiunum magna rerum, accessionum et episodiorum copia ornavit poëta: funere Pallantis, sepultura caesorum, reditu legatorum Latini ad Diomedem, consultatione de legatis cum pacis conditionibus ad Aeneam mittendis et, in ipso accessu ad urbem, Camillae pugna ac caede. Inprimis autem insignis hic liber orationibus insertis, in quibus ῥητορικεύειν videri potest poëta et affectare laudem Homeri, qui simili more rhapsodiam ῥητορικὴν, quae nona est, i., inseruit Iliadi; hac tamen re superior noster, quod ad tragicas ῥητορείας haec accommodavit per vim sententiarum et vocum, δεινότητα καὶ μεγαλοπρέπειαν.

1. Altero mane post superioris diei pugnam, cuius exitum non diserte memoravit, sed Mezentii caede territos Rutulos in fugam se dedisse facile unus quisque assequitur. Brevitatisne studio hoc dederit poëta, qui semper ad eventum festinat et, quae ornari nec possunt, omittit; an secundis curis reservarit, quis pro certo affirmet? — 2, 3. *curae praecipitant* potentius quam: urget, premit cura, ut impendat tempus humationi caesorum militum. *funere*, dolore ex funeribus suorum, in primis Pallantis — 4. *Eoo*, Lucifero, ut III, 588. Notum Ἑῴος, ἠῶος ἀστήρ. Ad Aeneae autem religionem hoc spectat, quod ante omnia persolvit diis vota (*vota deorum*) et nunc quidem tropaeo in Martis honorem erecto; re a Graecis petita (ubi varbum et res saepe occurrit, in gemmis etc. quoque representata. *R.*) et ad Troianos traducta. Nam Italorum non erat tropaeum statuere; nisi quod tentata res est a Pompeio, tum ab aliis. — 5. Locus de tropaeo erigendo luculentus, quem

Mezenti ducis exuvias, tibi, magne, tropaeum,
Bellipotens. Aptat rorantis sanguine cristas
Telaque trunca viri et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis: clipeumque ex aere sinistrae 10
Subligat atque ensem collo suspendit eburnum.
Tum socios, namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum, sic incipiens hortatur ovantis:
Maxima res effecta, viri! timor omnis abesto,
Quod superest! haec sunt spolia et de rege superbo 15
Primitiae, manibusque meis Mezentius hic est.
Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
Arma parate, animis et spe praesumite bellum,
Ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa

aemulatus est Stat. Theb. II, 704 sqq., ad orationis saltem copiam comparandus. Aliud tropaei genus humeris gestatum v. 83, 84. Truncum quercus amputatum statuit Aeneas in *tumulo*, seu eminentiore luco seu terra aggesta. *aggere camporum medio* dixit Statius l. c. 708. — *tela trunca viri*, fractas Mezentii hastas, X, 882 sqq. — *bis sex*, h. e. saeplus. Statius ib. *perfossaque volnera crebro arma*. Illata fuere vulnera per totam pugnam. v. X, 691, 692. 715, 716 (*eburnum*, quatenus capulo eburneo s. vagina eburo distincta erat ornatus: Odyss. VIII, 404.

14, 15. Mutavi hic Heinsianae recensionis interpunctionem, quae manifeste sententiam vitiabat: *Maxima res effecta viri. Timor omnis abesto. Quod superest: haec sunt* etc. Imo vero iungenda: *timor omnis abesto*, quod ad id attinet, *quod superest*, (κατὰ) τὸ λειπόν τοῦ πολέμου (*Viri* est vocat., non genit., ubi ad *timor* fuit, qui retractum mallet. *R.*) Quae sequuntur: *haec sunt spolia*, illustrant illa: *maxima res effecta*. Similis oratio Achillis victo Hectore Il. χ, 391-394, ubi Ἡράμεθα μέγα κῦδος, quod hic *Maxima res effecta*, simpl. pro magna res peracta. *primitiae* sc. vel belli vel spoliorum, τὰ ἀκροθίνια: ut poëtice ornaverit rem et propria et exquisita voce. *de rege superbo*, Mezentio, non Turno, ut Serv. et alii. — 16. Et mea virtute de Mezentio nihil superest quam hoc tropaeum, haec eius arma trunco imposita. Paullo durior est oratio verborum iunctura: *meis manibus Mezentius hic est*, virtute mea talis est. Dictum puta cum gestu: οὗτος ἐκεῖνος ὁ Μεζέντιος. Supra IX, 481: *Hunc ego te, Euryale, adspicio*. Si *cadaver* ostenderetur, expeditior res esset: nunc *tropaeum* ostenditur, quod Mezentium esse ait. Hoc tamen acumen veteribus, saltem Maroni placuisse, praeter vs. 775. lib. X: *voveo Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropaeum*, v. 473 docet. *Tu quoque* (Turne) *nunc stares immanis truncus in armis*: tu quoque nunc esses tropaeum. Pro adverbio *hic* acci-

Adnuerint superi pubemque educere castris, 20
Inpediat segnisve metu sententia tardet.
Interea socios inhumataque corpora terrae
Mandemus, qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait; egregias animas, quae sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis 25
Muneribus; maestamque Evandri primus ad urbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies et funere mersit acerbo.
Sic ait inlacrimans recipitque ad limina gressum,
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes 30
Servabat senior, qui Parrhasio Evandro
Armiger ante fuit; sed non felicibus aeque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.
Circum omnis famulumque manus Troianaque turba
Et maestum Iliades crinem de more solutae. 35
Vt vero Aeneas foribus sese intulit altis,
Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt

piunt nonnulli, minus bene: nec melius succedit, si quis cum Cerda titulum imaginis animo cogitet. — 19. *ubi primum*, cum primum, *vellere signa annuerint superi*. Verba Romana; et captis auguriis id fieri solitum: sed hic poëta ornatus causa tantum posuisse videri debet: quamprimum licebit agmen ducere. — 21. *sententia*, consilium, sensus animi, *segnis* pro segnitie, cunctatione; quod adiuncta efficiunt: *segnis metu, et tardet*. — 23. *qui solus*: notissimum illud Homericum: τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων Il. π, 675 et alibi. — 24, 25, 26. Egregia et in laudationibus (λόγοις ἐπιταφίοις) pro patria mortuorum, e. c. in Platonis Menexeno et Lysiae oratione funebri, frequentata oratio. Illud proprium attexuit, quod *hanc patriam* dixit, novas sedes in Latio. — 27. *quem non virtutis egentem* Ennii versum esse Servius notavit. Homericum: οὐδέ τι ἀλκῆς ὀευόμενον.

29-99. Corpus Pallantis pompa funebri ad patrem Evandrum ducitur. *ad limina*, in receptis castris seu nova Troia. *ubi*, in vestibulo ex more. ἀνὰ πρόθυρον, Il. τ, 242. — 31. Παρρασίῳ Εὐάνδρῳ. — 32. *armiger*, ὀπάων, ut iam supra, et *comes*, θεράπων. — *auspiciis*, h. l. eventu. — 35. An recte *Iliades* memoratae sint, vide ad IX, 217. III, 65. Mos autem perpetuus cum veteris sevi, ex Homero notus, tum barbarorum ac ferorum populorum, ut lamenta super mortuo facerent non viri, sed feminae. — 36 sqq. Ad naturae veritatem pertinet, quod Ae-

Pectoribus, maestoque inmugit regia luctu.
Ipse, caput nivei fultum Pallantis et ora
Vt vidit levique patens in pectore volnus 40
Cuspidis Ausoniae, lacrimis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miserande puer, quum laeta veniret,
Invidit Fortuna mihi, ne regna videres
Nostra neque ad sedes victor veherere paternas?
Non haec Evandro de te promissa parenti 45
Discedens dederam, quum me conplexus euntem
Mitteret in magnum imperium metuensque moneret
Acris esse viros, cum dura proelia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captus inani
Fors et vota facit cumulatque altaria donis: 50
Nos iuvenem exanimum et nil iam coelestibus ullis
Debentem vano maesti comitamur honore.
Infelix, nati funus crudele videbis!
Hi nostri reditus exspectatique triumphi?

nese adventu renovatur luctus. Comparat Servius Statii locum, VI Theb. 37 sqq.; multo magis convenit Valer. Fl. in funere Cyzici, III, 289 sqq. — 40. *levi*, pulchro, puerili: nondum setoso, ait Serv. Malim de loto et a cruore purgato accipere. — 47. *in magnum imperium*. De Lalio et de novis in eo sedibus parandis accipiendum omni dubio caret. Aucta res magnifice a poëta; *magnum*, respectu fatorum ac vaticiniorum, quibus Aenese eiusque posteris magnum in Italia imperium promissum erat. Hinc ducta plura loca: IX, 267. IV, 267-275. — 49, 50. Color sententiae similis apud Sophocl. Aiac. 589, 90. — 51. *nil iam coelestibus ullis Debentem*. Animose dictum! Referendum autem ad v. 50: *vota facit cumulatque altaria donis*, atque hinc illustrandum. Qui vota facit, *debere* dicitur *diis*, si rata sunt; sin irrita sunt, nihil debet. Adeo iuveni iusta persolvimus, pro quo vota ab Evandro patre frustra suscepta fuere et quem dii salvum et incolumem esse noluere. Manifeste hoc mutuatus est poëta a Sophocle; etsi paullulum inflexit. Ibi Aiax, cum per deos obsecrasset Tecmessa, ut vitae parceret, vss. 589, 590: Ἀγὰν γε λυπεῖς· οὐ κατοῖσθ', ἐγὼ θεοῖς Ὡς οὐδὲν ἀρκεῖν εἰμ' ἀρτιλέστης ἔτι; *annon vides, nihil me debere diis, quod quidem iis praestem?* salute scilicet sua desperata, nihil amplius debebat diis σωτῆρσι. Cf. ad X, 880. Plerique in Marone eo referunt sententiam, quod Pallas iam sub deorum inferorum potestatem venit. — *vano* hactenus, quod eo mortuus in vitam non revocatur. Sic VI, 886 *inane munus*. — 54. *Hi nostri reditus*. *nostri*, a nobis promissi; alias friget. Et sequitur: *haec mea ma-*

Haec mea magna fides? At non, Evandre, pudendis 55
Volneribus pulsum adspicies; nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Praesidium Ausonia et quantum tu perdis, Iule!
Haec ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat et toto lectos ex agmine mittit 60
Mille viros, qui supremum comitentur honorem
Intersintque patris lacrimis: solatia luctus
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii cratis et molle feretrum
Arbuteis texunt virgis et vimine querno, 65
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic iuvenem agresti sublimem stramine ponunt,
Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violae seu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc, necdum sua forma recessit; 70
Non iam mater alit tellus viresque ministrat.
Tunc geminas vestis auroque ostroque rigentis
Extulit Aeneas, quas illa laeta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro. 75
Harum unam iuveni supremum maestus honorem

gna fides? — *at non pudendis* (sed pulchris et honestis, adverso corpore, cf. Il. ν, 288 291.) *volneribus pulsum*, πληγέντα, percussum. — 56. *sospite ... nato* sc. cum infamia, turpi fuga e pugna servato: cuius dedecoris dolore exardescens pater infaustus sibi mortem, *dirum funus*, optat. Perperam Servii exemplo Interpretes trepidant et *sospite* pro sospiti dictum volunt.

59. *deflevit*, flendo finem fecit, ut Cannegieter ad Avian. fab. pr. exemplis illustrat: quem iam Burm. laudavit: nec tamen video, an omnino hoc necesse sit. — 66. *obtentu frondis*, obtentis frondibus ac ramis, qui umbram desuper corpori facerent posito in feretro e crati, ex virgis et viminibus contexta. — 68-71. Obvia comparatio et multis frequentata ac variata (cf. IX, 435-437.), sed h. l. suavissima ornamentorum copia et dilectu: *virgineo* pollice, — *florem seu ... seu ...*, et qui nondum marcidus elanguit: *cui neque ... recessit*: nec tamen pristino vigore nitet: *non iam mater*. — 73-75. Magistro Homero hoc didicit Maro, commendare rem seu artificis auctoritate seu mu-

Induit arsurasque comas obnubit amictu,
Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae
Aggerat et longo praedam iubet ordine duci.
Addit equos et tela, quibus spoliaverat hostem. 80
Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias caeso sparsuros sanguine flammam,
Indutosque iubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces inimicaque nomina figi.
Ducitur infelix aevo confectus Acoetes, 85
Pectora nunc foedans pugnis, nunc unguibus ora;
Sternitur et toto proiectus corpore terrae.
Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus positis insignibus Aethon
It lacrimans guttisque humectat grandibus ora. 90
Hastam alii galeamque ferunt; nam cetera Turnus
Victor habet. Tum maesta phalanx Teucrique sequun-
Tyrrhenique duces et versis Arcades armis. (tur,

neris auctore. *laeta laborum*. Cf. ad lib. I, 441, *laetissimus umbrae* ideoque illa sibi placens in opera sua et operis successu: quo ipso intelligitur praeclari fuisse artificii opus. Nec dicas dalectatam opere, quod in amantis Aeneae gratiam parabat (cf. IV, 262. *R.*) — 77. *obnubit*: sc. altera veste caput velavit. — 81. De iuvenibus his, quos inferiis destinaverat, v. ad X, 518-520 *caeso sanguine adspersuros* audacter pro caesorum, ut ibidem: *captivo sanguine*. — 83, 84. Fercula describit in triumphis gestari solita humeris: arma caesorum truncis infixa vel perticis cum titulis seu nominibus eorum, quorum arma fuerant. Sunt hi τροπαιοῦχαι: quali specie et nomine ipse Mars exhiberi solet. — 87. *Sternitur et* pro *nunc* stratus et proiectus humi: ut solebant facere doloris impatientia animique impotentia, ut in terram proiecti caput quoque pulvere foedarent: cf. ad 191. — 88. *currus* acciperem Pallantis currum, quo in pugna usus erat, nisi navibus venisset et statim unus equus subiiceretur; nunc hosti erepti currus intelligendi, conf. lib. X, 399 etc. — 89, 90. Homerico exemplo, Iliad. *p*, 426 sq. 437 sq. Quod Maronis aevo forsan ipsa imitatione placebat, nunc hoc ipso displicet, quod imitandi studium in oculos incurrit. Res per se heroicae vitae sensibus et studiis accommodata. Sed adhuc Suetonii tempore hoc credebatur, Iul. Caes. c. 81: nec prorsus male. — 91. *nam cetera Turnus victor habet*. Supra X, 496 sq. balteum tantum commemoraverat, e quo ensis pendere debuit. Reliqua tum reticuit. — 92 sq. Comparant Il. ψ, 429 sqq. de Patrocli fu-

Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
Substitit Aeneas gemituque haec addidit alto: 95
Nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli
Fata vocant. Salve aeternum mihi, maxume Palla,
Aeternumque vale. Nec plura effatus ad altos
Tendebat muros gressumque in castra ferebat.
Iamque oratores aderant ex urbe Latina 100
Velati ramis oleae veniamque rogantes:
Corpora, per campos ferro quae fusa iacebant,
Redderet ac tumulo sineret succedere terrae;
Nullum cum victis certamen et aethere cassis:
Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis. 105
Quos bonus Aeneas haud aspernanda precantis
Prosequitur venia et verbis haec insuper addit:
Quaenam vos tanto Fortuna indigna, Latini,
Inplicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacem me exanimis et Martis sorte peremptis 110
Oratis? equidem et vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent;
Nec bellum cum gente gero: rex nostra reliquit

nere. *versis armis*, h. e. hastis, haud dubie de suis temporibus sumsit poëta: cf. Tacit. Annal. III, 2. — 96. *Nos alias hinc ... vocant.* Egregie haec ad effectus et ad rerum veritatem. Bene ea transtulit Silius in nobilissimis illis versu. *I decus Ausoniae, quo fas est ire superbas Virtute et factis animas. Tibi gloria leto Iam parta insigni: nostros Fortuna labores Versat adhuc casusque iubet nescire futuros.* lib. X, 573 sqq. Burmannus Statii versus laudet IV Theb. 600, 601, 602. *Existis casus; bella horrida nobis Atque iterum Tydeus.* — 97. Il. ψ, 19, χαῖρέ μοι, ὦ Πάτροκλε, καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισι ... Nec diversa clausule in orationibus funebribus, Menexeni et Periclis.

100 sqq. Similis legatio Il. η, 381 sqq. Troianorum ad Achivos ad deposcenda mortuorum ad sepulturam corpora. Bene ea usus est poëta ad illustrandum Aeneae nomen. Erat enim ea tacita confessio Latinorum, victos se esse a Troianis. — 101. *Velati*, ἱστεμμένοι, gestantes ramos vittatos menibus. V. ad lib. II, 249. V, 72, 366. VII, 154, 237. — 101, 102. *veniam* sc. hanc, corpora ut redderet: eandem mox *pacem*, indulgentiam, concessionem. — 104. *aethere cassis*, II, 85, *lumine cassum*, vita. — 112. *Nec veni*, pro venissem.

Hospitia et Turni potius se credidit armis.
Aequius huic Turnum fuerat se opponere morti. 115
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Adparat: his mecum decuit concurrere telis;
Vixet, cui vitam deus aut sua dextra dedisset.
Nunc ite et miseris subponite civibus ignem.
Dixerat Aeneas. Olli obstupuere silentes 120
Conversique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior semperque odiis et crimine Drances
Infensus iuveni Turno sic ore vicissim
Orsa refert: O fama ingens, ingentior armis,
Vir Troiane, quibus coelo te laudibus aequem? 125
Iustitiaene prius mirer belline laborum?
Nos vero haec patriam grati referemus ad urbem
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Iungemus regi. Quaerat sibi foedera Turnus.
Quin et fatalis murorum adtollere moles 130
Saxaque subvectare humeris Troiana iuvabit.
Dixerat haec, unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigere dies et, pace sequestra,

νὺξ ἦλθον ἄν, εἰ μή. Cf. IV, 15 not. — 115. Aequius erat Turnum *huic se opponere morti*, se ubiiceret, periculum mortis subire. *huic*: qua hi caesi occubuerunt. — 118. *Vixet*, vixisset. Iam autem Turnus videri poterat navi aufugisse: X, 665 sq.

121. *conversi ... tenebant* pro vulgari conversos oculos, h. e. converterant oculos alter in alterum. — 122. *et crimine*, crimen pro criminatione; ut saepe. — 124. *armis* pro factis, rebus gestis; ut in illo Ciceronis, quod e Cat. mai. Macrob. VI Sat. 2 laudat: *contingebat in eo, quod plerisque contra solet, ut maiora omnia re quam fama viderentur.* Sed, ut Maronem a Cicerone petiisse credat, nemo in animum inducat. — 126. *Iustitiae ... mirer* ad notum graecismum (πότερον τῆς δικαιοσύνης μᾶλλον θαυμάζω σε, ἢ τῶν τοῦ πολέμου πόνων; conf. Vechneri Hellanolex. I, 2, 21 ed. Heusing. Nisi forte *laudibus* repetere malis. *R.*) — 130, 131. Quin nos parati sumus in exstruenda urbe fatis tibi in Latio destinata ipsi operas nostras adiungere. — 133. *pace sequestra*, h. e. induciarum fide et auctoritate. *Sequester*, seu medius et arbiter inter duo litigantes, fidem facit eius, de quo convenitur; vel eius arbitrio constituitur. *pax*, pactio, iutos praestabat h. l. et Latinos

Per silvas Teucri mixtique inpune Latini
Erravere iugis. Ferro sonat icta bipenni 135
Fraxinus; evertunt actas ad sidera pinus
Robora nec cuneis et olentem scindere cedrum
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.
Et iam Fama volans, tanti praenuntia luctus,
Evandrum Evandrique domos et moenia conplet, 140
Quae modo victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere et de more vetusto
Funereas rapuere faces; lucet via longo
Ordine flammarum et late discriminat agros.
Contra turba Phrygum veniens plagentia iungunt 145
Agmina. Quae postquam matres succedere tectis
Viderunt, maestam incendunt clamoribus urbem.
At non Evandrum potis est vis ulla tenere;
Sed venit in medios. Feretro Pallanta reposto
Procubuit super atque haeret lacrimansque gemens-
Et via vix tandem voci laxata dolore est: (que, 150
Non haec, o Palla, dederas promissa parenti.

et Troianos, ut permixti discurrerent. Numerum XII dierum ab Homero arripuit Il. ω, nec aliud quid quaerendum. — 134. *Per silvas:* itidem, ut Il. π, 449. — 135 sqq. Similia lib. VI, 180 not. — 136. *actas ad sidera pinus.* Ge. II, 364, *agit se palmes ad auras.* — 137. *olentem cedrum*, odoratam. De hac Graecorum et Latinorum cedro, quae ex iuniperorum genere est, satis dictum ad lib. VII, 13 et Ge. II, 443. Cf. Victorius in lib. 38, 1.

139—181. Pallantis corpus adductum a patre Evandro cum planctibus excipitur. Redit narratio ad vs. 29-98. — Ad 142. 3 Servius multa nugatur tamquam ex antiquitate Romana. Refert h. l. poëta ingeniose ad veterem Arcadum morem, quod Romanis solenne erat, ut faciebus et cereis accensis pompam funebrem ad rogum ducerent. Omnino nocturno tempore exsequias facere mos erat: quod tamen in nobilium funeribus non aeque obtinuisse inde colligas, quod pro rostris laudationes habebantur. Cum facibus fortasse etiam mos fuit ut obviam progrederentur mortuis, qui ex praeliis reportabantur. — 145. Comparant Il. ω, 707 sqq. — 146. *succedere tectis* h. l. ingredi urbem. — 147. *incendunt clamoribus urbem*, clamores per urbem magnos faciunt. V. ad X, 895.

152, 153. Turbata oratio dolore loquentis. Si vera est lectio, ita ut fecimus, interpungenda et sic ex-

Cautius ut saevo velles te credere Marti!
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis
Et praedulce decus primo certamine posset. 155
Primitiae iuvenis miserae! bellique propinqui
Dura rudimenta! et nulli exaudita deorum
Vota precesque meae! tuque, o sanctissima coniunx,
Felix morte tua neque in hunc servata dolorem!
Contra ego vivendo vici mea fata, superstes 160
Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum
Obruerent Rutuli telis! animam ipse dedissem,
Atque haec pompa domum me, non Pallanta, referret!
Nec vos arguerim, Teucri, nec foedera nec, quas
Iunximus hospitio, dextras; sors ista senectae 165
Debita erat nostrae. Quod si inmatura manebat
Mors natum: caesis Volscorum millibus ante
Ducentem in Latium Teucros cecidisse iuvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quam pius Aeneas et quam magni Phryges, et quam 170
Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis.
Magna tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto.

pienda est: Non hoc promiseras mihi in discessu! (contra promiserat discrimini se committere nolle) *ut velles*, utinam voluisses, *credere te Marti*, pugnae, periculo *cautius!* Etiam in sqq. sententiae abruptae dolorem arguunt. — 156. *Primitiae iuvenis*, iuvenilis virtutis, factorum. — *belli propinqui*, finitimi ac nimium vicini, quo Pallas mitti posset; ut Serv. — 160. *vivendo vici mea fata.* Simpl. accipin: vitam protraxi longius, quam natura ferre videbatur; mihique igitur ipse supervixi, ut pater superstes essem nato. *fata* pro morte, quam ex naturae lege maturius et ante filium parens subire debuisset. — 162. *Obruerent:* utinam me ipsum obruissent! — 166. *Quod si*, si tamen. Solari se ipsum incipit. — 167. *Volscorum*: ut poëta omnino pro hostibus dixit; nam Rutulis et Latinis aderant Volsci, duce Camilla: VII, 803. *iuvabit*, iuvet, iuvato; solatio esto, filium non cecidisse nisi aditu iam Troianis in Latium patefacto, per praelium secundum. — 172. Ferunt illi Tyrrheni et Troiani tropaea (v. 83, 84) h. e. spolia eorum, *quos dat*, dedit, *tua dextera leto.* Ait Evander insignius se funus filio parare haud posse quam hoc ipsum, quod ducitur, spoliis hostium caesorum tamquam pompa funebri ductis: quibus accessurae fuissent Turni exuviae, si Pallantis vires sui-

Tu quoque nunc stares inmanis truncus in armis,
Esset par aetas et idem si robur ab annis,
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis? 175
Vadite et haec memores regi mandata referte:
Quod vitam moror invisam, Pallante peremto,
Dextera caussa tua est, Turnum gnatoque patrique
Quam debere vides. Meritis vacat hic tibi solus
Fortunaeque locus. Non vitae gaudia quaero, 180
Nec fas: sed nato Manis perferre sub imos.
Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem referens opera atque labores.
Iam pater Aeneas, iam curvo in litore Tarcho
Constituere pyras: huc corpora quisque suorum 185
More tulere patrum; subiectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine coelum.
Ter circum adcensos cincti fulgentibus armis

mum aequassent. — 173. Esses tropaeum, Turne, pro tropaeum de te essel factum. V. ad v. 16. — truncus *in armis* est armis indutus: docte, ut multa huius formae. IX, 581, *stabat in armis* pro armatus. *equitem in armis* 164. Cf. ad V, 37. — 174. Si fuissel par aetas et robur Pallanti. — 175. Quid vos retineo ab armis, a bello prosequendo? — 177. Vitam mihi adeo invisam esse necesse est, ut eam quocunque modo abrumpam. Vt tamen eam tolerem, causa est *dextera tua*: spes de virtute tua, qua Turni caede Pallantis mei mortem es ulturus. Hanc *dextram*, hanc ultionem debes patri filioque. — 179, 180. *hic solus locus vacat*, relictus est, *tibi meritis*, ad merita, ut de me merearis, *et fortunae*: haec una ratio est, qua et tu mereri de me et fortunae ego aliquid debere possim. — 181. *sed quaero*, in votis habeo, *nato perferre*, nuntiare (sc. hoc, de Turno sumtam esse poenam) *Manes sub imos*, ut IV, 387, in morte, quam sibi brevi obeundam esse auguratur. Vnum illud paullo durius est, quod *perferre* absolute pro *perferre nuntium* dictum est.

182—202. Tolluntur utrinque caesi et comburuntur; primoque loco Troiani. *miseris*, δειλοῖσι βροτοῖσι, sc. propter hoc, quod sequitur: *referens* iis *opera atque labores*. — 184. In sqq. ritus funebres aevi heroici expressit, quos ex Homero illustret, qui volet, Iliad. η, 420-432. ψ pr. ad 27; 110 ad 257. ω, 777 sqq. Od. ω, 57. Alios auctores dabunt Guell. et Cerda. Etiam singulos versus comparant Intpp., qui tamen illustratione hac non indigere videntur. — 186. *ignibus atris*, propter fumum, non aliter; patet ex altero versu, ubi *caliginem* vocat. — 188. Vi oppositi *decurrere* ad pedites

Decurrere rogos; ter maestum funeris ignem
Lustravere in equis ululatusque ore dedere. 190
Spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma.
It coelo clamorque virum clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis derepta Latinis
Coniiciunt igni; galeas ensisque decoros
Frenaque ferventisque rotas; pars munera nota, 195
Ipsorum clipeos et non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora Morti;
Saetigerosque sues raptasque ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes. Tum litore toto
Ardentis spectant socios semiustaque servant 200
Busta, neque avelli possunt, nox humida donec
Invertit coelum stellis fulgentibus aptum.
Nec minus et miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxere pyras et corpora partim
Multa virum terrae infodiunt avectaque partim 205
Finitimos tollunt in agros urbique remittunt.

spectare videtur. Praeivit in hoc decursu Apollon. I, 1059. IV, 1535. Cf. Tacit. Annal. II, 7. — 194. Ex Il. ψ, 15: nec fidem excedere visa est res veteribus *humum humectari* lacrimis, nam prono ac demisso vultu incedentium lacrimae in solum cadunt. — 192. *clangor tubarum*. Tubas ex suo aevo adscivit Maro. — 195, 196. Alii arma *nota*, h. e. quibus populares, Troiani, mortui usi erant, in ignem coniiciunt: ea sunt *munera*, quia proprie sic dicuntur omnia, quae ad honorem funebrem spectant: *non felicia*, quibus se defendere nequiverunt, ut Serv. — 197. *Morti* tamquam deae. Sic Servius quoque, qui laudat similia loca, Statii IV Theb. 528. Lucan. VI, 600. Notabile tamen hoc: alias Orco vel Manibus et Inferis victimae hae mactari solent. — 202. Vsque ad auroram: ad sensus errorem dictum, poëtarum more, ac si per noctem coelum circumagatur ab occidente versus orientem: cf. II, 250, 251. Sicque Il. ψ, 154, 226 sq. ω, 788 sq. Interdiu struitur rogus nec accenditur nisi vesperi: ardet per noctem. Altero die vel tertio, ut h. l. v. 210, ubi rogus refrixerat, legebantur cineres. — De v. 202 *coelum stellis aptum*, h. e. stellas habens coelo aptas, insertas, vidimus iam IV, 482.

204, 205. De industria haec memorasse videtur, quoniam in Italia semper variavit sepultura, modo crematione modo humatione in usum recepta: prout vel ipsa silvarum copia vel inopia suadebat. Sic apud Roma-

Cetera confusaeque ingentem caedis acervum
Nec numero nec honore cremant; tunc undique vasti
Certatim crebris conlucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam coelo dimoverat umbram: 210
Maerentes altum cinerem et confusa ruebant
Ossa focis tepidoque onerabant aggere terrae.
Iam vero in tectis, praedivitis urbe Latini,
Praecipuus fragor et longi pars maxima luctus.
Hic matres miseraeque nurus, hic cara sororum 215
Pectora maerentum puerique parentibus orbi
Dirum exsecrantur bellum Turnique hymenaeos;
Ipsum armis ipsumque iubent decernere ferro,
Qui regnum Italiae et primos sibi poscat honores.
Ingravat haec saevus Drances solumque vocari 220
Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contra variis sententia dictis
Pro Turno; et magnum reginae nomen obumbrat;
Multa virum meritis sustentat fama tropaeis.

nos; sic apud Etruscos, *avecta tollunt*, ornate, avehunt: sc. sublatos in currum. *urbi*, Laurento. — 207. *caedis*, caesorum. — 208. *nec* cum *numero*, numero non inito, *nec* cum *honore*, quia indiscrete nec singulis singuli rogis cremantur: quod honorificum fuisset. Nisi expeditius est substituere; caesorum, *qui* nec numero erant, nec *in* honore. *In numero habentur*, *in numero sunt*, qui vulgo in *numero aliquo* esse vel haberi dicuntur. — 210 sq. V. modo ad v. 202. — *ruebant*, de cineribus eruebant, pro legebant. *focis*: audacter pro pyris. — 212. *tepido*: translate, cui tepida ossa inferebantur.

213. Impeditus locus al mendo laborare visus. Et sane *in tectis.... urbe Latini* scabra videtur esse oratio: ut Latinus praedives in urbe sit, multo minus placet. Potest tamen locus aliquanto iuvari distinctione et interpretatione opportuniore. Transit ab agris ad luctum in urbe: dicendum erat *in tectis*, h. e. domibus, *urbis*; hoc sic extulit: *in tectis, praedivitis.... urbe Latini*, 215 sqq. Enumeratio miserationi apta et multis poëtis frequentata. — 215, 216. Cara sorores. — 219. *primos honores*: ut praeferatur in Laviniae matrimonio, eumque ea in regni successione. — 220, 221. Cf. quae supra ex Aenea audierat Drances v. 115 sq. — 222-224. Contra etiam multae sententiae diversae erant pro Turno: eumque et regina Amata, quae ei studebat, iuebatur et fama magnarum rerum

Hos inter motus, medio in flagrante tumultu, 225
Ecce! super maesti magna Diomedis ab urbe
Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum inpensis operum; nil dona neque aurum
Nec magnas valuisse preces; alia arma Latinis
Quaerenda aut pacem Troiano ab rege petendam. 230
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.
Fatalem Aenean manifesto numine ferri,
Admonet ira deum tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum primosque suorum
Imperio adcitos alta intra limina cogit. 235
Olli convenere fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis et maxumus aevo
Et primus sceptris, haud laeta fronte, Latinus.
Atque his legatos Aetola ex urbe remissos,
Quae referant, fari iubet et responsa reposcit 240
Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
Vidimus, o cives, Diomede Argivaque castra
Atque iter emensi casus superavimus omnis

gestarum sustentabat. *obumbrat* eum, luetur, defendit, ut Serv.

225 sq. Insuper, super haec omnia, legati redeunt ad Diomedem Argyrippam missi. Vide lib. VIII, 9 sqq. — 232, 233. *ita deum* (propter adversam belli fortunam; unde etiam subiicitur: *tumuli ante ora recentes*) *admonet numine manifesto*, clara voluntatis deorum significatione, *ferri* (esse) *Aeneam fatalem*: fatis ei sedem in Latio esse destinatam. — 235. Comparani locum de simili concilio Iliad. β, 51 sqq. et ad vs. 239 sqq. renuntiationem legatorum Il. ζ, 667 sqq. — *imperio adcitos*, cum iis imperatum esset, ut venirent. — 238. *primus sceptris*, imperio et dignitate, inter reges ac duces copiarum, qui auxilio venerant. *sceptris* pro sceptro.

242-295. Narratio magna cum arte contexta, ut, quidquid Latinis exspectationem auxilii fecisset, in contrarium versum omnem spem praecideret, contra vero poenitentiam belli suscepti moveret; Diomedes meliora se edoctum professus, infausta Archivorum fata in reditu a Troia, commendatio Aeneae ab ipso hoste et adhortatio ad pacem ineundam.

243. *Diomede*, accus. graec. Διομήδεα, Διομήδη. *Argiva Castra* pro urbe Argyrippa, ut toties novam Tro-

Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus. 245
Ille urbem Argyripam, patriae cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Iapygis arvis.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi:
Munera praeferimus, nomen patriamque docemus;
Qui bellum intulerint, quae caussa adtraxerit Arpos. 250
Auditis ille haec placido sic reddidit ore:
O fortunatae gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii, quae vos fortuna quietos
Sollicitat suadetque ignota lacessere bella?
Quicumque Iliacos ferro violavimus agros 255
— Mitto ea, quae muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simois premat ille viros —, infanda per orbem

iam Troianorum castra dicta vidimus. — 245. *Contigimus manum* ad dextram datam refer, hospitii et amicitiae pignus; ut VIII, 124 in accessu ad Evandrum. *Ilia tellus*, Ilium urbs, ut toties *gens*, *urbs*, *terra*, poëtis permutantur; ut mox v. 246. — 246. *patriae cognomine gentis*, h. e. urbis, Argos Hippium in Peloponneso designat, cuius nomine novam in Apulia a. Daunia conditam urbem a Diomede appellatam tradidit antiquitas; ut corrupto eo nomine postea Argyrippa facta sit, et nunc *Argyripa*, tandemque *Arpi*. *patriam* autem gentem seu urbem Argos appellat poëta improprie; fuit enim Diomedes Aetolus: sed Adrasti filia, Aegialea, ducta in regno Argivorum successerat. Cf. vs. 269. — *Victor*, armis cum Dauno adversus Messapios iunctis, conditione proposita, ut pro auxiliis latis agri partem aceiperet. V. Antonin. Liberal. Met. c. 37. — *Gargani Iapygis*, Iapyx pro Iapygius, ut tot alia. Etiam in Ovidio, qui b. l. expressit, Met. XIV, 458 *Daunus Iapyx* occurrit. Patuit autem Iapygiae nomen latius et ad Apuliam, Calabriam et Messapiam pertinuit. *arvis Gargani*: paullo latius, in tractu tarrarum, quae ad eum montem (nunc *Monte di S. Angelo*) pertinent. — 252, 253. *Saturnia regna*, quibus olim Saturnus regnavit; et hoc respectu *fortunatae*, cf. VIII, 324, 325. — *Antiqui Ausonii*: ab Ausonibus enim oriundi sunt Latini, et ipsi Ausonum pars. *Ausonios* autem, sc. viros, populos, dixit ut poëta pro Ausonibus. Sic *Phrygii viri* XI, 677 cf. VII, 39. — 254. *lacessere bella* ut: movere bellum, monitum iam ad X, 10 *ignota*, pro bello dubii et incerti exitus, nisi dixeris, cum ignota gente. — 256, 257. Ne memoram, ut omittam, ea, quae urbe expugnanda ab Achivis tolerata sunt: quot viri in locis illis circa Simoëntem occubuerint. *Simois ille*, cum assecratione, *premat* sc. mersos. Similiter I, 100: *ubi tot Simois correpta sub undis Scuta virum galeasque et fortia corpora torquet*. Vbi iam laudatus locus, quem

Supplicia et scelerum poenas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus: scit triste Minervae
Sidus et Euboïcae cautes ultorque Caphereus. 260
Militia ex illa diversum ad litus adacti,
Atrides Protei Menelaus adusque columnas
Exsulat; Aetnaeos vidit Cyclopas Vlixes.
Regna Neoptolemi referam versosque Penatis

respexit poëta, Iliad. μ, 22 sq. Adde Od. γ, 107-147. — 258. *Supplicia et poenas*: atrocibus vocabulis utitur pro malis et aerumnis, quasi hae pro poena excisi Ilii fuerint: et ante *violavimus* dixerat, tamquam in sacrilegio. — 259. Servius laudat Pacuvii illud: *Si Priamus adesset, et ipse eius commiserescere*t. Vides, qua brevitate sententiam complexus Maro vibraverit! Color alioqui orationis multis frequentatus. Exempla collegit Cerda. Ovidius XIV Met. 474, ubi totum hunc locum ante oculos habet: *Graecia tum potuit Priamo quoque flenda videri*. Et ipse Maro II, 6, 7: *Quis talia fando Temperet a lacrimis. — triste Minervae sidus*. Imitit Servius aut quisquis eius nomen mentitur, quando arietem et manubias Minervales, h. e. fulmina, memorat. Cerda de face a Nauplio, Palamedis patre, in fraudem Graecorum elata accipit *sidus Minervae*: non magis commode. Alii aliter. Quod simplicissimum est, hoc tenebimus. Tempestates ortas per siderum ortus et occasus declarare perpetuus poëtarum usus est. Tempestas, qua Achivorum classis disiecta est, Minervae ira (cf. lib. II, 163 sqq.: I, 39 sq.) fuit concitata; v. Od. α, 326, 327; in primis γ, 134, 135 sqq. Nihil igitur magis in promtu, quam tempestatem a Minerva commotam *sidus Minervae* appellari, nullo respectu alio habito. Sane quidem Solinus c. 11: *Caphereus promintet in Hellespontum, ubi post Ilii excidium Argivam classem vel Minervae ira, vel, quod certior prodit memoria, sidus Arcturi gravibus affecit casibus*. Sed sub Arcturi ortum non dilata est Achivorum navigatio, quippe aestate facta: verum sub etesiarum aquilonum ortum. *ultorque Caphereus*: promontorium Euboeae versus orientem, ὁ Καφαρεύς et Καφηρεύς, propter latentia sub unda saxa et vortices marisque aestum, in primis propter naufragia Graecorum a Troia redeuntium infame. *ultor* omnino ornat, tamquam calamitosum saxum; nisi placeat ad Aiacis Oilei naufragium referre, quo Minerva eum ulta est: I, 39 sq. cf. Propert. IV, 1, 14 sq. Multa congessit Lennep. ad Phalar. Epp. p. 89.

262. *Atrides*, Menelaus: de cuius erroribus v. Odyss. δ, 81 sqq. 351 sqq. *adusque Protei columnas*: novavit paullo audacius poëta pro finibus Aegypti, nam Proteus ad Pharum in aulam sedem habebat, ut ex Od. l. c. 351, 354 satis constat: sed, ut maiore animum phantasmate perculeret, *columnas* dixit *Protei*, ut extremas terrae plagas significaret; quemadmodum *Herculis columnas* extremas versus occidentem terras dicere mos est. *exsulat*: simpl. errat. Male aliter Serv., Cerda. — 264. *Regna Neoptolemi*. Novum regnum Pyrrhi

Idomenei? Libycone habitantes litore Locros? 265
Ipse Mycenaeus magnorum ductor Achivum
Coniugis infandae prima intra limina dextra
Oppetiit; devictam Asiam subsedit adulter.
Invidisse deos, patriis ut redditus aris
Coniugium optatum et pulcram Calydona viderem! 270
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socii amissi petierunt aethera pennis,

in Epiro, v. III, 296-319. — *versos Penates Idomenei*, eversam domum et regnum; v. lib. III, 121 sq. ibique notam. — 265. *Libycone habitantes littore Locros.* Memorari hoc alio loco non memini: sed Maro habere potuit ex Νόστοις seu epicis illis carminibus, quae in Achivorum a Troia redeuntium casibus versabantur, qui tamen, quantum scimus, nihil afferunt. Certe Aiacis Oilei comites Locros, delatos in littora Africae, in his locis consedisse tradidisse olim videntur nonnulli nobis prorsus ignoti, quos tamen poëta h. l. sequitur. Ita ap. Pindar. P. 5, 110 Autenoridae cum Helena et a Lysimacho Menelaus cum Helena Cyrenes loca adiisse narrati erant Sch. Lycophr. 871. Variae in Servianis partes Africae a variis memorantur, sed incerta fide. Alii ex Locris his in Bruttiis consederant. vid. lib. III, 399 cf. ibi Serv. — 266-268. De Agamemnone, qui Clytemnestrae et Aegisthi insidiis periit. *prima intra limina* puto dictum pro in primo statim limine, h. e. primo aedium ingressu, cum vix domum intrasset. Servius: in ipso limine imperii, id est, in littore: quod non placet. Sed nec ad locum aedium referre licet, ut in atrio occisus sit: etsi convivia in celebriore aedium loco habebantur, inter quae caesus ille fuit. v. Odyss. λ, 408 sqq. — 268. Victorem Troiae *subsedit* i. e. excepit insidiis adulter. Magnifice verbis ornatum! *Subsidere* de insidiis elegans vocabulum; ex quibus ex improviso adoritur quis, invadit et intercipit rem. — 269, 270. *Invidisse deos*, sc. an referam! — *Calydona viderem.* Hic sui non satis memor fuit Maro. Argos redire Diomedes debuit, quibus regnabat, unde copias eduxerat et ubi Aegialea uxor degebat, non Aetoliam, unde genus ducebat: in primis cum v. 243 *Argiva castra* memorasset. Etiam Homerus Odyss. λ, 180, 181, 182 reditum ad Argos diserte memorat. Rectius Ovidius, quem haec ante oculos iam supra monuimus, XIV Met. 470: *Patriis sed rursus ab Argis Pellor* (Quum Virgilius tum Cyclicis et Tragicis poëtis usus sit ideoque non in omnibus Homerum probaverit, tum multis de Diomede carminibus aliisque fontibus mythicis, nunc prorsus deperditis uti potuerit, nec verisimile sit Maronem h. l. toto coelo, ut aiunt, errasse; statuere licet eum, illa de Aegialeae cum Comete perpetrato adulterio fama h. l. reiecta, aliam nescimus unde haustam narrationem praetulisse. *R.*)

271-274. Aves Diomedeae, certum avium genus in insulis Diomedeis

Fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia!) et scopulos lacrimosis vocibus inplent.
Haec adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt 275
Tempore, quum ferro coelestia corpora demens
Adpetii et Veneris violavi volnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales inpellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama; nec veterum memini laetorve malorum, 280
Munera, quae patriis ad me portatis ab oris,
Vertite ad Aenean. Stetimus tela aspera contra
Contulimusque manus: experto credite, quantus
In clipeum adsurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo praeterea tales Idaea tulisset 285
Terra viros; ultro Inachias venisset ad urbes
Dardanus et versis lugeret Graecia fatis.
Quidquid apud durae cessatum est moenia Troiae,
Hectoris Aeneaeque manu victoria Graium
Haesit et in decumum vestigia retulit annum. 290

conspici solitum, quae littori Apulise contra montem Garganum obiacent. Aves has in iis locis adhuc frequentes *Artenas* appellant. *Procellariam Puffinum* Linn. esse aiunt. — 275. *speranda*, metuenda, ut toties, vel simpl. cogitatione praecipienda, exspectanda. Conf. IV, 419 (Vsum huius verbi in quacumque lingua occurrere, ut in graeca, ἐλπίζειν etc. cuique observanti clarum esse potest. *R.*) — 276, 277. Ingeniose repetiit ex Il. ε, 330 sqq. cf. X, 29. Adde Ovid. XIV Met. 477, 478. — 282, 283. Congressi Diomedes et Aeneas (Il. ε, 239 sqq. cf. ad Aen. 96) singulari certamine; sed in praeliis hoc saepius factum ponere licet poëtae. — 283, 284. *quantus in clipeum assurgat*. De eo, qui gladio infert vulnus, alias dictum vidimus: *assurgere*, vel *insurgere*, erigi, *in ictum*, *in hastam*, *in ensem*; at h. l. *in clipeum*, quia elato in altum clipeo hastam rotatam vibrat: namque is naturalis motus est et ad corpus tuendum valet; idem motus speciem corporis et virium ad phantasiam revocat. Nil expediunt Serv. et Cerda. — 285. Color idem qui in pulcherrimis versu. Il. β. 371-374. — 287. *Dardanus* pro Dardanius: ut IV, 662, et hoc pro Dardaniis, Troianis; utrumque ex poëtarum more. Etiam Pindar. Nem. γ, 106 Δαρδάνειον. et Il. β, 701 Δάρδανος ἀνήρ. — 288. *quicquid*, quantum, ἐφ' ὅσον, per omne tempus, per quod *cessatum est*; quae mora excidii facta: *haesit*; retardata est, substitit victoria Achivorum et *retulit vestigia*, relapsa est ideoque

Ambo animis, ambo insignes praestantibus armis;
Hic pietate prior. Coëant in foedera dextrae,
Qua datur: ast armis concurrant arma cavete.
Et responsa simul quae sint, rex optume, regis
Audisti et, quae sit magno sententia bello. 295
Vix ea legati: variusque per ora cucurrit
Ausonidum turbata fremor, ceu, saxa morantur
Quum rapidos amnis, fit clauso gurgite murmur
Vicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis.
Vt primum placati animi et trepida ora quierunt, 300
Praefatus divos solio rex infit ab alto:
Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, et fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, quum muros adsidet hostis.
Bellum importunum, cives, cum gente deorum 305
Invictisque viris gerimus: quos nulla fatigant
Proelia, nec victi possunt absistere ferro.
Spem si quam adscitis Aetolum habuistis in armis,

dubia et incerta fuit, Hectoris et Aenese opera: cf. IX, 155 et ibi not. Hectorem autem et Aeneam Troianorum fortissimos ipse Homerus pronuntiavit, Il. ρ. 513. cf. Il. ε, 467, 468. — 295. *quae sit magno sententia bello. bello*, paullo durius seu tertio casu, quod ad bellum attinet, seu pro: de bello.

296 sqq. Sollennis haec comparatio: praeeunte Homero Il. β, 144 sqq., ubi non minus est ornata; sed Maro phantasma variavit; pro mari flumen posuit. Aliter tractaverat lib. X, 96–99. *clauso gurgite*, praecluso aquarum cursu saxorum obiectione. — 301. *Praefatus divos*, praeclare, more antiquo (cf. Serv.) etiam a Romanis servato in Senatu et Comitiorum habendorum causa factis verbis.

302. Ingenium placidum et mite cum prudentia senili praeclare hac oratione elucescit. Latinus de bello temere suscepto conquestus et spe omni melioris fortunae deiectus pacem suadet cum Aenea ineundam. — *statuisse*, pro vellem nos deliberasse. Nam bellum aggressi sunt Latini tumultuario modo, cum nihil ipse rationibus, quibus dissuadebat, efficeret, VII, 591 sq. — 304. *cum muros adsidet hostis*. Facile intelligitur rhetorico more (ideoque hyperbolice, ut ἐρεζάνω, προσιζάνω, e. c. Aeschyl. Suppl. 696. *R.*) hoc dici factum, quod minantur Troiani facere. — 305. *gente deorum*, σὺν παισὶ θεῶν: Aenea. — 307. Vocant hnc Homericum μάχης ἀκόρητοι Il. ν, 639. υ, 117. *possunt absistere* l. simp. pro absistunt, l. pro

Ponite: spes sibi quisque. Sed, haec quam angusta, vi-
Cetera qua rerum iaceant perculsa ruina, (detis.
Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.
Nec quemquam incuso. Potuit quae plurima virtus
Esse, fuit. Toto certatum est corpore regni.
Nunc adeo, quae sit dubiae sententia menti,
Expediam et paucis (animos adhibete) docebo. 315
Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni,
Longus, in occasum, finis super usque Sicanos;
Aurunci Rutulique serunt et vomere duros
Exercent collis atque horum asperrima pascunt.
Haec omnis regio et celsi plaga pinea montis 320

non sustinent, non ferunt animo, non possunt sibi temperare, ne rebellent. — 309. *Spes sibi quisque.* Nunc unum quemque in se omnem spem repositam habere necesse est: non alienam opem exspectare. Pergit inde: Sed haec ipsa spes, quam in sua quisque virtute sitam habet, quam sit exigua, videtis. Nam reliqua omnia quam afflicta sint, ante oculos et inter manus vestras est: h. e. oculis manibusque tenetis, tamquam quod certissimum est: Graece, πρόχειρόν ἐστι (Metrica difficultas nulla est in *Ponite: spes.* cf. post Voss. de Analog. II, 15. Hieronymi da Bosch (praef. ad Ej. Poëmata, Vltraj. 1803), qui docuit brevem syllabam etiam ante sc, sp, st corrumpi. Etiam in classical lournal part. I. eadem sententia multis exemplis demonstrata est contra Daweaium, Brunckium aliosque. Versus est genuinus. *R.*) — *cetera*: bene Servius: absolute dixit, id est: exercitum, auxilia, vires imperii. Scilicet copias intelligit ad bellum gerendum necessarias. Pro explicatione sunt v. 419, 420 Turni verba: *opes, intacta iuventus, auxilia.* 312. *quae plurima*, h. e. quanta maxima. ὅσα πλείστα. — 313. *corpore regni*, pro viribus, copiis, cf. XII, 835.

316-321. Sententiam poëtae ex ipsis verbis eruamus. Suadet Latinus cedi Troianis agrum ad Tiberim: quem his notis designat: *est antiquus ager mihi*, h. e. non nostra demum memoria occupatus et cultus, *longus in occasum*, non quod in occasum protendatur, sed quod a Laurento in occasum spectat et late versus orientale Tiberis littus procedit *super usque*, usque ad, *Sicanorum fines*, quos versus Romam a poëta poni credibile fit. Scilicet auctores ille videtur habuisse, qui Sicanos quoqua ad Tiberim aliquando incoluisse narrarent. Conf. VIII, 328 Ager hic, qui Latii pars erat, ab Auruncis et Rutulis partim colebatur, partim pascebatur: v. 318, 319; ergo hos Rutulos et Auruncos sub Latini imperio fuisse necesse est. Sunt in hoc agro colles et tractus asperi et saxosi nec nisi pascuis idonei; tum quoque pineta. Videtur hoc ad colles Albanos spectare, quos ager iste attingere debuit, quando quidem iidem omnino agrum Laurentem finiebant.

Cedat amicitiae Teucrorum, et foederis aequas
Dicamus leges sociosque in regna vocemus:
Considant, si tantus amor, et moenia condant.
Sin alios finis aliamque capessere gentem
Est animus poscuntque solo decedere nostro: 325
Bis denas Italo texamus robore navis,
Seu pluris conplere valent: iacet omnis ad undam
Materies; ipsi numerumque modumque carinis
Praecipiant; nos aera, manus, navalia demus.
Praeterea, qui dicta ferant et foedera firment, 330
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet pacisque manu praetendere ramos;
Munera portantis aurique eborisque talenta
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.

Sunt in his omnia, puto, istis expedita. Servius recte refellit Donatum, qui ad agros circa Vfentem fl. in Volscis haec referebat; etsi, quod miror, Cloverius Donati sententiam amplexus est, Ital. ant. pag. 789. Habuit autem poëta auctoritatem, quam in his sequeretur, Catonis, qui, ut apud Servium legitur, in Originibus narraverat Troianos a Latino accepisse agrum, qui esset inter Laurentum et castra Troiana, iugerum DCC. Domitius lib. I historiae suae D ingero edlderat, auctore Victore O. G. R. c. 12; quem numerum ex Hemina quoque repetit Solinus c. 8. Stadiorum XL agrum a colle, cui Lavinium impositum, quaquaversus patentem per foedus cum Latino pactum cessisse Troianis memoraverant alii apud Dionys. I, 59. At apud Appian. lib. I pr. Faunus Martis f. cum filia Lavinia Aeneae CCCC stadiorum agrum in circuitu dat. Me de iugerum numero parum laborare facile intelliges; hoc volebam, ut constaret fuisse famam antiquam, quam in rem suam vertit ac traduxit Maro. Quod tandem Latinus ait *sibi esse agrum* v. 346, potest hoc, si quis ita velit, proprie accipi, ex vetere vita, qua regibus assignata erat agri portio, τέμενος, ut vel ex Homero notum, Il. μ, 313.

324. *aliam gentem*: iterum pro terra. — 327. *conplere* proprium vocabulum de sociis ac copiis navalibus; ut πληρωμα. — 329. *modus*: ratio aedificandi. — 329. *navalia*, res navales, ceram, funes, vela et alia huiusmodi. *Serv.* nam *materiem* iam memoraverat. *manus*, operas (male aliter alii). — 331. *prima de gente*, primis de gentibus; ex nobilitate. — 332. *pacis ramos*: v. 101. — 333. *auri talenta* et *eboris sellam*: quis credat poëtam sic implicita inter se collocasse? hanc figuram absurdam chiasmum grammatici vocant. Immo vero *eboris talenta* simpliciter ad pondus et copiam referenda sunt. — 334. Sella curulis et trabea insignia imperii, et inter munera militi solita, apud Ro-

Consulite in medium et rebus succurrite fessis. 335
Tum Drances (idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,
Largus opum et lingua melior, sed frigida bello
Dextera; consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens; genus huic materna superbum 340
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat)
Surgit et his onerat dictis atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram nostrae nec vocis egentem
Consulis, o bone rex. Cuncti se scire fatentur,
Quid fortuna ferat populi; sed dicere mussant. 345
Det libertatem fandi flatusque remittat,
Cuius ob auspicium infaustum moresque sinistros
(Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum totamque videmus
Consedisse urbem luctu: dum Troia tentat 350

manos, Albanos, Etruscos, ideoque h. l. recte et apud Latinos.

336. Observemus nunc τὸ διχαντικὸν, quod poeta carmini suo novo exemplo inseruit ad Tragicorum, ut diximus, morem. Characterem orationis, quem exspectes, ipse poeta in Drancis ingenio describendo declarasse putandus est. Moderationem ab initio vides simulatam et insidiosam, mox in cavillationes et incusationes Turni modo tectas modo manifestas erumpentem. Male ingeniosi nonnulli in Drance Ciceronem, ut in Turno M. Antonium, quaesivere. Vrsinus in Drance Polydamantem Il. μ, 210 sqq., Macrobius V, 2 Achillem redhibitum volebant: utrumque nimis sedulo. Diceret saltem aliquid, qui Thersiten ex Iliad. β, 212 sqq. ante oculos fuisse contenderet; sed turpitudine et probro, quo ibi flagrat, liberatum. Et iam is ἔχθιστος Ἀχιλῆϊ, ut hic *infensus, idem infensus, quem*, vulgari modo esset, idem quem infensum. Respicit vs. 122, 123. *lingua melior*, fortior, quam manu. At *largus opum* alienum ab h. l. videri potest, sive dives sit sive liberalis. In Turni verbis respondent 378 *larga copia fandi*: hoc melius. — 340, 341. Poetam hoc ad ornatum excogitasse probabile est. Initus tamen Sabinus, nescio unde, haec annotavit: » filius sororis Latini, patre rustico. » — 342. *onerat* docte pro auget, accumulat odia in eum. — 345. *ferat*, postulet, petat: *sed dicere mussant*, cunctantur, non audent dicere: proprie de iis, qui submissa ac depressa voce loquuntur, quod fieri potest metus causa. — 346. *flatus*, φύσημα, de arrogantia. Ad eandem et obstinatum Turni animum refero *mores sinistros*. *ob auspicium*: auspicia et ductus belli. — 350. *Consedisse*, in luctum esse demersam, ut

Castra fugae fidens et coelum territat armis.
Vnum etiam donis istis, quae plurima mitti
Dardanidis dicique iubes, unum, optime regum,
Adiicias; nec te ullius violentia vincat,
Quin natam egregio genero dignisque hymenaeis 355
Des pater et pacem hanc aeterno foedere iungas.
Quod si tantus habet mentis et pectora terror:
Ipsum obtestemur veniamque oremus ab ipso;
Cedat, ius proprium regi patriaeque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula civis 360
Proiicis, o Latio caput horum et caussa malorum?
Nulla salus bello; pacem te poscimus omnes,
Turne, simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis, et esse
Nil moror, en! supplex venio. Miserere tuorum, 365
Pone animos et pulsus abi. Sat funera fusi
Vidimus, ingentis et desolavimus agros.
Aut, si fama movet, si tantum pectore robur

bene Serv.: ut συνιζάνειν, proprie de flamma et cinere. Sic II, 624, *considere in ignem Ilium*. il. IX, 145. Iam ad fortunae casus translata: collabi, concidere, iacere calamitate, dolore. Nimis tenue est, quod alii volunt totam urbem sedere lugentem. — 351. *fugae fidens* respicit casum Turni, quo e pugna navi avectus erat, lib. X, 665 sq. — *et coelum territat armis*: tamquam qui provocat. Servius observat, hoc nimis tumidum esse nec, nisi e Draneis persona dictum, gravitati Virgilii convenire. cf. ad X, 548. — 352. *Vnum etiam*, *etiam* h. l. pro *adhuc* esse, Servius vult: ut Terent. passim. — 353. *dici*, destinari, promitti. — 357. Quod si, quominus hoc facias, Turni metu teneris. — 359 invidiose; *regi*, Latino, *patriaeque*, populo Latinorum, *remittat ius proprium*, suum, quod Latinus Latinique in regiam puellam habent, ut possint matrimonio iungere cui velint (Praestat fortasse, in commodum patriae: nam quid populus Latinorum iuris habere potuit, patre adhuc vivo, in collocanda filia Latini? *R.*) — 363. *pacis pignus*, Laviniae coniugium cum Aenea: idque *unum inviolabile*, certum, ad pacem stabiliendam, quippe iam promissum a patre VII, 268 sq. quod iam v. 356 *pacem hanc aeterno pignore firmes*. — 364. *invisum*: haud dubie pro inimicum, active. — 366. *pulsus abi* ex proxime praecedentibus puto esse: patere te repulsam ferre. Sin sqq. respicias et v. 392 animo teneas: *Pulsus ego?* recte erit: pugna victum te

Concipis et si adeo dotalis regia cordi est:
Aude atque adversum fidens fer pectus in hostem. 370
Scilicet, ut Turno contingat regia coniunx,
Nos, animae viles, inhumata infletaque turba
Sternamur campis. Et iam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum adspice contra,
Qui vocat. 375

Talibus exarsit dictis violentia Turni;
Dat gemitum rumpitque has imo pectore voces:
Larga quidem, Drance, semper tibi copia fandi
Tum quum bella manus poscunt; patribusque vocatis
Primus ades. Sed non replenda est curia verbis, 380
Quae tuto tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger moerorum, nec inundant sanguine fossae.
Proinde tona eloquio, solitum tibi! meque timoris
Argue tu, Drance, quando tot stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropaeis 385

fatere ac cede. — 369. *dotalis regia*: dotale regnum. Sic et alibi. — 372. Expressit vulgare Graecorum ἡμεῖς, ἄθαπτος καὶ ἄκλαυστος ὄχλος, quasi iam viles habiti, ut proiiciantur vel insepulti. Minus bene Serv. et alia aliter. — 374. *Martis*: patriae virtutis, *adspice contra* (forti animo resiste homini, ἀντιβλέπει, ἀντοφθαλμεῖ, attolle oculos: conf. Bentlei. ad Horat. Od. I, 3, 48. *R.*) est Homericum ἄντα et ἄντην, ut ἄντην εἰσιδέειν Il. τ, 15.

376. Ad verba comparant. Iliad. α, 188 et lib. VII, 445; et ad vs. 378 Iliad. β, 796. Ceterum in hac Turni oratione multo etiam magis quam in altera Drancis saeculi sui ingenium artibus rhetoricis imbuti declaravit Maro. Nec quicquam in Graecis, multo minus in Homero reperiri arbitror, quod ad artem declamatoriam propius speciet. Sed habebat Euripidem, fortasse et alios tragicos, qui in rhetoricis his dialogis ad dramaticam formam compositis praeiverant. — 380. Sed nunc non tempus est orationi in curia faciendae. — 381, 382. Magna loqueris, dum intra moenia tutus ab hoste lates, necdum murorum oppugnatio facta. *agger moerorum*: muri. Conf. X, 24, 144, *nec*, et dum nondum, *inundant sanguine fossae*. Vulgari modo *sanguis inundat fossas*, exquisitius *fossae inundant*, absolute, implentur, *sanguine*. — 383. Cum itaque muris adhuc hostis distineatur. *proinde* ad formam τοῦ εἶτα, ἔπειτα: quae cum ita sint. — *solitum tibi* eleganter variata oratione pro ut soles. Sic εἰωθός absolute interponitur, et alia. Tacitus Ann. I, 56 *rarum illi coelo*, etc. imitari solet. Mox *quando* pro quando.

Insignis agros. Possit quid vivida virtus,
Experiare licet: nec longe scilicet hostes
Quaerendi nobis; circumstant undique muros.
Imus in adversos? Quid cessas? An tibi Mavors
Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis 390
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam merito, foedissime, pulsum
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Thybrim
Sanguine et Evandri tota cum stirpe videbit
Procubuisse domum atque exutos Arcadas armis? 395
Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens
Et, quos mille die victor sub Tartara misi
Inclusus muris hostilique aggere saeptus.
Nulla salus bello! Capiti cane talia demens
Dardanio rebusque tuis. Proinde omnia magno 400
Ne cessa turbare metu atque extollere vires
Gentis bis victae; contra premere arma Latini.
Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremi-
Nunc et Tydides et Larissaeus Achilles; (scunt,
Amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas. 405

quidem. — *stragis* acervos, ut *caedis* X, 245. XI, 207 pro caesorum. — 389 sq. Comparant Il. α, 226, 227. *Imus*. Quin imus. Age eamus adversus hostem, ἀλλ' ἴομεν. — 393. 395. Omnia in maius aucta. *Arcadas* dixit, cum de uno duce Evandro cogitaret. Ante oculos esse potuit locus Iliad. 9, 453-456. Ad 396 *experti* ut victum, cf. IX, 672 sq.

399. Pergit in refellendis Drancis verbis et nunc ad v. 362 *Nulla salus bello*. *Cane talia*, ominare hoc, nullam salutem esse bello, pugnando salvos esse nos non posse, Aeneae et tibi. Vertant dii in tuum caput! Comparant Odyss. β, 178, 179. — 400. Perge itaque, quod facis, metum de Troianis ingravare, etc. *gentis bis victae*, ab Hercule primum (cf. ad IX, 599 *Bis capti Phryges*. Adde VII, 295. II, 295 et II, 642, 643); *contra premere*, elevare, deprimere res Latinorum. — 403-405 ῥητορικῶς haec vel maxime, plus fortasse, quam in poeta epico fers. Augei scilicet per ironiam quod Diomedes belli societatem detrectaverat erat is inter Graecorum principes, pro quibus *Myrmidonum* posuit, quibus solus Achilles imperabat. *Larissaeus Achilles*, v. ad lib. II, 197. — 405. H. e. et terrorem quo Diomedes audito Aeneae nomine percussus fuerit;

Vel, quum se pavidum contra mea iurgia fingit
Artificis scelus et formidine crimen acerbat? —
Numquam animam talem dextra hac (absiste moveri)
Amittes; habitet tecum et sit pectore in isto.
Nunc ad te et tua magna, pater, consulta revertor: 410
Si nullam nostris ultra spem ponis in armis,
Si tam deserti sumus et semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet Fortuna regressum;
Oremus pacem et dextras tendamus inertis:
Quamquam, o! si solitae quidquam virtutis adesset. — 415
Ille mihi ante alios fortunatusque laborum
Egregiusque animi! qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens et humum semel ore momordit.
Sin et opes nobis et adhuc intacta iuventus
Auxilioque urbes Italae populique supersunt; 420

amplifica verbis quam maxime. Poëtae populis vel regibus proprium etiam terris, fluviis tribuere solent; itaque h. l. terror ad fluvium Apuliae Aufidum translatus, phantasmate poëtico. — 406. *Vel cum se.* Respicit 348 et 364. Abrupta vero oratio irati hominis transeuntis ad alia: et ei accommodatum hoc *vel*, pro: Et vero etiam Annon indigna sunt, vel cum; pro, quid? quod cum. Horat. Epod. XII, 13: *Vel mea cum saevis agitat fastidia verbis.* — *artificis scelus* pro artifex scelestissimus ille! *contra mea iurgia*, contra me obiurgantem, minantem vs. 348. Noli tamen timere.

410 sqq. Utitur Turnus callido et subtili aditu ad persuadendum id, quod non audet palam dicere: melius esse interire quam pacem rogare; ut bene observavit Servius. — *tam deserti:* propter Diomedem, qui solus negavit auxilia; ut idem Serv. — 415-418. Seu turbavit affectus seu calliditas inflexit orationem, quae sic procedere debebat: *quamquam*, nisi inertissimi essemus, debebamus illum habere fortunatissimum et fortissimum, qui etc. (h. e. etsi deberemus mortem praeferre tali dedecori). Hoc alterum transtulit ad se: *Ille mihi ante alios f.* Est autem *fortunatus laborum* (ut *laetus laborum* v. 73) felix in malis suis et calamitatibus. Nec tamen male, puto, aliquis aposiopesin statueret, et distingueret: *Quamquam o! si solitae quidquam virtutis adesset* sc. quisquamne sustineret hoc facere. Tum pergit: *Ille mihi.* Sic lib. V, 195: *Quamquam o! ... sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti.* — 418. *humum ore momordit.* Homericum: conf. lib. X, 480. 419, 420. Respicit verba Latini 309, 310, 341. — 420. *urbes Italae*: iterum respectu Diomedis, tamquam advenae *Graeci* et exteri nominis. *superunt*, superabundant, ait Serv.;

Sin et Troianis cum multo gloria venit
Sanguine (sunt illis sua funera parque per omnis
Tempestas!) cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variique labor mutabilis aevi 425
Retulit in melius; multos alterna revisens
Lusit et in solido rursus Fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Aetolus et Arpi:
At Messapus erit felixque Tolumnius et, quos
Tot populi misere duces; nec tarda sequetur 431
Gloria delectos Latio et Laurentibus agris.
Est et Volscorum egregia de gente Camilla
Agmen agens equitum et florentis aere catervas.
Quod si me solum Teucri in certamine poscunt,
Idque placet tantumque bonis communibus obsto; 435
Non adeo has exosa manus Victoria fugit,

quod Burm. adstruit. — 421. *gloria* pro victoria, ut κῦδος. Ad sententiam comparant vss. Homericos Il. ρ, 361-365, et ad vs. 425 laudatur tritum illud: νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας Il. χ, 339. Sententiam autem tritissimam tamen habuit quomodo verbis ornaret. *Multa dies ... Fortuna locavit* Enniani versus sunt, Macrob. VI, 2, quos ante oculos fuisse Maroni illi putat: *Multa dies in bello conficit unus; Et multi rursus fortunae forte recumbunt. Haudquaquam quendam semper fortuna sequuta est.* In Marone dies et *labor aevi*, h. e. aevum, in quo labores tolerantur, multa in melius mutat. Adiecta spectant ad ornatum: *aevum varium*, in quo varia fortuna iactamur. *labor*, πόνος, *mutabilis*, aerumna in meliorem fortunam mutari solita. *altera* (κατὰ) *lusit*, illusit, spe meliore deiectos, et *rursus in solido*, ἐν σταθερῷ, in firmo, integro statu antea in lubrico labantes *locavit*, h. e. in integro; in incolumem statum, in integrum restituit. *ludere* omnino praeter expectationem aliquid inferendo, mutando: plerumque in deterius, h. l. in melius.

428, 429. Comparant Homericum: παρ' ἴφιτος καὶ ἄλλοι Οἱ γέ με τιμήσουσι. *Aetolus et Arpi*: 239 sq. — *Messapus*, de quo lib. VII, 691 sqq. et alibi. — *Tolumnius* augur, cf. XII, 258. — *felix* autem, potens, opibus florens, videtur infelicitatem Diomedis respicere (Servio interprete: fortasse eius augurium, in quo ut potentissimo ita felicissimo magnam fiduciam ponebat, respexerit Turnus. *R.*) — 430. Parata erit gloria ipsis Latinis. — 432. De Camilla lib. VII, f. — 433. *florentes aere*, fulgentes. vs. VII, 804. — *tantumque bonis communibus obsto*: et in tantum obsum

Vt tanta quidquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contra: vel magnum praestet Achillem
Factaque Volcani manibus paria induat arma
Ille licet. Vobis animam hanc soceroque Latino
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,
Devovi. Solum Aeneas vocat: Et, vocet, oro.
Nec Drances potius, sive est haec ira deorum,
Morte luat; sive est virtus et gloria, tollat.
Illi haec inter se dubiis de rebus agebant
Certantes: castra Aeneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit magnisque urbem terroribus inplet:
Instructos acie Tiberino a flumine Teucros
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
Extemplo turbati animi concussaque volgi

bono communi, commodis publicis ut, nisi solus dimicavero, concidat universa resp. — 437. *tanta pro spe*, ut solus dicar servasse remp. — 442. *Solum Aeneas vocat?* Aisne Aeneam me provocare solum; vocet utique! — 443, 444. Sententiae fortassis nimis acutae ad sensum nostrum. Tres habet Servius interpretationes, quarum nulla satis commoda, etsi ad veram quodammodo ducere possunt. Solus cum Aenea vult congredi Turnus, et iam ea de causa, ne eum Drance quiquam sive secundae sive adversae rei communicet, utque is et a calamitate et a felicitate sua absit. Et *vocet* Aeneas, ut ego solus cum eo congressus de summa belli transigam: *Nec potius, sive haec ira deorum est* (ut eventus belli huius sit infaustus), *Drances morte luat*, communi clade occidat, nec, *sive est virtus et gloria*, si hoc bello laudem virtutis (κλέος) et gloriam (κῦδος, victoriam) consequi dabitur, *tollat* eam ille, auferat hanc laudem pro sua parte (ut αἵρεσθαι); omnino que ideo nihil ille commune cum tota re habeat, sed exclusus sit a bona aeque et mala fortuna.

445 sqq. Sollerter et cum arte poëta partim deliberationum et incertorum fluctuantiumque consiliorum exitum facit non praevisum: partim instruxit et praeparavit inde a 434 sq. pugnam inter Aeneam et Turnum, in qua carminis et narrationis tela erit detexta. Ad vs. 445 et 446 comparari solent vs. 304, 305 Il. α. Saltem aliqua ex parte convenit β, 786 sq. 807 sq. Praestat monere, ut artem poëtae observet lector in narrationis ordine a vulgari tenore ac pedestri rerum narrandarum structura avocato. Nam secundum hanc res sic erat exponenda: Aeneam interea castris motis duplici agmine adversus urbem Laurentum incessisse, pedestri per saltus mon-

Pectora et adrectae stimulis haud mollibus irae.
Arma manu trepidi poscunt; fremit arma iuventus.
Flent maesti mussantque patres. Hic undique clamor
Dissensu vario magnus se tollit in auras. 455
Haud secus, atque alto in luco quum forte catervae
Consedere avium, piscosove amne Padusae
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
Immo, agit, o cives! adrepto tempore, Turnus,
Cogite concilium et pacem laudate sedentes: 460
Illi armis in regna ruant. Nec plura locutus
Conripuit sese et tectis citus extulit altis.
Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis;
Duc, ait, et Rutulos. Equitem, Messapus, in armis,
Et cum fratre Coras, latis diffundite campis. 465
Pars aditus urbis firment turresque capessant;

tium equestri per planitiem camporum. Poëta vero singula singulis locis commode dicenda servavit. Vide inf. v. 511 sqq. 522 sqq. — 452. *et adrectae stimulis irae*: de virtute bellica; exasperati sunt animi: ut 727, 728. Nam ira erigitur, arrigitur ac stimulatur, h. e. movetur. — *stimulis haud mollibus*, duris, qui penetrant, infixi haerent. *fremit arma*, pro vulgari: cum fremitu postulat. — 454. *mussant*, in occulto lamentantur, ἐπιμύζουσι, στενάζουσι. Vid. sup. 345.

456-458. *Haud secus atque* clamor se tollit, *quum*. — *Padus* cycnorum copia apud poëtas celebratus: in septem ostia cum tempore diductus binis primum ostiis in mare delatus est, quorum alterum septemtrionem versus erat *Volana*, alterum a meridie *Padusa* (nunc *il Po d'Argenta*) prope Spinam a mari exceptum. Cf. Comment. Acad. Bonon. Tom. VII, cum mappa ad p. 470. Ostium hoc *amnem* dixit et quidem *piscosum*, ut Homerus ἰχθυόεντα Hyllum Iliad. υ, 392. Facit illud quibusdam locis paludem, hinc *stagna*, quae *loquacia* dixit eleganter a loquacibus cycnis, ut XII, 475 *nidos loq.* hirundinis et Ecl. VIII, 22 *pinos loq.* Hos *raucos* vocavit, a clamore vel cantu. Transt. hoc Claudian. XXXI, 109, 110. De Padusa (nunc *canali S. Alberti*, fossa XII M. pass. a Ravenna ducta, sec. Giambatt. Minzoni) accurate egit Cluver. Ital. ant. lib. I, c. 35. cf. Serv.

459. Concilium habete *adrepto tempore*, εὐκαίρως, ἐν καιρῷ, cum irrisione. — 462. *sese conripuit*, pro vulgari: se proripuit, ὥρνυτο, ὡρμήθη, ἔσυτο. Vidimus iam VI, 472, 473. — *rapere*, *corripere* pro movere passim vidimus. — 463. Festinationem Turni bene assequitur oratio abrupta, dum Turnum esse loquuturum non praedictum est. — 464. *equitem in armis*, pro armatum, ut saepe alibi et va.

Cetera, qua iusso, mecum manus inferat arma.
Licet in muros tota discurritur urbe.
Concilium ipse pater et magna incepta Latinus
Deserit ac tristi turbatus tempore differt, 470
Multaque se incusat, qui non adceperit ultro
Dardanium Aenean generumque adciverit. Vrbi
Praefodiunt alii portas aut saxa sudesque
Subvectant. Bello dat signum rauca cruentum
Buccina. Tum muros varia cinxere corona 475
Matronae puerique; vocat labor ultimus omnis.
Nec non ad templum summasque ad Palladis arces
Subvehitur magna matrum regina caterva,
Dona ferens; iuxtaque comes Lavinia virgo,
Caussa mali tanti, oculos deiecta decoros. 480
Succedunt matres et templum ture vaporant
Et maestas alto fundunt de limine voces:

473. *Messapus* graece pro Messape et *Coras* pro Cora, *cum fratre* Catillo. v. VII, 672. — 467. *qua iusso*, pro iussero: ut levasso, declarasso, amasso et al. Sequutus est Silius XII, 175. —468, 469. Comparant Iliad. β, 808. — 472. Dativus pro genitivo. Sic utique lenior ac verior procedit oratio. Sed constanter legitur ac distinguitur *generumque adsciverit urbi*. id est in regni salutem. Parum commode. *H. B.*

473. Ante portas fossas faciunt, ut bene Serv., et vallum ducunt, saxis stipitibusque et humo aggesta. —476. *vocat labor ultimus omnes*, re ad summum discrimen adducta. Procurritur autem in muros, uti Troiae praelio cum Achivis proplus urbi admoto sec. Homer. fact. — 477. Manifesta vestigia Il. ζ, 86 sqq. 229 sqq. Illud autem miror, quod Palladem iam tum coli a Laurentibus tradidit, quam tamen Troianos primum intulisse communis fama obtinebat (nisi forte poëta deam in Latio coli solitam et eam Palladi similem innuisse dicendus est, qualem v. c. Fortunam Antiatem novimus ap. Horat. Od. I, 35; sed haec observatio etiam de aliis Graecorum deis, e. c. Baccho, Apolline valet, quippe qui hoc tempore nondum ab Italis hisce colebantur. *R.*) — 478. *Subvehitur* pro vulgari invehitur. Nam curru vectae matronae sacra adeunt: VIII, 665, *castae ducebant sacra per urbem* Pilentis *matres in mollibus*. —479. *Dona*. Perperam peplum ex Homero huc vocant. Poëtae placuit genus ponere. — 480. Oculis deiectis, κατ' ὄμματα καλὰ βαλοῦσα: Hymn. in Cerer. 194. not. Ruhnken. — 481. *Succedunt* sc. templum, intrant, ut bene Serv. Alias languet versus post illa: *Subvehitur etc.* — 482. *de limine*. Nil argutandum; est pro: ingressae templum.

Armipotens, praeses belli, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii praedonis et ipsum
Pronum sterne solo portisque effunde sub altis. 485
Cingitur ipse furens certatim in proelia Turnus,
Iamque adeo Rutulum thoraca indutus ahenis
Horrebat squamis surasque incluserat auro,
Tempora nudus adhuc, laterique adcinxerat ensem
Fulgebatque alta decurrens aureus arce 490
Exsultatque animis, et spe iam praecepit hostem:
Qualis, ubi abruptis fugit praesepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
Aut adsuetus aquae perfundi flumine noto 495
Emicat adrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians; luduntque iubae per colla, per armos.

Nam ex more in prima templi parte vota faciunt, qui deos adeunt, nec intrant interiora, ut nos. —483-485. Preces vere ad verbum conversae ex l. c. Homerico v. 305, 306, 307. *effunde*, de prolapso, prostrato ante urbis obsessae muros.

486 sqq. Aemulatur et h. l. Maro Homerum, qui heroes se armantes indueit Il. γ, 330 sqq. Paridem; λ, 15 sqq. Agamemnonem; π, 130 sqq. Patroclum; τ, 369 sqq. Achillem. Convertuntur tali enumeratione animi ad heroem et tenentur in eo contemplando diutius, quam si narratum legas: *armatur Turnus*. Sed orationem egregie ornavit et varia vit Maro: *thoraca* etc. pro: thoracem induerat ex aere in squamarum speciem conexium, horrentem aspera superficie, *surasque inclus. auro*, ocreas suras induxerat. Sed multo etiam ornatiora sunt sequentia: vs. 492-497, quae ex Homero Il. ζ, 506-511 conversa esse iam veteres notarunt. Ad Turnum tamen convenientius translata puto, quam de Paride fuerant pronuntiata: contra quam Popio visum. Nam in Turno summa alacritas et festinatio ac discursatio. Virgilio tamen in verbis Ennius iam praeiverat, Macrobio monente VI. Sat. 3: *Et tunc, sicut equus, qui de praesepibus actus* (ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ) *Vincla suis magneis animeis abrumpit et inde Fert se se campi per caerula, laetaque prata, Celso pectore!* (θείει (διὰ) πεδίοιο χροαίνων, pulsando solum ungulis) *saepe iubam quassat simul altam* (ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται ὤμοις ἀΐσσονται); *Spiritus ex anima calida spumas agit albas*. — *Luxurians*: reddidit feliciter ex Homerico loco κυδιόων, quod ibi est pro γαυριῶν, de equo exsultante, ferociente. *alte* autem v. 496 possis quidem iungere: *adrectis alte*, ut sit Homericum ὑψοῦ κάρη ἔχει ita tamen languescit versus: sed *alte luxurians*, etsi hoc insolentius dictum videri possit, est alte

Obvia cui Volscorum acie comitante Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit, quam tota cohors imitata relictis 500
Ad terram defluxit equis; tum talia fatur:
Turne! sui merito si qua est fiducia forti,
Audeo et Aeneadum promitto occurrere turmae
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli; 505
Tu pedes ad muros subsiste et moenia serva.
Turnus ad haec oculos horrenda in virgine fixus:
O decus Italiae, virgo, quas dicere gratis
Quasve referre parem? Sed nunc, est omnia quando
Iste animus supra, mecum partire laborem. 510
Aeneas, ut fama fidem missique reportant
Exploratores, equitum levia inprobus arma
Praemisit, quaterent campos; ipse ardua montis
Per deserta iugo superans adventat ad urbem:
Furta paro belli convexo tramite silvae, 515

exsultans. *ludunt iubae per colla*, ἀμφὶ δὲ χαῖται ὤμοις ἀΐσσονται. Adde locum alterum Homeri, expressum ab Apollonio III, 1259 sq.

498. De Camilla modo ad 432. *Desiluit*, honoris causa factum volunt. — *cohors* pro turma: nam equitum h. l. est. — 501. *Defluxit*. Furius Annal. I. ap. Macrob. VI, 4: *Ille, gravi subito devinctus volnere, habenas Misit equi, lapsusque in humum defluxit, et armis Reddidit aeratis sonitum*. — 503. Comparant II, 9, 73 sqq. — 507. *horrenda in virgine* h. l. admiranda. Nam, quae *admirationem, stuporem, horrorem*; faciunt, ad idem fere genus referri soleut et possunt. Sic ἔκπαγλος Homericum. — 510. *partire*, respicit illud *solaque Tyrrhenos* vs. 504. In illis: *quando animus est supra omnia*, expressit magnanimam: ideoque inl. supra pericula, fortunae casus et sic porro; non aliter.

511. *fidem* eleganter pro nuntio. Nam, quae nuntiantur, fidem facti faciunt. — 512. *improbus* accipio pro audax; proprie, qui nimium audet. — 513. *quaterent campos*, ad incessum equorum referri praestat; Servius ad perturbationem agrorum, h. e. agrestium, revocat. — 513. *ardua montis deserta*: necesse est extremas Albanorum montium partes respexisse poëtam. — 514. *iugo superans*, superior evadens, conf. II, 207, pro vulgari: *superans iugum*, ut v. 905. — 515. *Furta*, pro insidiis, quas Turnus collocat in faucibus saltus *biviis*, seu per quas duae viae ducunt, seu ad quas duae viae du-

Vt bivias armato obsidam milite fauces.
Tu Tyrrhenum equitem conlatis excipe signis;
Tecum acer Messapus erit turmaeque Latinae
Tiburnique manus; ducis et tu concipe curam.
Sic ait et paribus Messapum in proelia dictis 520
Hortatur sociosque duces et pergit in hostem.
Est curvo anfractu valles adcommoda fraudi
Armorumque dolis, quam densis frondibus atrum
Vrguet utrimque latus; tenuis quo semita ducit
Angustaeque ferunt fauces aditusque maligni. 525
Hanc super in speculis summoque in vertice montis
Planities ignota iacet tutique receptus;

cunt, v. mox ad 522. — 519. *Tiburni manus*, copiae Tiburtinae, a Tiburno heroë ac conditore Tiburis designatae, fratribus eius Catillo et Cora ducibus, VII, 670 sqq. Adversus equitatum Aeneae, in quo turmae erant Arcadum ab Evandro missae, VIII, 518, et Etruscae, X, 238, 239, per planitiem camporum incedentem mittitur Messapus, qui nunc non suas copias, sed Latinas et Tiburtinas turmas equestres ducit, cumque eo Camilla. — 522 sqq. Insidiarum locus et ratio huiusmodi animo repraesentanda. Via Troianorum agmini pedestri, quod Aeneas ipse ducebat (cf. ad 446), erat facienda per montium iugs et saltus: in his erat vallis, *curvo anfractu*, sinuoso flexu, quae ex adversa venienti Aeneae parte in clivum assurgebat; isque erat agmine superandus: ab utraque vallis parte silvae. Has insedit Turnus: equitatum autem Messapo et Camilla duce praemittit, ut manus cum praemisso ab Aenea Etruscorum equitatu conserat, qui per camporum planitiem incedebat, Tarchontis ductu. Hic pugna equestris fit, in qua, Camilla caesa, equites Latini fugiunt ad urbem. Audita Camillae caede equitatusque fuga Turnus consilio insidiarum abiecto ex saltibus obsessis in campum procedit, ut fugam Latinorum equitum sistat urbemque, ne primo incursu capiatur, praesidio firmet. Quo facto Aeneas liberas saltus angustias superat; vs. 896 sq. Assequutus est hac oeconomia poëta hoc, ut absentibus Aenea et Turno geri res posset virtute Camillae et Tarchontis.

523. *valles* antique pro vallis, *quam — atrum* h. e. silva densa, per quam (*quo*, potius, *quà*) angusta semita est. — 525. *aditus maligni*, angusti, exigui ideoque periculosi: non obscuri, ut Serv.; at lib. VI, 270 adiunctum est: *lux sub luce maligna*. — 526. *in speculis*, in specula, in collis vertice, ut σκοπιά. Erat is collis planus, ideoque ex omni parte opportunus, seu ad procurrendum (528 *seu dextra laevaque velis occurrere pugnae*); seu ad hostem propulsandum, si collem superare vellet (529 *sive instare iugis*, desuper de iugo urgere hostem assultantem). — 527. *ignota* Troianis.

Seu dextra laevaque velis occurrere pugnae,
Sive instare iugis et grandia volvere saxa.
Huc iuvenis nota fertur regione viarum 530
Adripuitque locum et silvis insedit iniquis.
Velocem interea superis in sedibus Opim,
Vnam ex virginibus sociis sacraque caterva,
Conpellabat et has tristis Latonia voces
Ore dabat: graditur bellum ad crudele Camilla, 535
O virgo, et nostris nequidquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias; neque enim novus iste Dianae
Venit amor subitaque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno viresque superbas

Similis insidiarum collocandarum descriptio comparanda apud Statium Theb. II, 469 sqq.

532—596. Episodium de Camilla ad variandam narrationem egregie accommodatum; suo quidem illud loco interpositum, cum mox puellae virtus sui experimentum erat datura; vix tamen bene a narratione Dianae repetitum, nec iunctura felici et ingeniosa. Recte Servius transitum tamquam abruptum et nimis tritum reprehendit. Cf. not. ad IX, 638. *Opim*, Ὦπιν, autem h. l. nympham edidit in Dianae consortio; cum alias ipsius Dianae nomen esset; quod ex Callimacho quoque constat in Dian. 204 et 240, ubi v. Spanhem. Mirum id visum Servio, quem ad h. l. vide et Macrobio V, 22, qui de nimia doctrina hoc Virgilium fecisse suspicabatur. Perperam utique: nam et apud eundem Callimachum in Del. 292 Opis est inter puellas Hiperboreas, quae frugum primitias olim Delum apportarunt et cum Diana ibi mansserunt. Cf. Apollod. I, 4, 4. Recte ideo a Marone nympha Opis memorata est et eodem forte respectu inf. 858 Threissa appellatur. Iuvat autem illud notare, Dianam h. l. *cum nymphis suis*, quibus silvae solent pro sedibus assignari, in Olympo sedere, unde v. 595, 596 Opis devolat in terram. — 536. *nostris armis*, quibus Camilla in morem Dianae et Nympharum utitur. Cf. inf. 844.

539. Quae sequitur narratio de Camilla et patre Metabo, Privernatum tyranno ex antiquis Italorum annalibus petita et egregie ad poëseos epicam accommodata, cum ea τὸ τερατῶδες habeat, reprehensionem tamen admittit in hoc, quod Dianae illa sermoni, quo ad Opin mandata dat, inserta est non satis commodo loco. Privernum, olim Volscorum, postea Latii, una e XXX coloniis, haud longa ab Amaseno amne aberat: mirationem autem facit nunc idem, quod in Mezentii amore in filium filiique pietate in patrem mirabamur X, 839, 844, quod tyrannus saevus tanto filiae suae amore tenatur. *vires superbas*, h. e. nimias, potentiam libertati civium infestam; unde odia in eum: *Pulsus ob invidiam* (et feritatem, vid. vers. 568. *R.*) At Servius

Priverno antiqua Metabus quum excederet urbe, 540
Infantem fugiens media inter proelia belli
Sustulit exsilio comitem matrisque vocavit
Nomine Casmillae, mutata parte, Camillam.
Ipse sinu prae se portans iuga longa petebat
Solorum nemorum; tela undique saeva premebant 545
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce, fugae medio summis Amasenus abundans
Spumabat ripis; tantus se nubibus imber
Ruperat. Ille innare parans infantis amore
Tardatur caroque oneri timet. Omnia secum 550
Versanti subito vix haec sententia sedit:
Telum inmane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis et robore cocto;
Huic natam, libro et silvestri subere clausam;

vires superbas, quibus superbe utebatur, interpretatur. Vt semel de hac voce ac re dicam: cum *superbia* sit animi efferentis se iis, quibus aliis praestare se putat, transfertur *superbus* modo ad effectus, modo ad causas, unde quis superbit; est itaque: ornatus, splendidus, dives, potens modo in meliorem, modo in deteriorem partem. Ita *honores superbi*, *coniugium superbum*, Aen. III, 475. *Ilium superbum* III, 2. *ostrum superbum* I, 639, ubi cf. not. Ab effectis autem ductae sunt notiones dorus, saevus, immanis: ut VIII, 481 *superbo imperio et saevis armis*; tum est rebellis, asper, ingi impatiens, ferox, ut Brutus, libertatis studio VI, 818, amantes, qui aemulos haud ferunt, Ge. III, 217. *debellare superbos*, Aen. VI, 854. ubi opp. *parcere subiectis*. Ex priore itaque ordine *vires superbae* sunt, ut *opes superbae*, omnino ingentes, nimiae. Cum Servii interpretatione conveniunt vss. 539. — 541, 545, 568, ubi eius feritas memoratur. — 543. Tribuit igitur poëta patris voluntati, quod emollita pronuntiatio serioribus aetatibus attulit, ut pro *Casmilo Camillus*, pro *Casmila Camilla* diceretur. Vox illa a Pelasgis in Italiam illata Etruscia quoque fuit frequentata, qui Mercurium Casmilum appellarunt, tamquam *ministrum* deorum. V. Schol. Apollonii ad I, 917. Macrob. III, Sat. 18 et Serv. ad h. l. — 544. *iuga longa*, non longinqua et remota, sed longo tractu continuata. — 549. *Ruperat*, eruperat se, ut iam alibi vidimus: ἐρράγη. — 551. Cum omnia secum versasset, *vix* tandem *haec sententia sedit*, menti infixa, probata, quae *subito* animum subierat. — 553. *robore cocto*, igni durato, praeusto. — 554. *Telum inmane* — *Huic*: nota structurae immutationem quae vel ob negligentiae speciem suavitate non caret. *clausam*, involutam cortice. Suberis copiam in Priverni agris na-

Inplicat atque habilem mediae circumligat hastae, 555
Quam dextra ingenti librans ita ad aethera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,
Ipse pater famulam voveo; tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit. Adcipe, testor,
Diva tuam, quae nunc dubiis conmittitur auris. 560
Dixit et adducto contortum hastile lacerto
Inmittit: sonuere undae; rapidum super amnem
Infelix fugit in iaculo stridente Camilla.
At Metabus, magna propius iam urguente caterva,
Dat sese fluvio atque hastam cum virgine victor 565
Gramineo donum Triviae de cespite vellit.
Non illum tectis ullae, non moenibus urbes
Adcepere; neque ipse manus feritate dedisset;
Pastorum et solis exegit montibus aevum.
Hic natam in dumis interque horrentia lustra 570
Armentalis equae mammis et lacte ferino

sci observavit Spohnius. — *habilem*, ita ut haberi, tractari, pro iaculo emitti cum hasta posset puella: ἀκρωνίαν. Sic I, 318 *habilem arcum* vidimus, *ensem* IX, 305, *galeam* ib. 365. — De alligata porro puella ingeniose v. 558, 559 *tua tela tenens supplex*. Hastae illigatum pondus in alteram ripam transmittit, ut ipse liberis manibus transnatare possit, hasta autem sic missa alteri ripae infixa haereret. *famulam* autem dixit consecratam, quia ministri deorum, ὑπηρέται, δοῦλοι, diis se consecrant. — 560. *dubiis auris*, per quas ipsa infans dubia salute fertur. — 562. *sonuere undae*, graviter commoto aëre aquae superficiem impellante et undae fremitum movente: quid? quod transvolans cum infante iaculum sibilum vel strepitum facit in aëre, cf. mox 595, 596, quem ipsi amni tribuere potuit. — 562. *Infelix*: vel respectu praesentis Camillae fati, vel quod iam illa aetate tantum vitae discrimen adiret.

565. *victor*, compos voti, ut saepe v. c. VIII, 61. sc. flumine traiecto et filia servata. *donum Triviae*, ex voto: quam Dianae voverat. — 568. *manus dat* proprie victus, tum omnino qui cedit, qui placatur, h. l. qui, quod humanitas aliorum vel hospitalitas offert, accipit. An usquam de manibus hospitum iungendis loquendi usus tulerit *manus dare*, ut dictum: *accipere aliquem manu*, dubito. — 569. non *pastorum aevum*, ut Serv. pro pastorali vita, sed *in montibus pastorum*: qui a pastoribus habitabantur. — 570. *dumi*, *lustra*, pro silvis. — *Armentalis equa*, ἵππος ἀγελαία. —

Nutribat, teneris inmulgens ubera labris.
Vtque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, iaculo palmas oneravit acuto
Spiculaque ex humero parvae suspendit et arcum. 575
Pro crinali auro, pro longae tegmine pallae
Tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent.
Tela manu iam tum tenera puerilia torsit
Et fundam tereti circum caput egit habena
Strymoniamque gruem aut album deiecit olorem. 580
Multae illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum: sola contenta Diana
Aeternum telorum et virginitatis amorem
Intemerata colit. Vellem haud conrepta fuisset
Militia tali conata lacessere Teucros; 585
Cara mihi comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urguetur acerbis,
Labere, Nympha, polo finisque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Haec cape et ultricem pharetra deprome sagittam; 590
Hac, quicumque sacrum violarit volnere corpus,
Tros Italusve, mihi pariter det sanguine poenas.
Post ego nube cava miserandae corpus et arma

571. *lacte ferino:* quia *ferus* etiam de equo: ut II, 51. — 573. Proprie erant *vestigia prima*, in quae, quibus, institit plantis pedum. Sed doctius alterum pro: ut primum infans pedibus institit. — 580. *Strymoniam gruem:* ut Ge. I, 120. — 581. *Multae illam.* Idem orationis color lib. VII, 54. Laudat Cerda Ovid. Met. 353 sq. I, 478 sq. Adde Pindar IX, 188 sqq., Catull. Carm. Nupt. 42 sqq., qui praeivit versui in his: *Multi illum pueri, multae optavere puellae.* — *Tyrrhena per oppida:* Amaseno traiecto Metabus ad Campanorum fines accedebat: hos insedere olim Etrusci. Servius ad h. v. et 567 ad Etruscorum potentiam rem refert, quorum iure olim tota Italia tenebatur. — 590. *Haec cape:* puta cum his dictis Dianam arcum et pharetram Opi tradere. — 591. Auguste pro: qui vulnus intulerit; sed loquitur de virgine deae consecrata: Et ducta hinc ultionis ab Aruute sumptae causa: nam, qui sacra violant, a diis puniuntur. Praeparatur his hoc unum, ne illa impune necetur, cum servari a dea non posset. — 592, 593. Sarpedonis fatum ante oculos ex Iliad. π, 453. Conf. ad v.

Inspoliata feram tumulo patriaeque reponam.
Dixit; at illa levis coeli delabsa per auras 595
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Troiana propinquat
Etruscique duces equitumque exercitus omnis;
Conpositi numero in turmas. Fremit aequore toto
Insultans sonipes et pressis pugnat habenis 600
Huc obversus et huc; tum late ferreus hastis
Horret ager, campique armis sublimibus ardent.
Nec non Messapus contra celeresque Latini
Et cum fratre Coras et virginis ala Camillae
Adversi campo adparent hastasque reductis 605
Protendunt longe dextris et spicula vibrant;

432. — 594. *patriae*, graece: in patriam vel in patria terra. Videtur in Volscis sepulcrum antiquum Camillae monstratum esse. — 595, 596. Volatus velocitatem bene declaravit per *insonuit*; involuta *turbine*, nigra nube.

597-895. Fit primo pugna equestris. *manus Troiana*: de pedestri agmine, quod Aeneas ducebat, accipe; ut sequentia v. 598 de equitatu. vss. 449, 450. 511-513. cf. ad 522. Constabat autem equitatus masime ex Etruscis. v. 450, 517. Not. ad 519; ipse per campos incedebat: hinc *aequore toto*. — 599. *numero*; ad numerum suum militum, quos quaeque turma habebat: unde etiam *numeri*, ipsae cohortes, turmae. — 599, 600, 601. Εναργεστάτη descriptio equorum generosiorum incedentium. *Insultans*, v. Georg. III, 117. — *pugnat habenis*, contra habenas, ut μάχεσθαί τινι, spectat ad reluctationem equorum, qui frenis cohiberi se vix patiuntur et repugnant: hinc *huc obversus et huc*. Prudent. Psychom. 194: *Huc illuc frendens obvertit terga* etc. — 601, 602. Poëticum hoc phantasma satis notum; et iam alibi observatum est Ennium in eo praecessisse, Ennio autem Graecos et ipsum Homerum Il. v, 339. De hoc igitur nil nunc monemus. Sed *ferreus ager* audacius etiam quam VII, 525-527: *atraque late Horreseit strictis seges ensibus*. Scilicet *ager horret late hastis*: ut alias segete, aristis, arbustis; atque inde *ferreus* ad visum et opinionem, ferreis hastis totus collucens: hinc subiicitur: *campique armis sublimibus ardent*, fulgent. Quae si ad hunc modum expedias, intelligis non sine iudicio poëtam hunc versum ab Ennio (Annal. I, p. 33 ed. Column.) sumsisse; Ennium autem male irrisum fuisse ab Lucilio, quod h. l. factum narrat Servius: add. Macrob. VI, 4 pr. et Horat. I, Serm. 10, 54, quem Serv. adduxit. — *ardent* esquisitius quam refulgent. Sic tamen et αΐθεσθαι, αΐθειν, φλέγειν et alia.

603, 604, ut praediserat v. 518, 519. — 606. *Protendant*, προτείνουσι, prominent tamen illae vel sic cuspidi-

Adventusque virum fremitusque ardescit equorum.
Iamque intra iactum teli progressus uterque
Substiterat: subito erumpunt clamore frementisque
Exhortantur equos; fundunt simul undique tela 610
Crebra nivis ritu, coelumque obtexitur umbra.
Continuo adversis Tyrrhenus et acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis primique ruinam
Dant sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt; excussus Aconteus, 615
Fulminis in morem aut tormento ponderis acti
Praecipitat longe et vitam dispergit in auras.
Extemplo turbatae acies, versique Latini
Reiiciunt parmas et equos ad moenia vertunt.
Troës agunt; princeps turmas inducit Asylas. 620
Iamque propinquabant portis, rursusque Latini

bus. Aliae autem sunt *hastae*, alia *spicula*, h. e. iacula: his eminus, illis cominus pugna fit. Igitur hastas *reducunt*, ut cum impetu immittant, iacula *vibrant*, rotant. 607. — *adventus virum ardescit*, h. e. strepitus ex adventu seu strepitus advenientium maior maiorque ad aures accidit et increbescit, quo propiores invicem sibi turmae fiunt. cf. 911. Etenim quae augentur, inprimis motu, incalescere ideoque et exardescere dicuntur, ut incendi. v. ad X, 895. — 608. Progressus utriusque exercitus eo iam factus erat, ut intra teli iactum ventum esset: quando utraque acies substitit. In sqq. comparatio institui potest non sine fructu Il. δ, 446 sqq., et ad v. 610, 611 v. Il. μ, 156 sqq.; 278 sqq. — *coelum obtexitur umbra*, cf. XII, 578: *et obumbrant aethera telis*. Etiam vulgari sermone tritum. Vnde illud Laconis, se sub umbra telorum esse pugnaturum. At Il. ρ, 366 sqq., quem non cum nostro contendere debebant, pulvere caligo obducitur pugnae, non telorum crebritate. Quod autem Servius ad v. 608 habet: *Et Enniana est ista omnis ambitiosa descriptio*: hoc ad ea spectat, quae ad IX, 806 sqq. vidimus.

612. *Tyrrhenus* h. l. nomen viri Etrusci proprium, *Aconteus* e Latinis. — 613. *Ruinam dant*, runnt, irruunt, mutuo impetu, *perfractaque... rumpunt*, frangendo rumpunt pro perfringunt: scilicet equi concitati summo impetu pectoribus obnixi et illisi invicem confligunt: qua ruina, quo conflictu labefactatus Aconteus equo deiicitur: fortasse simul hastae ictu percussus. — 620. *Troës* nunc: mox *Tusci* 629, quoniam ex utraque gente equitatus constabat, *agunt*, versos in fugam impelluntur, ut V, 265. *Asylas*, qui Pisa Etruriae copias adduxerat: X,

Clamorem tollunt et mollia colla reflectunt;
Hi fugiunt penitusque datis referuntur habenis:
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras scopulosque superiacit undam 625
Spumeus extremamque sinu perfundit arenam,
Nunc rapidus retro atque aestu revoluta resorbens
Saxa fugit litusque vado labente relinquit.
Bis Tusci Rutulos egere ad moenia versos;
Bis reiecti armis respectant terga tegentes. 630
Tertia sed postquam congressi in proelia totas
Inplicuere inter se acies, legitque virum vir;
Tum vero et gemitus morientum et sanguine in alto
Armaque corporaque et permixti caede virorum
Semanimes volvuntur equi; pugna aspera surgit. 635
Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,

475 sqq. — 622. Ante urbem subsistunt Latini, contra fugiunt Troiani et Etrusci. *colla* equorum: qui quoniam domiti, ut facile flecti queant, hinc colla *mollia*: ut Georg. III, 201: *molli collo* et *mollia crura* ibid. v. 76. — 624 sqq. Comparatio praeclara et ornatissima: cui ex parte similem ex Quinto Calabro excitavit Gnellius (l. XI, 226 sqq.); accedit tamen haec propius ad locum Homeri Il. λ, 305 sqq. Non autem ad aestum maris crescentis et decrescentis trahendum est; sed de motu maris littus alluentis et alternis accedentis ac recedentis. Fugiunt et redeunt equites, quemadmodum mare littus modo alluens modo fluctu recedens. Ornatum observa in singulis. *alterno gurgite*, unda, fluctu. Nunc *pontus*, fluctus, ad littus advolvitur idque ideo exsuperat. *superiacit undam*, iacit undam super scopulos s. littus: praepositione ad verbum retracta: ut fere Graece: πολύπελόν τ' ὑπεροίβαλε κῦμα, — *arenam extremam*, in interiore littore, *perfundit sinu*, fluctu undas iam languentes in sinum curvante. Nunc *pontus*, unda, *aestu*, vicissitudine maris aestuantis, graviter commoti, *rapidus retro* (παλιρρόθιον κῦμα, v. c. Od. ε, 430. Sic malo, quam *retro fugit*) *atque resorbens* (se, ἀναῤῥοιβδῶν) *fugit saxa revoluta*, h. e. per quae unda revolvitur, ἀνακυλίνδεται, et *relinquit* pontus *litus vado labente*, fluctu recedente ac decrescente; donec novus fluctus iterum allust.

631. *In tertia praelia*: eleganter pro tertio. — 632. *legitque virum vir* Homericum ἀνὴρ δ' ἄνδρ' ἐδηοπάλιζεν Il. δ, 472, h. e. percussit. Add. Tyrtaeum II, 29, 30. — 633. *Tum vero*. v. Il. δ, 450 sqq. Loca alia similia observabit quisque pro se. Vnum excitabo Eurip. Phoeniss. 1196 sqq.

636. *Orsilochus* ex Troianis est. v. 690. *Remulus* ex Latinis, diversus ab eo, qui X, 592, 593 memoratus. Ad

Hastam intorsit equo ferrumque sub aure reliquit,
Quo sonipes ictu furit arduus altaque iactat
Volneris inpatiens adrecto pectore crura.
Volvitur ille excussus humi. Catillus Iolan 640
Ingentemque animis ingentem corpore et armis
Deiicit Herminium, nudo cui vertice fulva
Caesaries nudique humeri; nec volnera terrent;
Tantus in arma patet. Latos hic hasta per armos
Acta tremit duplicatque virum transfixa dolore. 645
Funditur ater ubique cruor; dant funera ferro
Certantes pulcramque petunt per volnera mortem.
At medias inter caedes exsultat Amazon,
Vnum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla;
Et nunc lenta manu spargens hastilia denset, 650
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus et arma Dianae.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,

reliqua v. 637-640 cf. X, 890-894 de simili vulnere. — 640. *Catillus*, qui Tiburtes agebat. cf. 519 et lib. VII, 672; ideoque Iolas et Herminii inter Troianos et Etruscos referendi. — 643, 644. *nec volnera terrent; tantus in arma patet*: arte cohaerent cum illis: *nudo cui.... nudique humeri*. Habebat nudum caput et humeros nudos, ut satis appareret eum vulnera non timere: tantum, tanta sui parte, patebat in vulnera s. in tela hostilia. *duplicat virum*: incurvat, ut reddatur Homericum ἰδνοῦν. ἰδνώθη τε πεσών Iliad. ν, 618; hinc adiectum: cum, seu prae *dolore*. Et sic *duplicatus poples* XII, 927. Niobes filia collapsa dicitur *duplicata volnere caeco* ap. Ovid. Met. VI, 293, ubi v. Burm. et ad Val. Fl. VI, 509. Ap. Graecos πτύσσεσθαι sic occurrere memini. — 646, 647. Haec ad reliquos pugnantes spectant, mortem dant et accipiunt.

648. De Camilla episodium inter elaboratiores est carminis partes. *Vnum exserta latus*, mammam; 893 *sub exsertam papillam*. v. I, 492. Disputant Intpp., utram exseruerit, nudaverit. Cerda ait laevam, nam dextra in Amazonibus erat exusta. Verum comparatio instituitur tantum ad nudationem mammae: in venatricibus autem et bellatricibus, ut Diana ac Nymphis, dextrum pectus, dextrum humerum nudatum videmus in numis ac statuis: sicque Callimachus in Dian. 213, 214. — *pugnae*, ad pugnam, ut expeditior esset ad pugnandum, in primis arcu sagittam emissura. Comparationis autem lineas ducit, quam mox repetit et ornat vss. 659 sqq. — 650. *spargens denset*: id est, dense spargit, iacit, alias fundere, χέειν. — 651. *inde-*

Spicula converso fugientia dirigit arcu.
At circum lectae comites, Larinaque virgo
Tullaque et aeratam quatiens Tarpeia securem,
Italides, quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit pacisque bonas bellique ministras:
Quales Threïciae quum flumina Thermodontis
Pulsant et pictis bellantur Amazones armis
Seu circum Hippolyten seu, quum se Martia curru
Penthesilea refert, magnoque ululante tumultu

fessa est ἄτρυτος. — 653. *in tergum recessit*: etiam hoc a vulgari ratione deflexit. Nam vulgare est: si tergum vertit, dat, tum illa redit tergo verso, versa tergo, et in tergum. — 654. *spicula fugientia*, ipsa fugiens, ut recte Servius. — 658. *ministras*, comites: sic δμωΐδας. Penthesileam dat Quintus Calaber lib. I, 33: ut θεράποντες heroum sunt. Totum illum locum de Penthesilea et partem libri contulisse non poenitebit; ut omnino poëtico ornatu nullus veterum poëtarum locupletior hoc Quinto est; nec dubito antiquiores opes in eo poëta latere (cf. Th. Chr. Tychsenii, V. C. commentation. sect. III editioni poëtae ab ipso procuratae praemissam, ubi egregia docuit e cyclicis poëtis sua petiisse. *R.*) — 659. *Threïciae Amazones* pro Scythicis vel Sarmaticis dixit, ut Threissam Harpalicen lib. I, 316, quod tamquam poëta iure suo fecit. Sic *Strymonis* est Propert. IV, 4, 69. Sarmatica autem origo fere communi veterum consensu Amazonibus tribuitur, etsi vulgaris fabula a Tanaidis ostiis ad Ponti fines et Thermodontem fluvium eas traduxit. V. loc. class. Iustin. II, 4. Cf. Apollon. II, 370-966 sqq. et Schol. — 659. *cum flumina Thermodontis pulsant*; pro ripis flumen dictum opinatur Cerda et alii, ut v. c. Georg. II, 11, 12: aliae arbores ..... *campos et flumina late Curva tenent*. Mihi tamen cum ipsa res persuadet, agi de de fluminę glacie obducto; tum vero etiam Claudiani imitatio, qui non aliter intellexisse videtur: adscribam totum locum Pros. rapt. II, 62-66: *Qualis Amazonidum peltis exsultat adunci*s (ex nostro v. 663) *Pulchra cohors, quoties Areton populata virago Hippolyte niveas ducit post praelia turmas* (hoc illustrat v. 661, 662: *seu cum se Martia curru Penthesilea refert*, redit ex pugna et quidem victrix; hinc *exsultant* et *magno tumultu*); *Seu flavos stravere Getas, seu forte rigentem* (glacie) *Thermodontiaca Tanaim fregere securi*. Transtulit hic Claudianus ad Tanain, quod Maro de Thermodonte memoraverat. Et Silius II, 73: *Quales Threïciae Rhodopen Pangaeaque lustrant Saxosis nemora alta iugis, curruque fatigant Hebrum, inupta manus*. Vides Hebrum glacie obductum; et Amazones ad Thraciam revocatas. — 660. *bellantur* pro bellant, ut alia, v. Serv. Sic *nutritor* pro *nutrito* Georg. II, 425. *pictis armis*, auro argentoque distinctis, maxime pelta. Cf. ad VIII, 588. *se refert*, redit (v. paullo ante); non ut Serv. pro se fert, infert. —

Feminea exsultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum aspera virgo
Deiicis? aut quot humi morientia corpora fundis? 665
Eunaeum Clytio primum patre, cuius apertum
Adversi longa transverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit atque cruentam
Mandit humum moriensque suo se in volnere versat.
Tum Lirim Pagasumque super, quorum alter, habenas
Suffosso revolutus equo dum colligit, alter, 671
Dum subit ac dextram labenti tendit inermem,
Praecipites pariterque ruunt. His addit Amastrum
Hippotaden sequiturque incumbens eminus hasta
Tereaque Harpalycumque et Demophoonta Chromim-
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo, (que 675
Tot Phrygii cecidere viri. Procul Ornytus armis
Ignotis et equo venator Iapyge fertur,
Cui pellis latos humeros erepta iuvenco
Pugnatori operit; caput ingens oris hiatus 680
Et malae texere lupi cum dentibus albis,

tumultu ululante, invertit, cum ipsae ululent cum tumultu: cum tumultu ululantium (l. e. ovantium: ululare etiam bono sensu ut ὀλολύζειν. conf. Hemsterh. ad Lucian. I, p. 177 Bipont. *R.*) *Martia Penthesilea*, proprie. Iustin. II, 4, 13 duae reginae.... *ne successibus deesset auctoritas, genitas se Marte praedicabant.*

664, 665. Variatus orationis color, Homeri exemplo Il. ε, 703. π, 692. — *Eunaeum*, int. e Troianis, *Lirim Pagasumque* ex Etruscis: reliquos v. 673 sqq. iterum Troianos: e quibus *Amastrus* Hippotae f. *Mandit humum:* quod alias *mordere*. vs. 418 et ad X, 489. — 671. *habenas dum colligit:* ut equum ex vulnere cernuum retrahat. — *suffossus* equus, vulnere subtus iaculo vel hasta accepto: ut Tac. I, 65. Nolim de calcarium ictu accipi. — 674. *sequitur incumbens*, ἐφέπει ἐρειδουσα vel ἐπερειδομένη puella: hoc referitur ad nisum emittentis hastam, qua illa insequitur eminus, h. e. petit, Tereum et alios.

677. *Ornytus* ex Etruscis. Cf. 686. — *armis ignotis*, novis h. l., ut Serv. inconsuetis, insolentiore specie: nam habebat exuvias tauri pro thorace et rictum lupi pro galea: ut VII, 666, 667 Aventinus. Talis Argus apud Apollon. I, 324, 325. Perperam loricam ex corio factam intelligit Serv. h. l. — *Iapyge* pro Iapygio, Apulo. v. v. 247. — 679. *iuvenco*, tauro, *pugnatori*, silvestri, cum quo pugnave-

Agrestisque manus armat sparus; ipse catervis
Vertitur in mediis et toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum, neque enim labor agmine verso,
Traiicit et super haec inimico pectore fatur: 685
Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?
Advenit, qui vestra dies muliebribus armis
Verba redarguerit. Nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillae.
Protenus Orsilochum et Buten, duo maxima Teucrum
Corpora; sed Buten aversum cuspide fixit 690
Loricam galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent, et laevo dependet parma lacerto;
Orsilochum fugiens magnumque agitata per orbem
Eludit gyro interior sequiturque sequentem, 695
Tum validam perque arma viro perque ossa securim
Altior exsurgens oranti et multa precanti
Congeminat; volnus calido rigat ora cerebro.

ral. — 682. *Sparus*: rusticum telum in modum pedi recurvum; inquit Serv. cf. ad Sallust. Catil. 56. (59) et Nepot. Epaminond. 9. — 683. *Vertitur*, versatur, ἀναστρέφεται. — 684. *exceptum*, insidiis circumventum, ait Servius, ut VI, 173; enimvero est: assequuta fugientem; nam adiectum *agmine verso*. *Excipere* a venatione ductum h. l.: ut bene Burm. monuit. — *et super*, insuper, *fatur haec*. — 689. Eadem X, 829. Imitati sunt alii apud Cerdam.

690. *Butes* diversus fortasse ab eo, qui lib. IX, 647 sqq. memoratur, et ab altero utique V, 372. *Orsilochus* e Troianis 636. — 692. *sedentis* in equo. Non enim inter haec omnia animo dimittendum, nos in pugna equestri versari. *lucent* eleganter pro: apparent nuda, et quidem in *laevo humero*, Buten enim fugientem, at Orsilochum ipsa fugiens obtruncavit Camilla. Etiam vulneris locus vss. 692, 693 aversam corporis partem satis declarat. Vulnus infertur supra sinistrum humerum, in ipsam cervicis vertebram, quae attollitur paullulum in capite prominente, qualis habitus sedentis est. Variasse igitur poëta videri debet vulnus Hectori ab Achille illatum Il. χ, 324 sqq. et Cycni vulnus ab Achille acceptum ap. Hesiod. Sc. Herc 416-420. Vtraque loca sedulo comparanda. Ex his ipsi poëtae mentem assequuti sumus. Conf. XII, 381, 382. — 694, 695. *gyro interior*, ideoque ab laeva Orsilochi (conf. V, 470); quo facto cursu aequato illa eius lateri iuncta dextra sublata capiti ictum bipenni infligit: *securim congeminat*, ictum, vulnus.

Incidit huic subitoque adspectu territus haesit
Appenninicolae bellator filius Auni, 700
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant;
Isque, ubi se nullo iam cursu evadere pugnae
Posse neque instantem reginam avertere cernit,
Consilio versare dolos ingressus et astu
Incipit haec: Quid tam egregium, si femina forti 705
Fidis equo? dimitte fugam et te comminus aequo
Mecum crede solo pugnaeque adcinge pedestri;
Iam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem.
Dixit; at illa furens acrique adcensa dolore
Tradit equum comiti paribusque resistit in armis, 710
Ense pedes nudo puraque interrita parma.
At iuvenis vicisse dolo ratus avolat ipse
(Haud mora) conversisque fugax aufertur habenis
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.

699 sqq. Quod sequitur episodium, novitate et variatate praeclarum et ab omni parte perfectum. Ligures fraudibus et perfidia omnino infames fuere: fortassa quia montium latebris hostium incursus eludere eosque inter silvarum ambages et saltus in insidias allicere solebant. *Ligures omnes fallaces*, verba Catonis Origg. l. II excitat Serv. ad h. l. Eundem vid. ad v. 715. Liguriae autem magna pars per ipsa Apennini protendebatur. *Incidit huic*, in hunc, graece. — *Haud Ligurum extremus*, h. e. fraude, quoties ea uti licebat, nemine inter populares inferior. — 702. *evadere pugnae* graece pro vulgari *pugna*. — 704. *ingressus* pro pedestri aggressus, moliens, ut de dicente IV, 407. VI, 863. — 705. *forti equo*. Epitheto primum observant usum Ennium (apud Cic. Cat. 5.), tum Lucret. III, 8, nunc hinc Maronem. Faciunt autem virgo ad velocitatem. — 706. *dimitte fugam*, cursum equestrem, equi usa velocitate. — 707. *crede te solo et adcinge* (te) *pugnae pedestri*, *comminus mecum*, pugna pedestri. — 708. *cui ferat*, i. e. an tibi ferat, *laudem*, decus ex victoria, κλέος. *ventosa*, vana, inanis, gloriatio: nam pugnae equestris successus magna ex parte equi virtuti debetur: ut simpliciter ornet epitheton. Non male comparant ἠνεμόεν φρονήμα apud Sophoclem Antig. 353. — 709. Comparant Hectoris factum Il. 9, 348 sqq. — 710. *paribus* a sicut etiam illum congressurum (non congressum) putabat a ut Servius monet. *resistit* simpl. stat. conf. Ge. IV, 424: Aen. IV, 76. — 711. *parma pura*. Epitheton arbitror simplicitar ornare: ut sit parma sine insigni et ornatu: ut *parma alba* IX, 548. — 714. *ferrata calce*: hoc ide suo aevo sumsit poëta. Heroum vita κέντρον, stimulum, no-

Vane Ligus frustraque animis elate superbis, 715
Nequidquam patrias tentasti lubricus artis;
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Haec fatur virgo et pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu frenisque adversa prehensis
Congreditur poenasque inimico ex sanguine sumit: 720
Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Conprensamque tenet pedibusque eviscerat uncis;
Tum cruor et volsae labuntur ab aethere plumae.
At non haec nullis hominum sator atque deorum 725
Observans oculis summo sedet altus Olympo.
Tyrrhenum genitor Tarchonem in proelia saeva
Suscitat et stimulis haud mollibus iniicit iras.
Ergo inter caedes cedentiaque agmina Tarcho
Fertur equo variisque instigat vocibus alas 730
Nomine quemque vocans reficitque in proelia pulsos,

rat (v. Il. ψ, 387. coll. 384.); non calcar, multo minus e ferro.

715. *Ligus*, Λίγυς, pro Ligur. *lubricus*, fallax, ut ὀλισθηρός. — 718. *ignea*. Cf. VII, 808. A Catullo summum iam alii observarunt LXIV, 337: *Flammea praevertet celeris vestigia cervae*; de Achille. Vt alias ὀξύς, rapidus, de igni; sic nunc *igneus* pro celer. — 719. *Transit equum cursu*. Haec de eius celeritate praestruxerat lib. VII, 808, 809. — 721. Minus bene comparaoi Intpp. Iliad. ν, 62. φ, 493. Opportunior erat locus Iliad. χ, 139-144. — *sacer ales*: accipio dictum, propter augurium ex eo avium genere capi solitum, v. c. Odyss. ο, 524 sq.; sacra enim diis, quae ad augurium et divinationem spectaoi. — 724 versus inservit exornandae comparationi. Cf. eund. loc.

725, 726. Homericum: Οὐδ' ἄλαοι σκοπιὴν ἔχε, h. e. omoino vidit oculis suis Iupiter, Il. α; 515. Conf. Od. ϑ, 285. — 727, 728 ad verba conf. IX, 717, 718, et hoc lib. vs. 451, 452. Succedit nunc in pugnam equestrem Tarcho insigne facinus editurus, et ex eius copiis Etruscis, Troianorum sociis, Arruns Camillam occisurus. *Tarchonem*, Τάρχωνα. *suscitat*, ὤρσεν, ὤτρυνεν. — 731. Praeivisse Furium (M. Furium Bibaculum) in Annal. XI: *Nomine quemque ciet: dictorum tempus adesse Commemorat.... Confirmat dictis: simul atque exsuscitat acres Ad bellandum animos reficitque ad praelia mentes*, notavit Macrob. IV, 1. Malim et hic Homerum laudare Il. α, 67, πατρόϑεν ἐκ γενεῆς ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον. In sqq. verbis Tarchonis a vs. 732 nemioem fugere possunt vestigia Homeri Iliad. δ, 340

Quis metus, o numquam dolituri, o semper inertes
Tyrrheni, quae tanta animis ignavia venit?
Femina palantis agit atque haec agmina vertit?
Quo ferrum quidve haec gerimus tela inrita dextris? 735
At non in Venerem segnes nocturnaque bella
Aut, ubi curva choros induxit tibia Bacchi,
Exspectare dapes et plenae pocula mensae,
(Hic amor, hoc studium!) dum sacra secundus harnspex
Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos. 740
Haec effatus equum in medios; moriturus et ipse,
Concitat et Venulo adversum se turbidus infert
Dereptumque ab equo dextra complectitur hostem
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
Tollitur in coelum clamor; cunctique Latini 745

sq. — 732. *O numquam dolituri*, dedecoris, infamiae sensum habituri. Al Horat. *O dolitura mea multum virtute Neaera*: Epod. 15, 11. — 736. Egregie in rem suam vertit poëta famam de veterum Etruscorum luxuria; etsi in singulis ornamentis Homerum respicere potuit. Alacriter dicit eos ruere ad epulas et quidem sacrificiorum. Simili argumento ad exprobrationem utebatur Homerus in Menestheum et Ulyssem; sed quod primi vocantur ad coenam et maiore carnium vinique copia honorantur Iliad. δ, 340 sqq. In his: *ubi tibia Bacchi curva indixit choros*, putatur respexisse Maro Priami vocem, qui filios increpans ὀρχηστὰς, χοροιτυπίησιν ἀρίστους appellat Il. ω, 261. Locum de Phaeacibus huc vocant alii Odyss. θ, 248, 249, quo tamen vix quicquam in poëtae verbis illustratur: in quibus plura sunt notabilia ad morem sacrorum apud Etruscos. De tibia in sacris omnino, tum in Cybeles et Bacchi, ad choros nil monere opus est (sed Bacchum cum iudicio poëtico nominavit, non historico: nam ad Etruscos illa vasa, quae sub nomine etruscorum satis celebria sunt, nihil pertinere post Lanzii, Bottigeri al. disquisitiones constat. *R.*) — 736. Amaritudo dicti sic satis intelligitur, si cogites eos fugere in praelio cum femina. — 738. *plenae mensae*, πλη-θούσης τραπέζης. — 739 *harnspex secundus*, qui secunda nuntiat ex extis inspectis. Fit autem exstispicium, cum victimae pars crematur in ara; interea carnes epulis apponendae curantur: ubi autem litatum est, epulae sacrae subsequuntur. Et h. l. quidem sacra fiunt in luco, ideoque et epulae; etiam hoc ex veterum more: quod servatum in primis in sacris rusticis: v. c. Tibull. I, 10, 51.

741. *moriturus et ipse*: animo, ut bene Servius, h. e. animi proposito. — *turbidus* b. l. ira; ut et al. — 742. *Venulus* e Latinis, idem qui ad Diomedem missus fuerat VIII, 9 et XI, 242. — 745. Ennius: *Tollitur in coe-*

Convertere oculos. Volat igneus aequore Tarcho,
Arma virumque ferens; tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum et partis rimatur apertas,
Qua volnus letale ferat; contra ille repugnans
Sustinet a iugulo dextram et vim viribus exit; 750
Vtque, volans alte raptum quum fulva draconem
Fert aquila inplicuitque pedes atque unguibus haesit,
Saucius at serpens sinuosa volumina versat
Adrectisque horret squamis et sibilat ore
Arduus insurgens, illa haud minus urguet obunco 755
Luctantem rostro, simul aethera verberat alis,
Haud aliter praedam Tiburtum ex agmine Tarcho
Portat ovans. Ducis exemplum eventumque secuti
Maeonidae incurrunt. Tum fatis debitus Arruns
Velocem iaculo et multa prior arte Camillam 760
Circuit et, quae sit fortuna facillima, tentat.
Qua se cumque furens medio tulit agmine virgo,
Hac Arruns subit et tacitus vestigia lustrat;

lum clamor exortus utrisque ap. Macrob. VI, 1. — 748. *partes apertas* in iugulo, ut e sqq. apparet. Cf. Il. χ, 324 sqq. cf. v. 692, 693. — *rimatur*. De voce cf. VI, 598, 599. Ge. I, 384. — 750. *vim viribus exit*: fallit, evitat, avertit, *corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit* V, 538. — 751. Comparationem ex Homero petitam clamant inde a Macrob. V, 13 fere omnes Il. μ, 200 sqq. et laudant temere aut vituperant alterutrum poëtam. Erat tamen et hoc monendum: ornatam ac variatam rem esse a poëta egregie tum in hoc, quod narrationem Homericam in comparationem mutavit; tum in eo, quod hic vincit aquila, apud Homerum vincitur. In aliorum poëtarum imitatione non laboramus. Conferas congesta apud Cerdam, saltem Ovid. Met. IV, 361. Claudian. XV, 467 sq. *volans alte* iungendum, est ὑψιπέτης αἰετός. — *unguibus haesit* est, ex ἐμφῦναι vel ἐμφύεσθαι, inhaeret draconi, unguibus infixis. Sic et Cicero minus eleganter converterat Homerica de Div. I, 47: *transfigens unguibus anguem*. — Ornatiora etiam 753-756 quam quae ap. Nicandr. Theriac. 456, 457. — 755. *urget*, instat tundendo draconem et perculiendo rostro. — 759. *Maeonidae*, Etrusci, ut VIII, 499, 479. IX, 11 a credita vulgo Etruscorum e Lydia origine, et *eventus* est successus, fortuna.

759. *fatis debitus*: v. 864. Est autem Arruns ex Etruscis, quos Tarchon Aeneae adduxerat. Mirum est Grammaticos de hoc dubitare. *iaculo* (quod vibrat, ad ictum paratum, v. mox v. 767) et *multa* cum *arte circuit* Ca-

Qua victrix redit illa pedemque ex hoste reportat,
Hac iuvenis furtim celeris detorquet habenas. 765
Hos aditus iamque hos aditus omnemque pererrat
Vndique circuitum et certam quatit inprobus hastam.
Forte sacer Cybelae Chloreus olimque sacerdos,
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis
Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis 770
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse peregrina ferrugine clarus et ostro
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu;
Aureus ex humeris sonat arcus et aurea vati
Cassida; tum croceam chlamydemque sinusque crepan-
Carbaseos fulvo in nodum conlegerat auro (tis 775

millam Arruns *prior*: quod ad *velocem* spectat; praevertens eam, dum lateri semper adhaeret. *quae sit fortuna facillima*, eleganter, qua facillime hasta peti ea poterat; omnis autem iactus aliquo fortunae munere successum suum habet. — *furens*, utpote in pugna: ardens et Camilla 781 *caeca* et *inconsulta*. — 767. *certam*, cuius ictum certum destinaverat.

768. Sacerdotes inter pugnantes iam Homerus induxerat Iliad. s, 9 varietatis studio; nec illic hominum ordo olim discretus a ceteris popularibus ac civibus, quin munera communia, λειτουργίας, praestaret ideoque et militiam obiret. Hic Cybeles sacerdos, quippe inter Troianos et quidem *olim*, se. in patria. Tamquam Phryx autem ornatui studet: unde poëtae locus factus ornamentorum commemorandorum. — 770, 771. Haerent in his Intpp. Mihi sic iungenda videntur: *pellis ferina auro conserta*, h. e. aureis fibulis, subter alvum equi oras pellis constringentibus, collecta et firmata; sed *pellis ahenis in plumam squamis*, h. e. cum squamis, habens squamas in plumae modum ex aere factas (puta laminam aeream in squamas elaboratam) pelli, ne corpus rigore aeris laederetur, pro stragula substratae iniectas vel innexas. Cataphractum equitem ostendi bene notat Servius, qui et Sallustii fragm. incert. laudat: *Equis paria operimenta erant, quae lintea ferreis laminis in modum plumae annexuerant*. Plumae igitur ese ipsae squamae sunt a forma dictae. Occurrunt eae etiam alibi. V. Auctores de re militari et ad Iustin. XLI, 2 f., ubi *loricae plumatae* Parthorum memoratae. *in plumam*: ut VI, 42, *Excisum Euboicae latus ingens rupit in antrum* (Ruhnkenius in praefat. versioni hollandicae lexici Schelleri praemissa ostendit, praepositioni *in* significationem » instar » adhaerere, laudatque Oudendorp. ad Apulej. III, p. 191. *R.*) — *peregrina ferrugine et ostro*, h. e. purpura ferruginea; ut, *ferrugine clarus Ibera* IX, 582. *clarus* h. l. conspicuus. Epitheta v. 773 tantum ad ornatum pertinent: nihil amplius: et iam alibi vidimus. — 775.

Pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis praefigeret arma
Troia captivo sive ut se ferret in auro,
Venatrix unum ex omni certamine pugnae 780
Caeca sequebatur, totumque incauta per agmen
Femineo praedae et spoliorum ardebat amore;
Telum ex insidiis quum tandem tempore capto
Concitat et superos Arruns sic voce precatur:
Summe deum, sancti custos Soractis Apollo 785
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur et medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna,

Cassida: forma vocis etiam apud Propertium III, 9, 15 occurrit; conf. Cerda. — 776. Collegerat in nodum *sinus carbaseos crepantes:* de eadem chlamyde crocea, ut igitur ea sit ex tenui linteo, croceo colore. Linteum hoc ut crepet et sonitum edat mota chlamyde, intextae faciunt laminae aureae: lungendum enim: *sinus crepantes fulvo auro.* Sic VI, 206, *crepitabat bractea* auri: et hinc similia apud Statium VI Theb. 62: VII, 682; ubi cf. Barth. — *nodum* in v. 776 de fibula accipere cogimur, quippe in chlamyde, quae non in nodum colligitur ut toga. Tandem interior vestis seu tunica vs. 777 erat opere Phrygio. Cf. III, 483, 484. Ad Phrygium amictum, qualis in signis et aliis veterum operibus occurrit, etiam referendum est: quod de crurum integumentis sequitur (non ad colorem croceum; ut Cerda facit post Servium): et erant *barbara*, (h. e. Phrygia) *tegmina crurum.* Ita enim Atys, Paris, Ganymedes, Galli braccarum genere induti esse solent femora et crura. Bene autem Servius: « Sane armorum longa descriptio eo spectat, ut in eorum cupiditatem merito Camilla videatur esse succensa. » Scilicet, etsi virilis animi femina, tamen a cultu et ornatu intactam mentem non habuit. — Hinc v. 782 *femineo ardore*, impatienti, ut Serv. Sic VII, 345: *femineae curae iraeque.*

785. De Soracte monte (*Monte di S. Silvestro*) agri Falisci et Hirporum familiis, quae Apollinis sacra in eo curabant super ambustam ligni struem ambulantes, loc. class. Plinii VII, 2 et Salmas. Exerc. Plin. p. 59. Simile quid occurrit apud Sophocl. Electr. 265 ibid Brunck et apud maiores nostros. Eosdem Hirpos attigerat lib. VII, 696: *Qui Soractis habent arces.* Imitator huius loci Silius lib. V, 175 sqq. Sacrum id in luco Feroniae fieri solitum narrat Strabo V, p. 394 A. Potuit scilicet sub monte Soracte Apollini sacro lucus ille esse. — 786 *primi* praecipue inter ceteros, quod vulgo: in primis. *acervum* pro atrue lignorum dicit: et, quia et pinea, hinc traduxit ad ignem: *pineus ardor.* — 788. *premimus vestigia*, plantas: ut *ponere*, *inprimere*, h. e. incedere pedibus. *multa pruna*, in

Da, Pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,
Omnipotens! Non exuvias pulsaeve tropaeum 790
Virginis aut spolia ulla peto. Mihi cetera laudem
Facta ferent. Haec dira meo dum volnere pestis
Pulsa cadat, patrias remeabo inglorius urbis.
Audiit et voti Phoebus succedere partem
Mente dedit; partem volucris dispersit in auras. 795
Sterneret ut subita turbatam morte Camillam,
Adnuit oranti: reducem ut patria alta videret,
Non dedit, inque notos vocem vertere procellae.
Ergo, ut missa manu sonitum dedit hasta per auras,
Convertere animos acris oculosque tulere 800
Cuncti ad reginam Volsci. Nihil ipsa neque aurae
Nec sonitus memor aut venientis ab aethere teli,
Hasta sub exsertam donec perlata papillam
Haesit virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidae comites dominamque ruentem 805

multis prunis. Fieri hoc plantis medicamento tinctis non ignoravit Varro, cuius verba Servius servavit. Cum autem Soracte et Falisci VII, 695, 696 auxilia Turno miserint, Arruntem Etruscum necesse est nunc esse ex vicinis Etruriae locis oriundum; non unum ex Hirpis: saltem diversas sequitur ab istis partes. — 790. *Armipotens* conj. Burm., quod nesciret, an alius Apollini id epitheton dederit. At *Iunonem omnipotentem* ipse Maro dixit IV, 693 et VII, 428; et h. l. multo magis hoc in Arrunte ferendum, quod paullo ante v. 785 *summum* deum eundem Apollinem appellarat: adiecto: *Quem primi colimus.* Non male igitur Servius ex affectu colentis haec dicta ait. *pulsae*, aut impulsae, prostratae, aut fugatae; et h. l. victae, ne cum Servio arguteris: ut sint exuviae Camillae occisae, de fugata autem tropaeum. Cf. statim v. 793 *pulsa cadat. inglorius*, ut δυσκλεής, ut de Agamemnone Iliad. β, 115. — 794, 795. ad Homericum Il. π, 249 sqq. *dedit*, annuit, *mente*, γνώμῃ, consilio, decreto animi; nullo tamen signo declarato. — 797. *patria alta.* Ornans epitheton satis frequens h. e. clara nobilis. Interdum ad situm refertur, etiam ad murorum ac turrium altitudinem. Sed in talibus epithetis satis est animo obversari obscuram notionem magnae alicuius et praeclarae rei.

799. Egregie animus et Camillae imperterritus describitur: in primis v. 801, 802. — In 803 *exserta papilla* humero dextro nudato, ut vs. 649 vidimus. — 804 Homericum λιλαιομένη χροὸς ἅσαι exprimi iam Macrobius, VI, 6 putavit: quod tamen

Suscipiunt. Fugit ante omnis exterritus Arruns
Laetitia mixtoque metu; nec iam amplius hastae
Credere nec telis occurrere virginis audet.
Ac, velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montis sese avius abdidit altos 810
Occiso pastore lupus magnove iuvenco
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subiecit pavitantem utero silvasque petivit,
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns
Contentusque fuga mediis se inmiscuit armis. 815
Illa manu moriens telum trahit; ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat volnere mucro.
Labitur exsanguis; labuntur frigida leto
Lumina; purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam ex aequalibus unam 820
Adloquitur; fida ante alias quae sola Camillae
Quicum partiri curas, atque haec ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potui; nunc volnus acerbum
Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge et haec Turno mandata novissima perfer: 825

paullo diversum est. — 806. Arruntis miserum pavorem ex Homero duxit Il. π, 813, ubi Patroclo caeso Euphorbus similiter sibi ipse non satis confidit. Comparatio autem vs. 809 subiecta, etsi et ipsa ab Homero mutuata Il. ο, 586-589, tam egregie ornata et ad naturam animantis propius adducta (inprimis vss. 812, 813) est, ut inter praestantiores numeranda sit. Stalii imitationem indicavit Burm. IV Theb. 363 sqq.; sed ea friget ad Maronis locum comparata. *ille.... lupus*: ut *ille... aper* X, 707. XII, 5. *sese abdidit*, abdere solet, abdit, fugit, ex gr. aoristo. *conscius audacis facti*, quem θῆρα κακὸν ῥέξαντα dixerat. *caudam pavitantem, quae* est ferae pavitantis, *remulcens*, reflectens, ὀρρωδῶν; sed exquisite: ut *mulcere* sit mulcendo inflectere, uti v. c. in felibus fieri videmus. Hesiod. Εργ. 512, sed de frigore: θῆρες δὲ φρίσσουσ' οὐρὰς ὑπὸ μάζε' ἔθεντο. — 815. μίκτο δ' ὁμίλῳ. — 818. *labitur*; nunc de ipso conatu, nutat: nam v. 828 demum de equo defluit.

821. *ante alias sola fida* quae erat: quod communius solet dici: *una ante alias fidissima*. — 823. *Hactenus potui* sc. pugnare viribus valui, ut recte Cerda: pro vulgari: nunc vires deficiunt, vel deficio iam. — 825. Animum generosum Camillae facile mirabere, quae in ipsa morte non de sua, sed de reip. salute cogitat. —

Succedat pugnae Troianosque arceat urbe.
Iamque vale. Simul his dictis linquebat habenas
Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto
Paullatim exsolvit se corpore lentaque colla
Et captum leto posuit caput, arma relinquens; 830
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum vero inmensus surgens ferit aurea clamor
Sidera; deiecta crudescit pugna Camilla;
Incurrunt densi simul omnis copia Teucrum
Tyrrhenique duces Evandrique Arcades alae. 835
At Triviae custos iam dudum in montibus Opis
Alta sedet summis spectatque interrita pugnas;
Vtque procul medio iuvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam,
Ingemuitque deditque has imo pectore voces: 840
Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello!
Nec tibi desertae in dumis coluisse Dianam
Profuit aut nostras humero gessisse pharetras.
Non tamen indecorem tua te regina reliquit 845
Extrema iam in morte; neque hoc sine nomine letum

827. Ex Furii Annal. I laudat versus Macrob. VI: *Ille gravi subita devinctus volnere habenas Misit equi lapsusque in humum defluxit, et armis Reddidit aeratis sonitum.* — 829. *exsolvit se.* Proprie anima corpore exsolvi dicitur. Tamen et IV, 703: *teque isto corpore solvo:* Iris allocuta Didonem moribundam. — 830. *captum leto caput*, h. e. victum ideoque languens. — 831. Notum illud Homericum: ψυχὴ δ' ἐκ μελέων sq. Il. π, 855, 856. — 834. *omnis copia*, h. e. copiae, totus exercitus, ut bene Serv. uti II, 564.

836. Exsequitur nunc Opis, quod mandatum erat a Diana vss. 587 sq., ut mortem Camillae ulciscatur morte Arruntis. — *custos*, Dianae comes, famula, ut V, 546 Epytides *custos comesque* Iuli. — *interrita*: cum aliaa vel solo armorum strepitu et pugnae adspectu terreri soleant puellares animi: accedit, quod Opis tuta, e tuto loco pugnam prospicit (et quomodo mirationem faciat, quod venatrix sit interrita? *R.*) 843. *desertae in dumis* venustius ex poëtica ratione, quam in dumis desertis, h. e. silvis. *nostras*, ut 536 *nostris nequiquam cingitur armis.* — 845. Poëtae Euripidem (Hippol. 1416) obversatum fuisse Valken.

Per gentis erit, aut famam patieris inultae.
Nam, quicumque tuum violavit volnere corpus,
Morte luet merita. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum 850
Antiqui Laurentis opacaque ilice tectum;
Hic dea se primum rapido pulcerrima nisu
Sistit et Arruntem tumulo speculatur ab alto.
Vt vidit fulgentem armis ac vana tumentem:
Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum; 855
Huc periture veni! capias ut digna Camillae
Praemia. Tune etiam telis moriere Dianae?

ad Hippol. I, 4 putabat. — 846. Non erit hoc letum ignobile, nec habebis *famam inultae*, ignominiam, h. e. non morieris inulta; non narrabitur de te, tulisse eum impune, qui te interemit. Fit hoc ex Dianae mandato 590-593.

849. Devolat Opis in antiquum tumulum. Tumulorum hoc genus antiquissimum ex aggesta in collis altitudinem humo, apud omnes fere veteres populos. Exempla etiam apud Homerum Il. ν, 86 sqq. : β, 603. ψ, 245-248. Nunc illud observandum, quod quercubus consitus est. Regem Dercennum aliunde non novimus. Ex Servio corrupto colligas regem Aboriginum olim hoc nomine notum fuisse. Iulius Sabinus, qui pleniorem Servium habuit, haec affert: « Dercenus, rex unus ex antiquissimis in Latio, quem plerique Latinum eundem dixerant, ut Iginus. ». Egerat igitur de eo Hyginus in Commentariis in Virgil. deperditis. — 854. *vana tumentem*, (κατ') ἐτώσια οἰδάνοντα. — *diversus*, in diversa, ἑτέρωσε, iam lib. V, 166; ut toties *adversus*, *aversus*: v. c. mox 871. — 856. *digna Camillae praemia*, poenam meritam Camillae morte: ut II, 537, *et praemia reddant debita*. — 857. In *Tune etiam* latet difficultas aliqua, quae interpretes passim tenuit, etsi ab Heinsio et Burmanno nil notatum. Videamus rationes, quibus expediri potest, sigillatim. Aut iungi debet: *tune etiam*, etiam tu, sc. ad exemplum tot aliorum, qui Dianae telis periere (sic fere Serv. et Donat.); aut: *etiam Dianae telis*, sc. nec meis exspectabisne, dum a Diana ipsa interficiaris? Neutrum placet. Erant ipsius Dianae sagittae, quibus Opis utebatur. Possit alterum distinctione iuvari; *Huc p. veni. Capias ut digna Camillae Praemia, tune etiam telis moriere Dianae?* Hoc friget. Ex Cerdae mente dolet Nympha, fraudulento homini contingere gloriosam mortem: cum periturus sit Dianae telis. Ex simili indignatione dictum putabat Guellius. Hic quoque sensus inest: Etiamne Dianae telis opus erit, ut tu pereas? Nisi, quod valde suspicor, pannus adsutus est purpurae hemistichium, unum modum video paullo meliorem, ut ex affectu reliquorum etiam hoc cum cavillatione aliqua dicatur: *Tune etiam? Telis*

Succedat pugnae Troianosque arceat urbe.
Iamque vale. Simul his dictis linquebat habenas
Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto
Paullatim exsolvit se corpore lentaque colla
Et captum leto posuit caput, arma relinquens; 830
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum vero inmensus surgens ferit aurea clamor
Sidera; deiecta crudescit pugna Camilla;
Incurrunt densi simul omnis copia Teucrum
Tyrrhenique duces Evandrique Arcades alae. 835
At Triviae custos iam dudum in montibus Opis
Alta sedet summis spectatque interrita pugnas;
Vtque procul medio iuvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam,
Ingemuitque deditque has imo pectore voces: 840
Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello!
Nec tibi desertae in dumis coluisse Dianam
Profuit aut nostras humero gessisse pharetras.
Non tamen indecorem tua te regina reliquit 845
Extrema iam in morte; neque hoc sine nomine letum

827. Ex Furii Annal. I laudat versus Macrob. VI: *Ille gravi subita devinctus volnere habenas Misit equi lapsusque in humum defluxit, et armis Reddidit aeratis sonitum.* — 829. *exsolvit se.* Proprie anima corpore exsolvi dicitur. Tamen et IV, 703: *teque isto corpore solvo*: Iris allocuta Didonem moribundam. — 830. *captum leto caput*, h. e. victum ideoque languens. — 831. Notum illud Homericum: ψυχὴ δ' ἐκ μελέων sq. Il. π, 855, 856. — 834. *omnis copia*, h. e. copiae, totus exercitus, ut bene Serv. ad II, 564.

836. Exsequitur nunc Opis, quod mandatum erat a Diana vss. 587 sq. ut mortem Camillae ulciscatur morte Arruntis. — *custos*, Dianae comes, famula, ut V, 546 Epytides *custos comesque* Iuli. — *interrita*: cum alias vel solo armorum strepitu et pugnae adspectu terreri soleant puellares animi: accedit, quod Opis tuta, e tuto loco pugnam prospicit (et quomodo mirationem faciat, quod venatrix sit interrita? *R.*) 843. *desertae in dumis* venustius ex poëtica ratione, quam in dumis desertis, h. e. silvis. *nostras*, ut 536 *nostris nequiequam cingitur armis.* — 845. Poëtae Euripidem (Hippol. 1416) obversatum fuisse Valken.

Per gentis erit, aut famam patieris inultae.
Nam, quicumque tuum violavit volnere corpus,
Morte luet merita. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum 850
Antiqui Laurentis opacaque ilice tectum;
Hic dea se primum rapido pulcerrima nisu
Sistit et Arruntem tumulo speculatur ab alto.
Vt vidit fulgentem armis ac vana tumentem:
Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum; 855
Huc periture veni! capias ut digna Camillae
Praemia. Tune etiam telis moriere Dianae?

ad Hippol. I, 1 putabat. — 846. Non erit hoc letum ignobile, nec habebis *famam inultae*, ignominiam, h. e. non morieris inulta; non narrabitur de te, tulisse eum impune, qui te interemit. Fil hoc ex Dianae mandato 590-593.

849. Devolat Opis in antiquum tumulum. Tumulorum hoc genus antiquissimum ex aggesta in collis altitudinem humo, apud omnes fere veteres populos. Exempla etiam apud Homerum Il. ν, 86 sqq.: β, 603. ψ, 245-248. Nunc illud observandum, quod quercubus consitus est. Regem Dercennum aliunde non novimus. Ex Servin corrupto colligas regem Aboriginum olim hoc nomine notum fuisse. Inlius Sabinus, qui pleniorem Servium habuit, haec affert: » Dercenus, rex unus ex antiquissimis in Latio, quem plerique Latinum eundem dixerant, ut Iginus. « Egerat igitur de eo Hyginus in Commentariis in Virgil. deperditis. — 854. *vana tumentem*, (κατ') ἐπῶσια οἰδαίνοντα. — *diversus*, in diversa, ἑτέρωσε, iam lib. V, 166; ut toties *adversus*, *aversus*: v. c. mox 871. — 856. *digna Camillae praemia*, poenam meritam Camillae morte: ut II, 537, *et praemia reddant debita*. — 857. In *Tune etiam* latet difficultas aliqua, quae interpretes passim tenuit, etsi ab Heinsio et Burmanno nil notatum. Videamus rationes, quibus expediri potest, sigillatim. Aut iungi debet: *tune etiam*, etiam tu, sc. ad exemplum tot aliorum, qui Dianae telis periere (sic fere Serv. et Donat.); aut: *etiam Dianae telis*, sc. nec meis, exspectabisne, dum a Diana ipsa interficiaris? Neutrum placet. Erant ipsius Dianae sagittae, quibus Opis utebatur. Possit alterum distinctione iuvari; *Huc p. veni. Capias ut digna Camillae Praemia, tune etiam telis moriere Dianae?* Hoc friget. Ex Cerdae mente dolet Nympha, fraudulento homini contingere gloriosam mortem: cum peritnrus sit Dianae telis. Ex simili indignatione dictum putabat Guellius. Hic quoque sensus inest: Etiamne Dianae telis opus erit, ut tu pereas? Nisi, quod valde suspicor, pannus adsutus est purpurae hemistichium, unum modum video paullo meliorem, ut ex affectu reliquorum etiam hoc cum cavillatione aliqua dicatur: *Tune etiam? Telis*

Dixit et aurata volucrem Treïssa sagittam
Depromsit pharetra cornuque infensa tetendit
Et duxit longe, donec curvata coïrent 860
Inter se capita, et manibus iam tangeret aequis
Laeva aciem ferri, dextra nervoque papillam.
Extemplo teli stridorem aurasque sonantis
Audiit una Arruns, haesitque in corpore ferrum.
Illum exspirantem socii atque extrema gementem 865
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt;
Opis ad aetherium pennis aufertur Olympum.
Prima fugit, domina amissa, levis ala Camillae;
Turbati fugiunt Rutuli; fugit acer Atinas;
Disiectique duces desolatique manipli 870
Tuta petunt et equis aversi ad moenia tendunt.
Nec quisquam instantis Teucros letumque ferentis
Sustentare valet telis aut sistere contra;

moriere Dianae; h. e. tunc etiam longius abis? non pares dicto? Adea vero, o bone, *telis moriere Dianae*. Vti in obiurgatione *etiam* sollenne est. Dubitationes de loco hoc tollit Statii imitatio Theb. X, 910. IX, 787.

858 sqq. Quandoquidem memorabilis inter tot alias haec est sagittatio, qua dea ulciscebatur mortem Camillae, cuius admiratio adhuc animos nostros tenuit; ornata ea est a poëta exemplo Homerico in Pandaro Il. δ, 116 sqq., etsi malorum rerum exordia ab hoc Pandari telo procedebant. Cum his contendi potest alius locus Quinti Cal. X, 231-234. *Threïssa* Opis, fortasse tamquam una e puellis Hyperboreis. Vid. ad va. 532. Thracum autem nomen late propagatum, ut supra quoque de Amazonibus ex Scythia v. 659. — 859. *infensa*, infenso animo, qui virea novas adiiciebat. — 861. *aequis* pro aeque; aequaliter dextra pectus ac laeva sagittae cuspidem. Scilicet dextra nervum tetenderat, ita ut mammae admotus ille dextrae esset; laeva tenebat arcum ea parte, qua arcui sagitta imponitur a nervo remisso impellenda: Il. δ, 123, εἷλκε δ' ὁμοῦ γλυφίδας τε λαβὼν καὶ νεῦρα βόειαν. Νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασε, τόξῳ τε σίδηρον. — 863, 864. Conf. IX, 631, 632, 633. — 866. *obliti*, ἀμελήσαντες, h. e. non curantes prae fugiendi studio.

868. Fit fuga Latinorum et Rutulorum versus urbem Laurentum. — *levis* simpliciter ornat. Equitatus omnino levis, quatenus expeditior est ad iter, fugam, pedite. — 870. *manipli*. De signiferis accipiunt Serv., Cerda; quidni ipsi militum numeri? ut vocabulum hoc accipi solet. H. l. turmae equitum. — *desolati*, relicti a ducibus, ut *vastatae cohortes*, ex dispersione et fuga. — 872. Troianos

Sed laxos referunt humeris languentibus arcus,
Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula cam-
Volvitur ad muros caligine turbidus atra (pum
Pulvis, et e speculis percussae pectora matres
Femineum clamorem ad coeli sidera tollunt.
Qui cursu portas primi inrupere patentis,
Hos inimica super mixto premit agmine turba; 880
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Moenibus in patriis atque inter tuta domorum
Confixi exspirant animas. Pars claudere portas;
Nec sociis aperire viam nec moenibus audent
Adcipere orantis; oriturque miserrima caedes 885
Defendentum armis aditus inque arma ruentum.
Exclusi ante oculos lacrimantumque ora parentum
Pars in praecipitis fossas, urguente ruina,
Volvitur; inmissis pars caeca et concita frenis
Arietat in portas et duros obiice postes. 890
Ipsae de muris summo certamine matres

letum inferentes, ut Serv. — 874. i. e. ipsi languentes, fessi. — 875. *campum putrem*, qui in pulverem resolvitur. ut VIII, 596. Mox *e speculis*, de muris, unde prospiciunt: ut 475.

879 sqq. Est quidem similis pugna ad portas castrorum Iliad. μ, 122 sqq. Sed Virgilii locus haud paullo plus ἐναργείας, affectus et ornatus, habet. — 880. *super*, a tergo: ut alibi quoque: premit fugientes hostis. — 884. *moenibus*, portis; e more loquendi, cum moenia latius dicantur quam muri. — 885, 886. Obscurum est, utri sint *defendentes* et *ruentes*; nec lux ab Servio aliisque exspectanda. Simplicissimum post alia tentata hoc esse arbitror: agi de portis nondum clausis, sed claudendis. Dum in eo sunt oppidani, ut portas claudant, ecce irruunt primi fugientes, quos, ne una cum iis hostis irrual, isti accipere intra urbem nolunt. Hinc oritur caedes partim eorum, qui vi ab ingressu portae fugientes prohibere volunt; partim eorum, qui vi irrumpunt et in resistentes irruunt. — 888. *urgente ruina* soli, ut fit in ora seu margine fossarum, ut ruat solum et fatiscat. At Iul. Sabinus ruinam cadentium interpretatur; sic quoque alii. — 889. *pars caeca arietat in portas* cum impetu caeco, haud providentes, in portas clausas irruunt, impingunt.

891. Affectum Latinarum matronarum ex hoc profectum dicere necesse est, quod *Camillae corpus* deportatum ex pugna conspiciunt. Quam cum pro Latinorum salute cecidisse

(Monstrat amor verus patriae, ut videre Camillam)
Tela manu trepidae iaciunt ac robore duro
Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis
Praecipites primaeque mori pro moenibus ardent. 895
Interea Turnum in silvis saevissimus inplet
Nuntius, et iuveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostis et Marte secundo
Omnia conripuisse; metum iam ad moenia ferri. 900
Ille furens (et saeva Iovis sic numina poscunt)

videant, ipsae partim miseratione, partim patriae defendendae studio inflammantur. De deportato tamen ex acie corpore nihil adiecit narrationi; neque fortasse rem sic narrare potuit, cum v. 593, 594 Diana praedixisset: *se nube cava corpus et arma inspoliatae Camillae tumulo esse illaturam.* Nac tamen commodior illa est ratio, ut ad tempus pugnae et prospectum da muris Camillae pugnantis et occumbentis haec retrahantur sicque iunctim includantur (*monstrat amor verus patriae, ut videre Camillam*); ut sit: *amor verus patriae monstrat*, docet ipsas hoc, ut tela iaciant, *ut videre Camillam*, Camillae exemplo. Sed vereor, na, si non totus versus 892, at hemistichium tamen *ut videre Camillam* ad supplendum versum, quem poëta imperfectum reliquerat, illatum sit. — *summo certamine*, in extremo discrimine (ut v. 476 *labor ultimus.* Serv.); ideoque etiam viderunt eam cadere: ipsae incensae arma sumunt et hostem propugnare volunt. — 892. *Monstrat amor verus patriae* sc. Latinas matronas: earum animum ac virtutem declarat. Ita obscuriorem esse sententiam quam pro poëtae ingenio ac more facile largiar. Praestat sic interpretari: — *monstrat* Camillam sc. pugnantem et occumbentem pro patria: quo exemplo inflammatae ipsae arma capiunt (Noli de versus 892 bonitate dubitare. Sensus est: *monstrat*, quales sint Latinae matronae, *amor verus patriae*, ut, i. e. ex quo *viderunt* in urbe sua muliarem illam pro urbe et gente pugnaturam *Camillam.* R.) — 893, 894. Iunge *stipites robore duro*; utuntur pro telis stipitibus sudibusque. — 895. *Praecipites*, ut *trepidae*, festinationem ac studium declarat.

896. *Nuntius* pro re nuntiata. Hoc facile videas. Malim illud observatum: *Nuntius inplet Turnum*, ut absolute: *inplere aliquem*, dictum sit. Sed res sic espedienda: usum esse poëtam more suo et id, quod adiiciendum erat: *inplet Turnum ingenti tumultu*, in binas enuntiationes resolvisse: *Nuntius inplet Turnum*, et *Acca fert iuveni ingentem tumultum*, perturbationem, rem nuntiat, quae turbet eius animum. — *Marte secundo omnia corripuisse*, et victores pugna facta omnia loca occupasse.

901. Comparant illud Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή Il. α, 5. Pertinet autem

Deserit obsessos collis, nemora aspera linquit.
Vix e conspectu exierat campumque tenebat,
Quum pater Aeneas saltus ingressus apertos
Exsuperatque iugum silvaque evadit opaca. 905
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine nec longis inter se passibus absunt,
Ac simul Aeneas fumantis pulvere campos
Prospexit longe Laurentiaque agmina vidit,
Et saevum Aenean adgnovit Turnus in armis 910
Adventumque pedum flatusque audivit equorum;
Continuoque ineant pugnas et proelia tentent,
Ni roseus fessos iam gurgite Phoebus Hibero
Tinguat equos noctemque die labente reducat.
Considunt castris ante urbem et moenia vallant. 915

hoc, ut totiea vidimus, ad epicam oeconomiam, ne casu factum videatur, sed Iovia voluntate. — *saeva*, ut alibi apud poëtam, infesta, adversa: al mox *saevum Aenean*, fortem, ut I, 99 et al. — 902. Locorum notationem v. sup. 522, 527 sqq. — 904. *saltus apertos*, non obsessos amplius, vacuos ab hoste. — 905. *exsuperat iugum*, cf. eod. I, 527. — *Aenean in armis* iunge: armatum, cum agmine armatorum. — v. 911 advenientem peditatum audivit. conf. ad vers 607. *flatus*, hinnitus. — 912. Καί νύ κεν ... εἰ μή. *ineant ... tentent*; iniissent, tentassent, ni tinxisset h. e. mersisset equos Phoebus Oceano occiduo, qui ultra Hispaniam patet. Monuere olim Grammatici apud Servium, *tinguat* humiliter dictum esse, nescio quam vere. Lucretius utique non refugit *candenti lumine tinctum globum* dicere, V, 720 et alibi. Poterat simile quid moneri paullo ante in v. 912: *ineant pugnas et praelia tentent*. Potest tamen defendi hoc, cum et discrimen habeant illa duo, et iungi fere sic soleant ab Homero πολεμιζέμεν ἠὲ μάχεσθαι.

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER DVODECIMVS.

ARGVMENTVM

Attritis in duobus et iis adversis praeliis Latinorum viribus animisque eorum fractis, Turnus, uti omnem spem suam in se ipso sitam videt, frustra dissuadente Latino reginaque multis cum cum lacrimis nequicquam retinente, singulari certamine cum Aenea dimicare statuit: eiusque rei Aeneam per quendam ex suis, Idmonem nomine, facit certiorem — 106. Accipit conditionem Aeneas, sollennique utrimque sacramento foedus sancitur — 215. Id Iunonis impulsu 134–160 a Iuturna Nympha, Turni sorore, in falsam Camertis imaginem conversa perturbatur — 243; primusque omnium Tolumnius augur, falso augurio certam suis victoriam promittens, unum ex Gylippi filiis hasta traiicit — 276. Quo facto in conflictum armorum utraque pars ruit — 310. Aeneas quoque, dum subiti tumultus causam ignorans suos revocare conatur, ab incerto auctore sagitta vulneratus praelio excedere cogitur — 323. Qua re intellecta Turnus, magnam sibi rei bene gerendae occasionem oblatam ratus, ingentem hostium stragem edit — 383. Interim Venus decerpto ex Ida Cretensi dictamno herba filio suo medetur — 429. Refectis viribus Aeneas, Ascanium paucis suo exemplo ad virtutem cohortatus, suis auxilio accurrit Turnumque nominatim ad pugnam deposcit — 445. Verum, cum Turnus sui copiam non faceret (Iuturna enim, quae excusso Metisco auriga currum eius moderabatur, in diversam semper partem habenas deflectens congredi eos non patiebatur) — 485, caede multorum facta — 553, oppugnandae urbis consilium capit admotoque ad moenia exercitu in propugnacula proximaque aedificia ignem coniicit — 592. Ibi Amata, cum Turnum occisum arbitraretur, doloris impatientia laqueo vitam finit — 613.

His rebus Turno per Saxem nuntiatis, cum eo rem redactam videret, ut sibi necessario dimicandum esset, nisi perpeti mallet sociorum urbem se inspiciente in hostium potestatem pervenire, ultro Aeneam ex praescripto foederis ad singulare certamen provocat — 696. *Ea in pugna superior Aeneas, cum victi hostis precibus iam paene ad misericordiam flecteretur, conspecto in humeris eius balteo, quem occiso Pallanti Turnus detraxerat, repente ira accensus gladio per pectus adacto eum vita spoliat — ad f.*

Turnus ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis; ultro inplacabilis ardet
Adtollitque animos: Poenorum qualis in arvis
Saucius ille gravi venantum volnere pectus 5

Tela iam delexta et rebus ad novissimum momentum adductis, cum pugna altero die spectanda sit, qua Turnum esse casurum facile pro se quisque praevidet; nova tamen rerum momenta excitavit poëta variavitque narrationem mirifice. Pugnae utriusque exercitus substituitur certamen inter Aeneam et Turnum singulare. Foederis conditiones ipsum Aeneidis argumentum ac finem continent, ut Troiani in Latio (v. 187 sqq. 202 sqq.) sedes accipiant. Nec tamen hoc exitum habet, turbato foedere. Ita nova rerum conversio exoritur. Increscit nostra sollicitudo, cum Aeneam vulneratum eoque ex pugna subducto Turnum audacter, si unquam, se iactantem videamus. Praeter spem Aeneas sanatus in pugnam redux Turnum ad pugnam deposcit. Sed et hanc nostram exspectationem intercipit Iuturnae fraus. Ad ultima perventum est, cum Aeneas ad urbem exercitum ducit eamque oppugnare constituit. Procedit nunc Turnus in pugnam et victus interimitur sed et in his multa deorum interventu incidunt, quibus erigitur animus ac novitate delectatur.

1-106. Turnus nullo nec Latini nec Amatae monitu avocatus in pugnam cum Aenea ruit. *infractos:* »antea semper non fractos« interpretatur Servius, quem mirum est nunc demum in hac voce haerere potuisse, quam iam aliquoties ubique pro *fractus* poëtae frequentatam vidimus, v. c. IX, 499: *infractae ad praelia vires.* Monuerunt nunc satis multi, *infractum* esse valde fractum: cf. vel Cerdam; in in his habere vim Graecorum α intensivi, omni dubitatione caret. — 2. *nunc promissa* posci, exspectari, ut iis satisfaciat. Sunt promissa de pugna cum Aenea ineunda: XI, 436 sqq. — 3. *ultro*: nullis adhuc probris et conviciis à quopiam factis. — 4-9. Sumta comparatio ab Homero Il. ε, 136 sqq. ν, 164 sqq.,

Tum demum movet arma leo, gaudetque comantis
Excutiens cervice toros fixumque latronis
Inpavidus frangit telum et fremit ore cruento;
Haud secus adcenso gliscit violentia Turno.
Tum sic adfatur regem atque ita turbidus infit: 10
Nulla mora in Turno; nihil est quod dicta retractent
Ignavi Aeneadae nec, quae pepigere, recusent.
Congredior. Fer sacra, pater, et concipe foedus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,
Desertorem Asiae, sedeant spectentque Latini! 15
Et solus ferro crimen commune refellam;

quae inter splendidissima Homeri loca sunt, translata passim in Scut. Herc. v. 426 sqq., sed ad aliam rerum speciem deflexa et praeclare variata: ut leo vulnere accepto multo magis furit, sic Turnus adverso rerum successu magis etiam quam ante irascitur; hoc enim est *attollit animos* (Propert. IV, 6, 51 attollit vires, i. e. auget. Cf. supra ad II, 381. *R.*) et *gliscit violentia Turno accenso*: quod Homero erat loco priore Iliad. ε, 135 Diomedem a vulnere recreatum, πρίν περ θυμῷ μεμαώς Τρώεσσι μάχεσθαι, Δὴ τότε μιν τρὶς τόσσον ἔλεν μένος (Illud vero, quod Il. χ, 96 legitur, vix cum Valckenario ad Theocrit. Adoniaz. p. 252. huc commode trahi potest). Ceterum, quae ad ornatum in his vss. spectent, facile observes. Nec sine fructu ad ingenium fingendum (nam ad interpretationem poetae necessariae eae non sunt) similes comparationes aliquis conferat, quae notatae sunt tam ab aliis: in primis Statium Theb. II, 128-133. Lucan. I, 205-215. VI, 220 sqq. Valer. III, 597 sqq. Q. Calab. III, 142 sqq cf. quoque IX, 551 sqq. — v. 6. *movet arma* a virorum pugna petitum; nihil amplius; ad pugnam se parat. Cf. Georg. III, 236. Etsi Statius in Tigride ornavit hoc: *Bella cupit luxatque genas et temperat ungues*, lib. II Theb. 130. — *gaudet*: voluit *exultare*, γαυριᾶν, exprimere, quod hic alacritatem animi indicat et ferociam. — *fixumque* sc. in vulnere, receptum corpore. *latronis* h. l. venatoris, qui ex insidiis eum aggressus erat: translate ab iis, qui vias obsideot praedandi causa.

11. Repetit Turnus, quae iam XI, 434 sq. dicta, dum se pugnae singulari cum Aenea obtulerat. — 11, 12. Respicit XI, 415-438. Aeneae verba ad legatos Latinorum, sed in invidiam Aeneae traducta. *retractent* non est, quod Serv. voluit, *repetant* et *revolvant*; sed revocent, recantent, recedendo ab iis, de quibus iam conventum erat; nam sequitur *recusent*. — 13. *fer sacra*, cf. 118 sq. *concipe foedus*, fac verbis conceptis, ut Serv. — 15. *desertorem Asiae*, invidiose, quasi transfugam; supra VII, 358 *exsules Teucros* dixerat Amata. *sedeant* ad ignaviam exprobrandam esse accommodatum vides. — 16. *crimen commune refellam*: criminationem

Aut habeat victos; cedat Lavinia coniunx.
Olli sedato respondit corde Latinus:
O praestans animi iuvenis, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tanto me inpensius aequum est
Consulere atque omnis metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu; nec non aurumque animusque Latino est;
Sunt aliae innuptae Latio et Laurentibus agris
Nec genus indecores: sine me haec haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis; simul hoc animo hauri:
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat, idque omnes divique hominesque canebant.
Victus amore tui, cognato sanguine victus
Coniugis et maestae lacrimis vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero; arma inpia sumsi.
Ex illo qui me casus, quae, Turne, sequantur
Bella, vides; quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna vix urbe tuemur.

Turni ab omnibus factam (cf. lib. XI, 215 sqq.) abolere vult. — 17 Aut ille vincat me: *victos*, victum me.

18. Decorum aetatis, τὸ ἦθος, in Latini sermone, hoc est prudentia, moderatio et lenitas, in oculos incurrunt. — 19. *quantum ipse* ornate: quo ferocior tu es, eo magis consentaneum est etc. Ex Attii Antigone expressa vult Macrob. VI, 2: *Quanto magis te istiusmodi esse intelligo, Tanto, Antigona, magis me par est tibi Consulere et parcere.* — 22. *Sunt tibi.... sine me*: haec iungenda ad absolvendam sententiam. Callide senex Latinus ea praemittit, quae dolorem et iram lenire possint. Habes regnum paternum, cuius ditio nuper captis aliquot oppidis aucta est; mihi aurum est (unde XI, 213 *praedivitis urbe Latini*), et animus largiendi tibi, quantum satis est (h. e. si aurum insuper cupis, habebis id a me. *animus*, propensa voluntas); sunt aliae puellae tuis nuptiis non indignae; verbo: adsunt omnia, quae moderatis votis satisfacere possint; sed meae filiae coniugio potiri non potes. — 25. οὐκ ἀσχήμονες τὸ γένος, comparat Servius. Putant autem poëtam in animo habuisse Il. ι, 399, 400. — 27. *veterum procorum*: respectu advenae Aeneae dicti *veteres* indigenae illi. De re vid. VII, 54 sqq. — 29. *cognato sanguine*, quia Venilia, mater Turni, soror erat Amatae. Cf. VII, 366; X, 76. — 30 *vincla* religionis et foederis; *Serv.* quod sequens versus declarat. — *Promissam eripui genero.* Nam Aeneae per legatos promiserat filiam. Vid. VII,

Spes Italas; recalent nostro Tiberina fluenta 35
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor toties? quae mentem insania mutat?
Si Turno exstincto socios sum adscire paratus:
Cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet 40
Italia; ad mortem si te (Fors dicta refutet!)
Prodiderim natam et connubia nostra petentem?
Respice res bello varias; miserere parentis
Longaevi, quem nunc maestum patria Ardea longe
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni 45
Flectitur; exsuperat magis aegrescitque medendo.
Vt primum fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optume, pro me
Deponas letumque sinas pro laude pacisci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra 50
Spargimus; et nostro sequitur de volnere sanguis.

267 sqq. — 35. *Italas* ornat: simpl. spes nostras. *recalent* pro *calent* — aut *recalent*, iterum calent, magna quod bis victi pugna. *Serv.* — 37, 38, 39. *Quo referor*, a consilio semel capto revocor? Cur toties consilium muto, foedere cum Troianis semel sancito? Si, quod vides mihi faciendum esse exstincto te, ad societatem cum Troianis antea inita redeundum est; cur idem non facio te vivo et incolumi? Pro vulgari: quam insanum est, non statim te vivo id facere, quod te sublato necesse erit mihi facere? — 41. Avertat Fortuna omen, quod dictis inest? — 44. *longe dividit*: ne dubita sic iungere; etsi Ardea non adeo longe aberat a Laurento. Non in geographo, sed in poëta versamur: cui animus abducendus erat ab angustis finibus regni, in quo haec agebantur. Itaque amplificat omnia. Sic XI, 317 ager *Longus in occasum*, cf. ad Ecl. VI, 16.

46. *Exsuperat*, felix dilectu vocabulum pro vulgari crescit, praevalet; ut II, 759: *flammae exsuperant*; est ex ὑπερίσχυν. — *medendo* passive, dum medicina ei affertur. — 49. *letum pro laude pacisci*, ἀντὶ κλέος, mortem recipere, non recusare; h. e. leto redimere laudem, gloriam. *Letum* autem, cuius saltem discrimen subibat pugna suscepta. Cf. 74. Supra V, 230 eodem sensu *vitam pro laude pacisci* erat dictum. Scilicet pactione et damus aliquid et accipimus; utrumque pacisci designare potest: ideoque et vitam pacisci quis et mortem potest, illam reddendam, hanc ferendam. — 54. *nostro volnere*; quod ego infero. Color in his vss. idem qui II. v, 435-437, at II.

Longe illi dea mater erit, quae nube fugacem
Feminea tegat, et vanis sese occulat umbris.
At regina, nova pugnae conterrita sorte,
Flebat et ardentem generum moritura tenebat: 55
Turne, per has ego te lacrimas, per, si quis Amatae
Tangit honos animum (spes tu nunc una, senectae
Tu requies miserae; decus imperiumque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit),
Vnum oro: desiste manum committere Teucris. 60
Qui te cumque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent. Simul haec invisa relinquam
Lumina nec generum Aenean captiva videbo.
Adcepit vocem lacrimis Lavinia matris

§, 510 non satis convenit. — 52. *Longe illi erit*: formula minarum frequens in primis poëtis (v. Cerdam et ad Tibull. I, 2), etiam Graecis exemplis illustranda. In vss. 52, 53 Homericam narrationem Il. ε, 311 sqq. respici per se patet. — 53. Etsi dubitari potest de hemistichio, an Virgilii sit: distinximus tamen post *tegat*: quo facto loci difficultas sublata est. *Longe illi dea mater erit, quae nube fugacem Feminea tegat; et vanis* h. e. in vanum *sese occulat umbris* sc. ille: quibus Aeneas antea nube a matre (unde materna et nunc *feminea* nubes) tectus, occultatus fuerat. Nec autumes sic scribendum fuisse *occulet*. Nam alterum non modo recte, sed etiam elegantius dicitur, variato post prius tempore: ut solet in primis Maro noster.

54. *nova pugnae sorte*. Minus bene pro magna Serv. et alii. Immo: nova pugnae conditione, novo genere: singulare sc. certamine. — 55. *moritura*, tamquam quae mori decrevisset, nisi ille flecteretur. Cf. XI, 741 et saepe. — 57. *honos*, αἰδώς, passive, qui habetur, reverentia; VII, 401, 402 *gratia*. Comparant Intpp. modo Hecubae Iliad. χ, 82, modo Andromachae exemplum Il. ζ; sed sunt haec paullo remotiora. — 58. *imperii* notionem ornat et auget τὸ *decus*, dignitas, auctoritas. — *in te omnis domus inclinata recumbit*, nititur, ornate: tu columen es, tamquam futurus gener, ἐν οἰκίᾳ ἐρήμῃ. *Teucris* pro Teucro, Aenea, positum esse facile videas. Sed quorsum facium? ut a vulgari oratione eo magis recederet. Ita mox 62 *haec lumina* pro hoc lumen, vitam. — 63. *captiva* ad invidiam adiectum: satis erat victa, cuius propositum exitu caruit; vel obnoxia, quae marito mortuo sub generi manu futura est.

64-69. Praeclare τὸ ἦθος in virgine servatum. Erubescit illa; animi sensa non eloquitur. Quandoquidem autem sive ex antiqui aevi more sive ex carminis oeconomia Laviniae nullae praecipuae partes esse in rerum actu poterant: multo magis in rubore

Flagrantis perfusa genas, cui plurimus ignem 65
Subiecit rubor et calefacta per ora cucurrit,
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa; talis virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine voltus; 70
Ardet in arma magis paucisque adfatur Amatam:
Ne, quaeso, ne me lacrimis neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater; neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius haec Idmon Phrygio mea dicta tyranno 75
Haud placitura refer: Quum primum crastina coelo
Puniceis invecta rotis Aurora rubescit;

puellae acquiescere debuit poëta. Sic supra quoque lib. XI, 479, 480. Erubuisse autem putanda est, cum praesente Turno nuptiarum esset facta mentio, quas mater cum ipso, non cum Aenea, factas esse vellet. Nam de amore Laviniae, in utrum illa animo inclinaret, nihil usquam, si bene memini, poëta meminit (nisi forte in hoc rubore tale quid lateat. *R.*) — 65, 66. Non est hypallage, quod volunt, inepta h. l. figura; sed utrumque dici et animo repraesentari potest: ut et ignis h. e. calor sanguinis ruborem faciat, et rubor ex concitato sanguine calorem.

67, 68. Hoc esse ductum ab Homero Iliad. δ, 141 omnes norunt, sed ibi de vulnere Menelai; et locus ille est haud paullo ornatior. — *violaverit* docte pro tinxerit; quia adscititius color omnino nativum φθείρειν, *corrumpere*, dicitur, et Homerus μιαίνειν ἐλέφαντα φοίνικι dixerat. — 68. *rubent* int. de repercusso rubore vicino. Supplendum autem v. 69 qualis tum color esse solet, *talis virgo dabat ore colores*: talis color erat in virginis ore.

70. Vt ipse rubor decebat puellam, Turnus Laviniae amore magis incenditur: nec tamen alloquitur eam, sed oculis in eam coniectis matri respondet. Aliter heroum vita, aliter nostri mores ferunt. *turbat amor.* Cerda bene laudat illud Livii III, 47 de Appio: *Tanta vis amentiae verius quam amoris mentem turbaverat.* — 72. *omine tanto*: ipsis lacrimis ominosis (cf. not. ad Tibull. I, 3, 13) in exitu ad pugnam. Prorsus ad Homeri ductum Il. ω, 248, 249. cf. Il. ζ, 486 sqq. Ex posteriore loco et ex altero Apollonii inde ducto lib. I, 295 sqq. illustratur sententia verborum: *neque enim Turno mora libera mortis*, si mors fatalis instat, non liberum mihi est ei moras iniicere. Nisi illa exempla essent, simplicissimum erat mortem de summo discrimine, ad quod pugna adducebat, accipere. Mortem, h. e. pugnam, non iam licet detrectare. — 76. *haud placitura* tamquam ignavo Aeneae, qui retractare vellet dicta, ut v. 11, 12. — 78. Comparant Il. γ, 68 sq.

Non Teucros agat in Rutulos. Teucrum arma quiescant
Et Rutulum, Nostro dirimamus sanguine bellum.
Illo quaeratur coniunx Lavinia campo. 80
Haec ubi dicta dedit rapidusque in tecta recessit:
Poscit equos gaudetque tuens ante ora frementis,
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia,
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigae manibusque lacessunt 85
Pectora plausa cavis et colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco

— 80. Praeclare haec. Hinc Lucan. VII, 348: *medio posuit deus omnia campo.*

81 sqq. An Maro, si retrectare licuisset carmen, probaturus fuisset narrationem, quae sequitur, dubito. Locus est per se elegantissimus, ad exempla veterum heroum armantium se attemperatus. Sed vix placere potest, quod Turnum et Aeneam haec omnia facere narrat *die seu vespere, qui pugnam antecedit.* Induit arma, ut esplorel, an humeris apte inhaereant, experitur hastam, etc., ut iterum exuat et se quieti det. Nam sequitur v. 113: *Postera vix summos* etc. Non tamen quenquam haec offendisse video. Non male quidem dicas, declarari a poëta summum ardorem Turni et pugnae studium. Recte utique; modo ne animum quis ad temporis notationem retulerit. *te ante ora fr.* i. e. antea frementes quoad ora.

83. Poëtico more equorum genus ornat. Sunt hi Turni equi ex Thracia, Boreae sede, cuius uxor Orithyia ex Attica: cf. Apollon. I, 221 sqq. A Boreae autem cura equorum laudes repetunt poëtae; etiam Homerus. Nam Erichthonio, Dardani f., erant equae a Borea, adeo in equum mutato, prognatae: Il. υ, 223 sqq., quemadmodum Achillis equos ex Podarce Harpyia susceperat Zephyrus Il. π, 150 sq. Quae omnia celeritatem cursus adumbrant. Non male autem critici veteres apud Servium accusarunt hoc loco Virgilium, dicentes incongruum esse figmentum. Namque Orithyia cum Atheniensis fuerit, filia Terrigenae (Erechthei), et a Borea in Thraciam rapta sit, quemadmodum potuit Pilumno, qui erat in Italia, equos dare?» Progeniem istam armenti Erichthonii huc vocat Iul. Sabinus; non magis commode. Probabiliore invento Penthesileae equos ab Orithyia donatos narravit Q. Calaber lib. I, 165 sq. Omnino hoc est exemplum usus mythorum apud aeriores poëtas tam diversi ab usu antiquo. Maroni est merum ornamentum, nec de probabilitate historica ille laborat; antiquis vero erat phantasma in sermone hominis ἐνθουσιῶντος, ut ventis natum diceret equum velocissimum. — *decus* h. l. γέρας, munus honoris causa datum: apud Homer. ἄγαλμα. — *Qui candore*, ornavit Homericum Il. κ, 437 cf. Il. π, 149. τ, 415. — 85. *lacessunt plausa* ornate pro plaudunt. Conf. Ge. III, 186; de voce *lacessere* vid. ad X, 10.

Circumdat loricam humeris; simul aptat habendo
Ensemque clipeumque et rubrae cornua cristae,
Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti 90
Fecerat et Stygia candentem tinxerat unda.

— 87. *squalentem auro*, splendentem: v. ad X, 314. *albo orichalco*. Cum de metallis omnino multa, fide parum explorata, crediderit vetustas, etiam pretiosum aliquod et auro proximum metallum narrant poëtae ὀρείχαλκον, v. c. Hymn. Homer. V, 9, male a nonnullis redditum aurichalcum. Cf. h. l. Serv.; fuisse illud aeris genus aliquod pallidius, ex hoc Virgiliano loco colligitur. v. Bochart. Hieroz. P. II, VI, 16 Hoc melius, quam quod Servius affert, album dici auri comparatione; nam per se album non esse, nisi *album* simpl. ad splendorem spectat, uti Hesiod. Sc. H. 122 ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ dixit, quod iam Cerda aliique maluere. Adde Apollon IV, 973; ubi conf. Schol. Winckelman. Monum. ined. T. II, p. 172 alia affert parum subtiliter dicta; in hoc tamen audiendus, quod albo eiusmodi metallo vasa in Museo Herculanensi exstare narrat. Locus Plinii XXXIV, 2 accuratiore tractatione indiget; manifestum tamen ex eo fit, veteres nativum aliquod aes candidum notum habuisse, simile vulgari huic (Messing), ad quod vulgo nomen est traductum. Vid. Io. Beckmann ad Aristot. mir aud. p. 132. — 88. *aptat habendo*, ad habendum, ut Serv.; h. e. ut haberi commode manu ac tractari possit; explorat, an habilis sit ensis; quomodo alias efferre hoc solebat Maro. — 89. Capiti aptat galeam. *cornua cristae* nova dixisse videtur. Servius comas interpretatur; cornua enim proprie esse cincinnos. Fortasse verba Diomedis Iliad. λ, 385 in Paridem, κίρα ἀγλαὰ, in animo habuit. Sed a poëta designari videtur galea duplici vel triplici crista ornata. τρυφάλεια, quae explicita et discriminata in ternas diversas partes vergit ac nutat. Tales λόφοι ex conis s. φάλοις suis prodeuntes et in obliquum vergentes ac prominentes sequeque inflectentes potuere per *cornua* designari. Cf. IX, 50. — 91. *tinxerat*, ad temperandum seu indurandum ferrum. Vid. VIII, 450: *alii stridentia tingunt Aera lacu*: et similia Ge. IV, 172. *Stygia* autem *unda* tinxisse ferrum Vulcanum ait, nescio an satis commode, quandoquidem diis superis Stygis adeundi nulla est data facultas, et magis sobrie Sophocl. Ai. 1056 de ferro, quo is occubuit, Ἀρ' οὐκ Ἐρινὺς τοῦτ' ἐγάλκευσε ξίφος: argute tamen et ingeniose, quandoquidem Styx non modo amnis ille est ipsis diis sacer et horrendus et, cum aqua ad temperandum ferrum candens memoranda esset, nulla opportunior videri debebat; verum etiam, quoniam Styx et ipse ἄφθιτος amnis erat et incorrupta atque ab omni vi secura reddebat ea, quae in eo mergebantur. Nota est fabula de Achille Styge merso. Quemadmodum igitur alia aliam aquam meliorem esse ad ferrum temperandum (φαρμάσσειν, τὸ γὰρ αὖτε σιδήρου γε (non τε) κράτος ἐστι, Od. ι, 393) res est notissima, observata quoque Plinio XXXIV, s. 41; ita isto quidem respectu Stygia aqua cum iudicio ac dilectu posita videri potest.

Exin, quae mediis ingenti adnixa columnae
Aedibus adstabat, validam vi conripit hastam,
Actoris Aurunci spolium; quassatque trementem
Vociferans: Nunc, o numquam frustrata vocatus 95
Hasta meos, nunc tempus adest; te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit; da sternere corpus
Loricamque manu valida lacerare revolsam
Semiviri Phrygis, et foedare in pulvere crinis
Vibratos calido ferro myrrhaque madentis. 100
His agitur furiis, totoque ardentis ab ore
Scintillae absistunt; oculis micat acribus ignis:
Mugitus veluti quum prima in proelia taurus
Terrificos ciet atque irasci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit 105
Ictibus et sparsa ad pugnam proludit arena.
Nec minus interea maternis saevus in armis

92, 93. Ad veteris aevi morem omnia. v. Od. α, 127. — 94. *Actoris Aurunci spolium*, Actori detractum: ne dubites. Commode vero ponere potuit poëta, bellum Turno cum Auruncis, vicino populo, intercessisse: unde lib. VII, 795 in Turni copiis erant *Auruncae manus*. — Mox 95, 96, ut X, 773, 774. — 99, 100. Perpetua in Troianos tamquam molles homines iacta probra: conf. IV, 315 sqq. IX, 614 sqq. partim ex fama de Troianorum opulentia, partim ex permutatione Troianorum cum Phrygibus facta. An vero comas iam Phryges illi calamistro *vibrare*, erispare, solitl fuerint, ex poëta probatum dare nolim: videtur in hoc heroici saeculi more deserto sui aevi mores substituisse. — 101, 102. De ira nil frequentius his. Iam praeivit Homerus Il. α, 104. ο, 607. τ, 365. δ, 662. Hesiod. Sc. Herc. 390; sed *scintillae*, h. e. fulgores, μαρμαρυγαί, rem augent mirifice. Praetulit signa Apollon. I, 1296, 1297. In ceteris praeivit Lucret. III, 290 de calore: *Quum fervescit, et ex oculis micat acribus ardor.* — 103 sq. Ornatum comparationis ex Ge. III, 232-234 petiit, ubi v. not. *irasci in cornua*, iram exercere cornibus; quod paullo post *et se suscitat ira*; ut *surgere in cornua*, erigere se cornibus. Adscriptum ibidem θυμοῦσθαι εἰς κέρα; ex Euripidis Bacch. 742. Versum graecum in Epp. ad Att. VIII, 5 adscripsit iam Guell. βέψαι Πολλὰ μάτην κεράεσσιν εἰς ἠέρα θυμαίνοντα: ut hic *ventos lacessit ictibus*. Illud alterum: *et sparsa et pugnam proludit arena* proprium taurorum naturae esse notum est; idque iam Plinius VIII, 45, s. 70 notavit. Add. Oppian. Cynegel. 56, 57, 58. Q. Calab. IV, 237 sqq.

107. *saevus*, fortis: ut toties iam

Aeneas acuit Martem et se suscitat ira,
Oblato gaudens conponi foedere bellum.
Tum socios maestique metum solatur Iuli 110
Fata docens, regique iubet responsa Latino
Certa referre viros et pacis dicere leges.
Postera vix summos spargebat lumine montis
Orta dies, quum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi lucemque elatis naribus efflant; 115
Campum ad certamen magnae sub moenibus urbis
Dimensi Rutuliique viri Teucrique parabant
In medioque focos et dis communibus aras

poëtae dictum vidimus *saevum*, *crudelem*, *atrocem*, *ferum*. — *acuit Martem*: virtutem bellicam, ut *acuisse furores* VII, 406. Doctios enim poëtae dicunt θήγειν, h. e. ὀξύνειν, παροξύνειν, et acuere virtutem, iram, curas, quam acuere se ad vel in iram etc. Etiam pro: *acuere alicuius famem*, acuere aliquem, noster poëta ausus est dicere: *Auditisque lupos acuunt balatibus agni*, Ge. IV, 435. — 109. *foedere*, pugna singulari ex foedere. Idem v. 112. *pacem* dixit. — 111. *Fata docens*. Non veretur poëta hoc ipso detrahere aliquantum virtuti herois sui. Qui enim novit fatale sibi esse, ut vincat, non adeo magna virtute indigere videtur, quam qui incerto, multo magis qui certo vitae discrimine ad pugnam procedit. Sed fecit hoc, an recte non dixerim, exemplo Homeri: apud quem Heleous Hectorem ad certamen hoc ipso argumento excitat Il. η, 50, 52. — 112. *viros*, κατὰ τὸ σιωπώμενον, intelligitur missos esse legatos, ut Serv. monet: etsi v. 75 tantum unus Idmon memoratus est; nisi dicas missos nunc esse ab Aenea alios, comites datos redeuntibus Latini legatis.

113. Bene Servius: » Et sciendum, nunquam diem sic potenter descripsisse Virgilium, sicut in IV, 522 noctem, ubi Dido pervigilans deliberat. » Oritur scilicet dies, *qui fatum rebus in aevum Conderet humanis*, et quo summa belli et carminis exitum suum invenirent. — Ordo: *Postera vix summos spargebat lumine montes Orta dies.... Campum.... Rutuli Teucrique parabant*; pro: cum pararent. Reliqua in medio declarant ortum diei. — 115. *lucemque elatis naribus efflant*. De elato equorum in altum eluctantium capite cogitandum. Exquisitius vocabulum captavit poëta, *lucem* pro flamma, igni. Nam equus Solis ignem efflare, πῦρ πνεῖν, commune est. Ovid. Met. II, 149, 154, 155. Praeiverat autem etiam in vocis delectu Ennius: *funduntque elateis naribus lucem*, ut Servius monuit, et Lucilius apud Victorinum: *efflantque elatis naribus lucem*. — 116. Io sqq. potuit ante oculos versari simile inter Troianos et Achivos foedus de pugna singulari Il. γ, 314 sqq. — *Campum parabant*, instruebant: aequando, purgando ab arbustis etc. conf. 770, 771. — 118, 119. Argutantur Servius,

Gramineas. Alii fontemque ignemque ferebant
Velati lino et verbena tempora vincti. 120
Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis. Hinc Troïus omnis
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis,
Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis
Pugna vocet. Nec non mediis in millibus ipsi 125
Ductores auro volitant ostroque decori,
Et genus Assaraci Mnestheus et fortis Asylas
Et Messapus equum domitor, Neptunia proles.
Vtque dato signo spatia in sua quisque recessit,
Defigunt tellure hastas et scuta reclinant. 130

Iul. Sabinus et alii. In *ara*, quae h. l. e cespite fuit, puta esse *focum*, qui *ignem* recipit. *Dii* autem *communes* sunt, per quos uterque iuraturi erant, Latinus et Aeneas; ut in loco Propertii I, 11, 16, ubi puella *perfida* non meminit *communes deos*. Sicque lib. VIII, 275, *communemque vocate deum*. cf. Valer. Fl. IV, 761 *Communesque vocant superos*. — 120. Antea legebatur: *Velati lino*: vitta linea cincti, cui frondes sacrae erant implicitae. Fecialea descriptos volunt: male; nam prisca aetas praecones, κήρυκας, habet, ut Hom. Il. γ, 116 sq. Sed verior lectio est *limo*, veste, qua ab umbilico usque ad pedes teguntur pudenda poporum, subligari, περιζώματι, cincti: ut praecincti esse solebant ministri sacrorum. — 121. *pilata agmina*, pilis armata. Recte hoc armorum genus Romanis proprium a Polyb. VI, 23 descriptum (cf. Ge. I, 495) nunc tribuit *Ausonidarum* h. e. Latinorum agmini; ut Aventini copiis lib. VII, 664. Mirum tamen Grammaticorum veterum acumen fuit, quo *pilatum* (a pilando, πιλοῦν, ductum) conferium, densum esse vellent. Docta est Servii nota ad h. l. super antiquo hoc verbo: etsi ipsa vocis notio parum recte ab eo constituitur. Quod v. 130 *hastae* memorantur, nihil obest; nam genus hoc *pila* tamquam speciem comprehendit. Quod si *pilatus* aliaa non occurrit, ad analogiam tamen aliarum vocum, *hastatus*, *clipeatus*, recte se habet. Martialis auctoritate lib. X, 48 uti vix licet, cum non satis liquido constet de lectione. — 127. Muestheum, Asylam et Messapum excitat nominatim, primum ut poëta, quandoquidem singula enarrata plus ἐναργείας habent, quam summatim annumerata; tum quia hi inter viros principes maxime memorabiles, quorum etiam mox opera erit praecipua. De Mnestheo Troiano v. ad lib. V, 116, 117, de Asyla Etrusco lib. X, 175-178; Messapus in Latinorum auxiliis erat. Conf. VII, 691. — 130. Vt ad v. 116 diximus, poëtae in his nonnulla ex Il. γ esse adumbrata: ut hic ex vss. 134 sqq. Sed ἀσπίδι κεκλιμένοι ibi diversum est ab hoc, quod *scuta reclinant*: ibi innixi sunt scutis, ut lib. IX, 229: *Stant longis adnixi hastis et scuta tenentes*:

Tum studio effusae matres et volgus inermum
Invalidique senes turris et tecta domorum
Obsedere; alii portis sublimibus adstant.
At Iuno e summo, qui nunc Albanus habetur
(Tum neque nomen erat nec honos aut gloria monti) 135
Prospiciens tumulo campum adspectabat et ambas
Laurentum Troumque acies urbemque Latini.
Extemplo Turni sic est adfata sororem,
Diva deam, stagnis quae fluminibusque sonoris
Praesidet (hunc illi rex aetheris altus honorem 140
Iuppiter erepta pro virginitate sacravit):
Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis, ut te cunctis unam, quaecumque Latinae
Magnanimi Iovis ingratum adscendere cubile,
Praetulerim coelique lubens in parte locarim: 145
Disce tuum, ne me incuses, Iuturna, dolorem.
Qua visa est fortuna pati, Parcaeque sinebant
Cedere res Latio, Turnum et tua moenia texi:
Nunc invenem inparibus video concurrere fatis,
Parcarumque dies et vis inimica propinquat. 150

at h. l. reponunt in terra, κατατίθενται, ἀνακλίνουσι πρὸς τῇ γῇ, scuta. — 131 sq. ornate: cupiditate spectandi egressae domibus feminae, pueri et senes aedium tecta et muros adscendunt (more aevi heroici ex Homero et Hesiodo noto. *R.*)

134. *At Iuno*: de formula hac, qua deorum interventum orditur poëta, cf. ad lib. IX, 638. Iuno Iuturnae Turni fata aperit novissima. — 135. *neque nomen*: nam hoc demum ab Alba condita habuit; *neque honos*, qui per ferias Latinas in eo haberi solitas accessit. — 139. *Iuturna* proprie unius fontis Nympha est, qui non longe a Numicii fonte aberat, ex montis Albani radicibus progressus, mox in lacum diffusus et in Tiberim delatus. Habita Nympha inter deas Latinorum indigenas. *Diva deam* h. e. dea deam, nihil amplius: nec Grammatici audiendi, qui distinguunt — 141. *sacravit*: cum dilectu positum verbum pro *dedit*. — 142. *decus fluviorum* simpl. pro aquarum, fontium. — 144. *ingratum cubile*: h. e. mihi invisum, quatenus in eo pellices Iunoni invisae Iovis amplexibus tenentur. Ita malim accipere, quam aut ad *Iovem ingratum*, aut ad *Latinas ingratas* retrahere. Servius varie tentat. — 148. *Cedere res Latio*, Latinis res proce-

Non pugnam adspicere hanc oculis, non foedera possum.
Tu, pro germano si quid praesentius audes,
Perge; decet: Forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea, quum lacrimas oculis Iuturna profudit
Terque quaterque manu pectus percussit honestum. 155
Non lacrimis hoc tempus, ait Saturnia Iuno;
Adcelera et fratrem, si quis modus, eripe morti;
Aut tu bella cie conceptumque excute foedus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam et tristi turbatam volnere mentis. 160
Interea reges, ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen; bigis it Turnus in albis

dere, eos fortuna secunda nil. — 151. Comparant Iliad. γ, 305, 306, saltem ad verba. Ad rem nota Servii facit, qui numina, quoties morituros viderint eos, quibus favent, ab iis recedere monet: vide Stat. VII, Theb. 789 et Il. χ, 213. — 153. *decet* plus est quam licet; ἔοικεν. — *forsan*. Serv. « ut forte possit fatorum ordo mutari. » — 155. *honestum*, pulcrum, ex καλόν, ut Ge. II, 392 *caput honestum*. — 157. *si quis modus*, exquisite pro: quocunque modo; etiam docte mox *excutere* pro concutere, turbare, συγχέειν; VII, 339: *disiicere pacem*. Consilium autem Iunonis ex Homero petitum Il. δ, 64 sqq. — 160. *incertam*: aut utrum faceret, aut de eventu. Nam v. 153: *forsan miseros meliora sequentur*.

161 sqq. — 215. Foedus inter Aeneam et Latinum de pugna singulari cum Turno ineunda eiusque conditionibus. Multum superavit Maro Homerum in sollennibus foederis exponendis; cf. Il. γ, 259 sqq. Ad figuras Virgilio nove usurpatas refert Macrob. VI, 6, quod de duobus incipit dicere et in unum desinit. Quod tamen ex Homero laudat Odyss. μ, 73, 74, alienum est. Hyperbaton esse dixit Servius, ut ordo sit: *Interea reges procedunt castris*, cetera in parenthesi dicta sint. Hoc sequuntur, quantum video, interpretes; quibus tamen non accedam. Ponit ab initio poëta genus et tum individua subiungit, inflexa ad id oratione. Interpungo itaque: *Interea reges* (et quidem primo loco) *ingenti mole Latinus vehitur* etc. *bigis it Turnus* etc. *Hinc pater Aeneas — Romae: Procedunt* (sc. omnes) *castris*. *ingenti mole*, magna molitione, apparatu. Servius: pompa, ambitu. — 163, 164. Corona radiata ornatus Latinus in stirpis a Sole ductae argumentum. *specimen* est δείγμα, documentum, id quod argueret patrem Solem: ut Ge. II, 244. *Solis avi*: ad maternum genus et Circen, Solis filiam, hic esse recurrendum nullus dubito. Interea Latinum ipse

Bina manu lato crispans hastilia ferro. 165
Hinc pater Aeneas, Romanae stirpis origo,
Sidereo flagrans clipeo et coelestibus armis
Et iuxta Ascanius, magnae spes altera Romae,
Procedunt castris, puraque in veste sacerdos
Saetigeri fetum suis intonsamque bidentem 170
Adtulit admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas et tempora ferro
Summa notant pecudum paterisque altaria libant.
Tum pius Aeneas stricto sic ense precatur: 175

poëta VII, 47 Fauno et Maricа genitum prodidit. Quod Maricam eandem ac Circen fuisse Servius contendit, grammaticum acumen sapit. Etsi verum est, Circes et Vlyssis filium habitum Latinum auctore ipso Hesiodo Theog. 1011-1015; tamen necessitas nulla est, ut, quod alii arbitrantur, Maronem sui ipsius oblitum nunc aliud sequi dicamus. Sed, cum tam multimode fabulae veteris Italiae narratae et ornatae fuerint, potuerunt esse utique, qui vel Faunum vel Picum (nam *avum* simpliciter de uno ex progenitoribus accipere licet) e Circe sublatum traderent. Ita Picum a Circa amatum ex Ovidii Metam. XIV, 320 sqq. novimus. Circes et Telemachi filium Latinum alii ediderant, quos Hyginus fab. 127 exscripsit: ubi cf. Munker. Ceterum radiatam coronam, qualis in Regibus, primo Aegypti et Syriae, tunc in Caesare et Augusto, sed post mortem, a Nerone vero inde etiam viventibus Imperatoribus conspicitur, exprimere utique voluit poëta: fortasse respexit honorem Caesari et Augusto habitum: *distinctam radiis coronam*, v. c. apud Flor. III, 2, 91 de Caesare; v. Intpp. ad Vellei. II, 59, 6. Primo tamen loco fabulam spectavit Maro de Circe, Solis filia, cuius caput radiatum ab Argonauticis celebratum: v. Orph. 1216 sqq. An *bis sex radii* ad XII mensium vel signorum caelestium numerum spectent, incertum est. — 165. *bina*: ex more heroum. v. lib. I, 315. — 167. Habens clipeum et arma a Venere matre accepta. *Sidereus*, fulgens, coruscus, sideris instar: hoc cum *flagrans* convenit. Homer. Iliad. π, 134, θώρηκα, ποικίλον, ἀστρόεντα, ποδώκεος Αἰακίδαο. — 170. In foedere iungendo porca mactatur more Romano. Cf. VIII, 641; agna Troiano et Graeco. V. Il. γ, 246 sq.

172—174. Notandus mos horum sacrorum. Orientem spectantes molam salsam iniiciunt victimae, pilos e fronte eius exscindunt ense (conf. VI, 245, 246), quos in flammam coniiciunt: tum vinum in aram libant. Pieri haec ad consecrationem victimae putanda sunt. Inde 213 *rite sacratae pecudes*. Graecis uno verbo est κατάρχεσθαι. Rem pluribus locis Homericis illustratum vide apud Feithium et alios et Cerdam. — 174. *pateris altaria libant*; exquisite;

Esto nunc Sol testis et haec mihi Terra vocanti,
Quam propter tantos potui perferre labores,
Et pater omnipotens et tu Saturnia Iuno,
Iam melior iam, diva, precor; tuque inclute Mavors,
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques; 180
Fontisque Fluviosque voco, quaeque Aetheris alti
Religio et quae caeruleo sunt numina ponto:
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno;
Convenit, Evandri victos discedere ad urbem,
Cedet Iulus agris, nec post arma ulla rebelles 185
Aeneadae referent ferrove haec regna lacessent.
Sin nostrum adnuerit nobis Victoria Martem,
(Vt potius reor et potius di numine firment)
Non ego nec Teucris Italos parere iubebo
Nec mihi regna peto. Paribus se legibus ambae 190
Invictae gentes aeterna in foedera mittant.

libando rigant. — 176. Formula ad ductum Homericae concepta Iliad. γ, 276 sqq. in qua antiquissima numina quae fuerint, observa. Formula similis etiam in Od. ε, 181 sqq. Iliad. ο, 36 sqq. τ, 258 sqq. occurrit. Nec iniucundum hoc observare in poëta ex decoro personarum variatum: Aeneas stricto ense, tamquam periurium ulturus, Latinus sceptro protento precatur. — 174. Comparant verba ex Il. α. ὦ ἔπι πόλλ' ἐμόγησα. — 179. *iam melior*, propitia, placata: ad Heleni monitum respicere putatur; lib. III, 435 sqq. — 180. *torques* h. l. regis, moderaris, tua voluntate, proprie: flectis, ut currum. — 181. *quaeque Aetheris alti religio*. Variavit orationem; h. e. Aetherem invoco. Si numen ei est, si religiose colitur, etiam religionem aetheris esse necesse est: hinc suum *quaeque* etc. petiit. — 184. *convenit*: σύγκειται: convenium esto in hoc, ut. — 187. *Sin nostrum adnuerit nobis Victoria Martem*. Per hypallagen dictum pro: sin noster Mars adnuerit nobis victoriam, accipit Servius; alii tacent. Enimvero est doctior ratio loquendi pro vulgari: sin victoria propitia fuerit, annuerit nobis pugnantibus, pugnae nostrae; quod fit fausto pugnae exitu. Nunc, cum pro pugna Mars memorari solaat, pro pugnae eventu secundo: *nostrum Martem*, hoc est exitum secundum, qualem nos optamus, dixit. Ita Mars non modo pugnam, sed et fortunam et successum pugnae in noto illo denotat: *aequo Marte*, ut VII, 540 et alibi, *secundo Marte* X, 24. — 188. *reor* hoc loco pro spero. — 189 sqq. Haec egregie ex eo, quod vere factum esse ex historiis constat, adumbrata sunt. — 190 *paribus legibus*. Hoc iam praemunierat poëta oraculorum veterum auctoritate: VII, 256: *Et vete-*

Sacra deosque dabo; socer arma Latinus habeto;
Imperium sollemne socer; mihi moenia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Aeneas; sequitur sic deinde Latinus 195
Suspiciens coelum tenditque ad sidera dextram:
Haec eadem, Aenea, Terram, Mare, Sidera iuro,
Latonaeque genus duplex Ianumque bifrontem
Vimque deum infernam et duri sacraria Ditis;
Audiat haec Genitor, qui foedera fulmine sancit; 200
Tango aras; medios ignis et numina testor:
Nulla dies pacem hanc Italis nec foedera rumpet,
Quo res cumque cadent; nec me vis ulla volentem
Advertet; non, si tellurem effundat in undas
Diluvio miscens coelumque in Tartara solvat: 205
Vt sceptrum hoc (dextra sceptrum nam forte gerebat)
Numquam fronde levi fundet virgulta neque umbras,

ris Fauni volvit sub pectore sortem ... paribusque *in regna vocari* Auspiciis. — 192. *Sacra deosque* Intell. Penates ac Vestam. v. lib. II, 293. — Latinus habebit summum imperium cum iure belli: ut igitur sub eo legibus suis vivant Troiani. *Sollemne* accipio legitimum: ut solent ea quae legitima sunt, sollenni ritu suscipi, tradi. — 193. Deos in Italia vetustissime religione, Pelasgica scilicet, cultos nominat; id quod et ipsum observetu dignum. — 199 *vim deum*, ut numen, deos inferos et Ditem. Nil amplius. κράτος θεῶν pro θεοὶ κρατεροί. — 200. *fulmine* tamquam ostento: aruspicinam spectat; nisi melis cum aliis de Iove periurii ultore cogitare. — 201. *medios ignes*, in medio hoc, in ara, positos. Elegentior tamen Heinsii interpretatio, ut sint tamquam sequestres et conciliatores pacis. — 203. *volentem* bene adiectum: nam potest foedus rumpi eo nolente et invito; uti VII, 586 sqq. societatis initae violationem prohibere non potuit. — 204, 205 Non, si vis ulla Terrem, Mare, Coelum ac Tartarum misceat. Exquisite autem hoc extulit. *Diluvium* pro aquis inundentibus, quibus misceantur tellus et undae. — *effundat tellurem in undas*. Ex vulgari modo loquendi effunduntur undae in tellurem: unde per hypallagen dictum putavit Servius et alii. Sed constituenda est notio τοῦ *effundat* ex altero *solvat*. Tellurem meri obrutam et dissolutam ec liquefactem vis maior diluet et effundat in mare; tamquam glebam illem, βῶλον ὑγρόν, Medeae apud Pinderum Pyth. IV, 67 sq. *coelum in Tartara solvi*, h. e. resolutum cum Tartaro misceri. — Ad 206-214 vix necesse ut moneamus, haec ex Iliad. α, 234 sqq. esse adumbrata. Comparent studiosi ipsa

Quum semel in silvis imo de stirpe recisum
Matre caret posuitque comas et brachia ferro,
Olim arbos; nunc artificis manus aere decoro 210
Inclusit patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant foedera dictis
Conspectu in medio procerum. Tum rite sacratas
In flammam iugulant pecudes et viscera vivis
Eripiunt cumulantque oneratis lancibus aras. 215
At vero Rutulis inpar ea pugna videri
Iamdudum, et vario misceri pectora motu;
Tum magis, ut propius cernunt non viribus aequis,
Adiuvat incessu tacito progressus et aram

verba. Valerii Flacci alia est imitatio lib. III, 707 sqq. — 208. *cum semel*, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν (h. e. stirpem, unde recisum fuit) ἐν ὄρεσι λάβοιμι. *matrem*, de terra, ut XI, 71: *Non iam mater alit tellus.* Potest tamen, quod malim, de ipsa stirpe, trunco cum radicibus, accipi. Est haec Pindari arbos ἐὼν ἐρημώσασα χῶρον. — 210. Aere ornatum sceptrum cogita. Vis autem comparationi in hoc: ut hoc sceptrum, haec hasta, nunquam repullulabit; sic nunquam ab hoc foedere recedam. Aliter res se habet apud Homerum, ubi Achilles tam certe sui desiderium subiturum esse Achivis pronuntiat, quam certe sceptrum, quod gestabat, nunquam iterum sit repullulaturum. Utrique poëtae iniuria facta a viris doctis, qui alterum alteri anteferre voluerunt. — 213, 214. *rite sacratas*, consecratas, cf. ad v. 172. — *in flammam iugulant*, ut saepe iam vidimus, verbo motus resoluto in alterum verbum, pro in flammam proiiciunt iugulatas. — 215. *cumulantque oneratis lancibus aras*, cumulate apponunt in ara exta in lancibus. Eadem VIII, 284. Scilicet *viscera*, qua voce alias *carnes* designantur, nunc in Italorum sacris *exta*, in flammam immittuntur lancibus aras admota: Ge, II, 194, *Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.* conf. Dionys. Halic. VII, 72 extr.

216—308. Fraude Iturnae animis Latinorum incensis foedus turbatur. Comparare solent Il. η, 215 sqq. — 218. *ut propius cernunt non viribus aequis.* Servius: eos congressuros esse, subaudit. Burmannus: *ut cernunt* scilicet adstare Aeneam, et Turnum non esse aequis viribus. Simplicissimum erat supplere, servata verborum iunctura, *ut propius cernunt* pugnam *non viribus aequis* incundam. Turbas tamen et hic fecit et meipsum in fraudes induxit prava interpunctio, qua nunc a me sublata omnis sententia expedita est: *non viribus aequis*; h. e. cum vires utriusque aequae non essent, retrahendum est ad verba: *inpar ea pugna videri* (Fortasse sensus, commate post *aequis* posito, et *tum magis* ad *adiuvat*, relato, clarior fit. Etiam *cernunt* esse potest h. l. dimicant. *R.*) — 219. *Adiuvat*,

Suppliciter venerans demisso lumine Turnus 220
Tabentesque genae et iuvenali in corpore pallor,
Quem simul ac Iuturna soror crebrescere vidit
Sermonem et volgi variare labantia corda:
In medias acies formam adsimulata Camerti
(Cui genus à proavis ingens clarumque paternae 225
Nomen erat virtutis, et ipse acerrimus armis)
In medias dat sese acies, haud nescia rerum,
Rumoresque serit varios ac talia fatur;
Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam
Obiectare animam? numerone an viribus aequi 230
Non sumus? En! omnes et Troës et Arcades hi sunt,
Fatalisque manus infensa Etruria Turno.
Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
Succedet fama vivusque per ora feretur: 235

facit, ut ita iis videretur; auget metum. — 222 sqq. Scilicet sic apud Homerum Il. δ, 86. Pandarus Minervae monitu foedus turbat. cf. V, 496, 497. — 225. *genus ingens* esse debet vel numerosa gentilitas, quod multos ille habebat communi stirpe ortos, vel *genus* est pro nobilitate et splendore generis dictum. — 229. *pro cunctis talibus:* in laudem dictum ne dubita vel propter vs. sequ. pro his, qui et ipsi pugnare poterant, *numero et viribus aequi.* — 232. *fatalis manus.* De Troianis, qui fataliter ad Italiam venerant, vix bene cum Servio accipias propter copulam, quae hoc ad Etruscos revocat: quos, ut arbitror, omnino epitheto hoc oneravit, ut sint agmen dirum, tetrum, exitiale. Molestius est, si dicas respexisse lib. VIII, 497 sqq. aut esse fatis debitum, ut *fatis debitus* Arruns erat XI, 759. *Infensa* propter receptum a Turno hospite Mezentium ibid. v. 492 sqq. Sed totum versum e margine venisse suspicari licet (Tuearis fortasse locum, si *fatalis* exponas: exitio destinata. *Infensa* quidem est Turno, sed eam ipsam ob causam odio est nostro digna et interitu certo. *R.*) — 233. *Vix hostem:* breviter exposuit, quod Homerus ornatum dederat Il. β, 123 sq. — 234. Augusta rei species: *superos, quorum se devovet aris:* sententia tamen obscurior. *Aris deorum* proprie *se devovere* dicitur is, qui sut sacris curandis ideoque sacerdotio consecratur, aut sacris templisque tuendis se consecrat ac devovet; ut XI, 440, *vobis animam hanc soceroque Latino Devoveo*, vobis tuendis, ideoque pro vobis, pro vestra salute. Neutrum hic locum habet. Devovet ille se, vitam suam, morti pro Latinis, *aris deorum*, in aris, h. e. ad aras, foedere facto ante aras: re omni in maius aucta. — 235. *vivusque per ora feretur*, ad notum illud Ennia-

Nos, patria amissa, dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est iuvenum sententia dictis
Iam magis atque magis serpitque per agmina murmur;
Ipsi Laurentes mutati ipsique Latini. 240
Qui sibi iam requiem pugnae rebusque salutem
Sperabant, nunc arma volunt foedusque precantur
Infectum et Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud maius Iuturna adiungit et alto
Dat signum coelo, quo non praesentius ullum 245
Turbavit mentis Italas monstroque fefellit.
Namque volans rubra fulvus Iovis ales in aethra
Litoreas agitabat avis turbamque sonantem
Agminis aligeri, subito quum labsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit inprobus uncis. 250
Adrexere animos Itali cunctaeque volucres
Convertunt clamore fugam mirabile visu!
Aetheraque obscurant pennis hostemque per auras
Facta nube premunt, donec vi victus et ipso

num: *volito vivus per ora virum*: feretur sermonibus, etiam post mortem superstes. — 238. *iuvenum sententia*, ut γνώμη, pro animo. — 241. Comparant Intpp. Iliad. β, 453 γ, 112.

244 sq. In his manifesta vestigia Homerici prodigii Iliad. μ, 200 sqq., quod expressum est a Cicerone in Mario: v. de Div. I, 47, et 9, 247 sqq. cum altero Odyss. ο, 160, ut tamen accommodatum illud sit ad eventum praesentem. — 245. *praesentius*, efficacius. Intellige ostentum clarum, manifestum, ἐναργές, quo deorum voluntas tam manifesta fit, ut dubitari de ea nequeat. — 246. *turbavit mentes Italas*. Ornate expressit poëta, quod vulgo dicimus: signum, quo nullum aliud clarius Italis h. e. Latiois visum erat: seu clarissimum, quod unquam vidissent. Nec emphasis quaerenda est in *mentes Italas*. *monstro*, h. l. ostento, augurio ipso. — 248. Fuere cygni, ut ex sqq. patet: hus quam ornate designavit! *litoreae aves*, pro flumineis, palustribus. *improbus* h. l. audax. v. XI, 767 et al. — 252. *Convertunt clamore fugam*: redeunt cum clamore, ait Serv., quod in exercitu fieri solet. Accepit itaque fugam de dispersia aquilae adventu cygnis, ut sit pro convertunt se a fuga. Non improbo, nisi malis *fugam* de volatu simpliciter accipere: sic *convertimus iter*, non modo, quod mutamus, ut V, 581, sed etiam simpliciter, ut ait di-

Pondere defecit praedamque ex unguibus ales 255
Proiecit fluvio penitusque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore salutant
Expediuntque manus, primusque Tolumnius augur,
Hoc erat hoc, votis, inquit, quod saepe petivi,
Adcipio adgnoscoque deos. Me, me duce ferrum 260
Conripite, o miseri, quos inprobus advena bello
Territat, invalidas ut avis, et litora vestra
Vi populat. Petet ille fugam penitusque profundo
Vela dabit. Vos unanimi densate catervas
Et regem vobis pugna defendite raptum. 265
Dixit et adversos telum contorsit in hostis
Procurrens; sonitum dat stridula cornus et auras
Certa secat. Simul hoc simul ingens clamor, et omnes
Turbati cunei calefacta corda tumultu.
Hasta volans, ut forte novem pulcerrima fratrum 270
Corpora constiterant contra, quos fida crearat
Vna tot Arcadio coniunx Tyrrhena Gylippo,
Horum unum ad medium, teritur qua sutulis alvo
Balteus et laterum iuncturas fibula mordet,

rigere, intendere, et h. l. volatum, in abeuntem aquilam, quam persequuntur. *Penitus*: in interiora nubium. Vide v. 263.

257. *salutant*: venerantur, ut bene Serv., acclamant et cum acclamatione omen accipiunt. — 258. *Expediunt manus*, ut arma capiant, quas, utpote otiosi, palliis vel togis involutas habebant. — 260. Pro vulgato: accipio omen. Facile autem videas, Tolumnium augurium in eum sensum interpretari, ut aquilam de Aenea, cygnum de Turno accipiat. — 268. *certa*: directa. *simul hoc, simul*, variat id quod alias est *simul simulque*, ἅμα τε καί, aut ἅμα, *simul*, semel positum. Saepe iam vidimus, cf. Serv. — 269. *cuneos* ornate pro consessu et consessus ordinibus dixit.

270. Occiditur unus ex sociis Troianorum. *Hasta . . . transadigit unum* (κατά) *costas*. — 273, 274 secundum exemplum in Il. δ, 132. *balteus sutilis* seu laneus seu coriaceus, fortasse tamen aereis laminis munitus: unde X, 343 *aerea suta*: baltei duae orae in medio iunguntur *fibula*, quae acu *mordere* dicitur, qua adstringit oram utramque baltei. Iam balteus in infima thoracis parte subiungitur ad muniendam alvum; ita apud Homerum l. c.; at in Marone thoracis mentio fit nulla, sed solius baltei

Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis, 275
Transadigit costas fulvaque effundit arena.
At fratres, animosa phalanx adcensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Conripiunt caecique ruunt. Quos agmina contra
Procurrunt Laurentum. Hinc densi rursus inundant 280
Troes Angyllinique et pictis Arcades armis.
Sic omnis amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras; it toto turbida coelo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber;
Craterasque focosque ferunt. Fugit ipse Latinus 285
Pulsatos referens infecto foedere divos.

alvum tegentis et cingentis. Qua *balteus teritur alvo*; proprie balteus terit alvum; nunc exquisitiore poëtarum usu vicissim, alvus terit balteum eodem sensu. Incidit telum ea ipsa parte, qua *laterum iuncturas mordet fibula. Iunctura laterum* sunt baltei duae oras, ζωστῆρος ὀχῆας, quas *fibula mordet*, colligit, iungit: hinc que ornate *iuncturas laterum* dixit. Vulnus igitur h. l. acceptum est *ad medium*, in medio corpore, ea ipsa parte, qua coit in alvo balteus fibulaque inserta constringitur. Similia invenies in Silii VII, 624 sqq. Val. Flacc. III, 189, 190 et in Prudent. Psychomach. 678 sq.

277 sqq. Praelio iam pedestri et equestri iusto descripto restabat poëtae, ut tumultuariam pugnam describeret. Hoc fecit in eo, qui sequitur, loco. Comparent studiosi harum rerum pugnam Centaurorum et Lapitharum Ovid. Met. XII, 210 sqq. — 280. *inundant*, complent campum, felix voc. ad copiam declarandam; *Agyllini*, Etrusci, conf. VIII, 478 sqq. *pictis armis*; ad diversorum metallorum mixtionem retuli lib. X, 181: *versicoloribus armis*; nisi poëta simpliciter γραφὰς ἀσπίδων designare voluit, quae tamen *picta* quidem, sed non *versicoloria* possunt dici *arma*. — 284. Ex Ennii VIII. laudat Macrob. VI, 1. *Hastati spargunt hastas; fit ferreus imber* (Ita comparatio satis nota νίφος πολέμοιο, χάλαζα μαχῆς, in ipsam rei designationem abiit. — 285. *Crateras*, quibus ab libationem usuri erant. *R.*)

286 *pulsatos deos*, gravius verbum posuit, quod αἰκίζεσθαι Graecis esset, ut violatos et ignominiose habitos designaret. Morem autem fuisse necesse est, ut foederibus faciendis ipsa deorum signa ad aram statuerentur; quippe quae h. l. attulit Latinus et secum revehit (Cum neque deorum a Latino allatorum ulla mentio iniecta sit, neque moris deos hac in re ad aram statuendi ullum vestigium occurrat alibi; locus hic ita expediendus esse videtur, ut et ipse Latinus deos fractis foederibus laesos ideoque aversos *referens* h. e. imitans fugerit atque in urbem regressus

Infrenant alii currus aut corpora saltu
Subiiciunt in equos et strictis ensibus adsunt.
Messapus regem regisque insigne gerentem
Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere foedus, 290
Adverso proterret equo: ruit ille recedens
Et miser oppositis a tergo involvitur aris
In caput inque humeros. At fervidus advolat hasta
Messapus teloque orantem multa trabali
Desuper altus equo graviter ferit atque ita fatur: 295
Hoc habet; haec melior magnis data victima divis.
Concurrunt Itali spoliantque calentia membra.
Obvius ambustum torrem Corynaeus ab ara
Conripit et venienti Ebuso plagamque ferenti
Occupat os flammis. Olli ingens barba reluxit, 300
Nidoremque ambusta dedit. Super ipse secutus
Caesariem laeva turbati conripit hostis,
Inpressoque genu nitens terrae adplicat ipsum:
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum

sil. R.) — 287. *Infrenant currus*, ut ἅρματα, pro equis iugalibus. Conf. I Ge. 514 et al. ut contra Homero ἵπποι pro curru. *subiciunt* sursum, in altum, more Virgiliano. cf. Ecl. X, 74. Ge. II, 49. III, 244. IV, 385. — 289 *regis insigne*, diadema.

290. *confundere foedus* ex Homerico συγχέειν ὅρκον pro turbare. Iam lib. V, 496., ubi vide. — 291. *proterret*, elegans et efficax verbum, pro proturbat, irruit in eum. — 293. In sinciput et tergum. ἐπὶ βραχμόν τε καὶ ὤμους Il. ε, 586. — 294. *telum trabale*; magnum, instar trabis, ab Eonio sumsisse Maronem testatur Servius. — 296. *Hoc habet*: sollenne verbum de accepto vulnere. *haec melior* fere ut lib. V, 482: *Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis Persolvo*. — 300, 301. Fortasse ad nimis tenuia descendisse videri potest poëta. Sed in vulnerum varietate mira mirum in modum se iactant epici poëtae Homeri exemplo: eumque omnis haec res in corporum animorumque motu versetur sensumque legentis impellat, quo epici carminis etiam minus cernitur; et ferendum hoc est et, poëtico ornatu si se commendat, probandum. — 300. *occupat* cum adiuncto accipiendum: occupando ferit: φθάνει πλήξας Cf. Valerii Fl. III, 168 imitationem. — 303. Videtur Ebusus, Etruscus gente, e Mezentii copiis (saltem barbam more Etrusco alebat 300, 301; secus Troiani) fugisse: tum alter Corynaeus, qui e Troianis fuisse putandus, a tergo comam corripit et genu

Pastorem primaque acie per tela ruentem 305
Ense sequens nudo superinminet : ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reducta
Disiicit et sparso late rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos et ferreus urguet
Somnus ; in aeternam clauduntur lumina noctem. 310
At pius Aeneas dextram tendebat inermem
Nudato capite atque suos clamore vocabat :
Quo ruitis ? quaeve ista repens discordia surgit ?
O cohibete iras! ictum iam foedus et omnes
Conpositae leges ; mihi ius concurrere soli ; 315
Me sinite atque auferte metus. Ego foedera faxo
Firma manu : Turnum iam debent haec mihi sacra.
Has inter voces, media inter talia verba
Ecce! viro stridens alis adlabsa sagitta est,
Incertum qua pulsa manu, quo turbine adacta ; 320
Quis tantam Rutulis laudem, casusne deusne,
Adtulerit. Pressa est insignis gloria facti ;

a tergo impresso eum prosternit, prostratum caedit. At Alsus Rutulus, v. 306, 307 ex fuga conversus, Podalirii, Troiani, os securi elata ferit. — 307. Comparant simile vulnus Il. δ, 460, 461. Il. ν, 611 sqq. π, 503. — 309, 310. Iidem versus lecti iam X, 745, 746. Homerica confer in locis modo laudd.

312—382. Aeneam misceri manus velantem eminus sagitta ferit ; quo e pugna educto Latini ferocientes Troianos adorti magnam stragem edunt. *Nudato capite*, nudo. In causis rei argutantur Iutpp. Praestat saltem Servii ratio : scilicet deposita galea, ut posset agnosci. Verum tot exempla et ipsa res docent galeam non esse impositam capiti, nisi ultimo loco et re iam ad discriman adducta ; in negotiis vitae communibus incedere ac discurrere armatos thorace, nudo adhuc capite et manu sine hasta, ut h. l. *manum inermem* ; XI, 489. Turnus armaverat se *Tempora nudus adhuc ; laterique adcinxerat ensem*. — 316, 317. Nolite timere pro me : ego firmabo, ratum faciam foedus pugna cum Turno ineunda ex foederis conditionibus sacro hoc sanctis.

318 sqq. Ad pactionis inter Achivos et Troianos turbatae morem haecesse adumbrata iam monitum est ; sed pleraque docte variata. — 319. *alis adlabsa* iungendum, h. e. advolavit. Docet alter locus lib. IX, 578. — 320. *pulsa*, ut 856 *inpulsa*, pro emissa ; sagitta impellitur nervo, cornu, manu. *quo turbine* docte pro motu, sed vehemente, insigno ; et hoc pro, quo movente, emittente. — 322. *pressa*, suppressa, ut Serv. ;

Nec sese Aeneae iactavit volnere quisquam.
Turnus, ut Aenean cedentem ex agmine vidit
Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet; 325
Poscit equos atque arma simul saltuque superbus
Emicat in currum et manibus molitur habenas.
Multa virum volitans dat fortia corpora leto;
Semineces volvit multos aut agmina curru
Proterit aut raptas fugientibus ingerit hastas. 330
Qualis apud gelidi quum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat atque furentis
Bella movens inmittit equos, illi aequore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant; gemit ultima pulsu
Thraca pedum, circumque atrae Formidinis ora 335
Iraeque Insidiaeque dei comitatus aguntur:
Talis equos alacer media inter proelia Turnus
Fumantis sudore quatit, miserabile caesis
Hostibus insultans; spargit rapida ungula rores

latet, ignoratur. — 324 sqq. Oblique hoc ipso amplificat Aeneae laudem ac virtutem. Nunc recedente Aenea Turnus conscenso curru pugnam redintegrat, multis virtutis speciminibus editis. — 326. *superbus*, nunc pro: animosus, audax; et *molitur* poëtae simpl. pro movet, ideoque tractat, regit. — 330. *hastas raptas*, correptas, arreptas. Sic saepe.

331 sq. Turnus quadrigis incedit et pugnat Martis more. Mirifice exornat comparationem Homericam, etsi simplicitate et gravitate non minus insignem, Il. η, 298 sq. Adde Il. ν, 208 sq. Aliter expressit locum Silius lib. 1, 433 sqq. Marti sedes proprie assignata Thracia. *Sanguineus*: gaudens sanguine, αἱμοχαρής. Ita Servius: qua auctoritate nescio (Sic etiam Ovid. Rem. Am. 153, μιαιφόνος, recte observante Ruperti ad Sil. Ital. I, 40. *R.*) Nam alias esset cruentus, sanguine respersus, αἱματόεις. *clipeo increpat* docte pro clipeum movet, quatit, rotat: quod faciens alliso clipeo sonitum facit. Nam diversum est clipeum pulsare hasta. Sic aliquis *hasta* increpat, non clipeo. *concitus* increpat, pro concitate. — *bella movens* simpl. pro faciens, pugnans. *Thraca* ex Θρῄκη pro Thracia. *circumque*, circa deum, *aguntur*, discurrunt, incedunt, Formido (pro qua *Formidinis ora* dici, obvia res est), Ira, Insidiae. Variavit et ornavit Comites Martis apud Homerum: Φόβον, Δεῖμον, Ἔριδα, v. c. Il. δ, 440. Hesiod. Scut. 195.

337—340. Talis rerum species saepe ab Homero oculis obiicitur, vide Il. λ, 531, 534-536. ν, 498 sq. —

Sanguineos; mixtaque cruor calcatur arena. 340
Iamque nec Sthenelumque dedit Thamyrimque Pholumque,
Hunc, congressus, et hunc; illum eminus; eminus ambo
Imbrasidas, Glaucum atque Laden, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia paribusque ornaverat armis,
Vel conferre manum vel equo praevertere ventos. 345
Parte alia media Eumedes in proelia fertur,
Antiqui proles bello praeclara Dolonis,
Nomine avum referens, animo manibusque parentem,
Qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret,
Ausus Pelidae pretium sibi poscere currus: 350
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Adfecit pretio; nec equis adspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto,
Ante levi iaculo longum per inane secutus,
Sistit equos biiugis et curru desilit atque 355
Semianimi labsoque supervenit et, pede collo
Inpresso, dextrae mucronem extorquet et alto

342. *congressus* cum illo, cominus. συνάψας τὰς χεῖρας. — 345. ut seu peditea seu ex equo pugnarent.

346 sqq. Ingeniose Eumedem nunc in carmen suum produxit et ornavit, tamquam avo Eumede et patre Dolone natum: cf. Il. x, 314. Homerus quidem de Dolone ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσιν; sed qui tot alio meminerit, in quibus versandis et ornandis poëtae, in primis tragici, seu ut novitate et varietate delectent, seu pro consilii diversitate ab Homero suo recedunt, non mirabitur Maronem h. l. sibi tantum licere putasse, ut et nobilem et fortem faceret Dolonem. Vidit hoc idem Macrob. V, 16; nec placet Cerdae commentum, qui *animum manusque* ad ignaviam traxit; multo minus inter ea referam, quae Maro superstes operi emendaturus fuisset. Nec pro Homericorum heroum more Dolon iden ignavus homo videri debet. — *antiqui* pro nobilis et magni, Serv. — 352. *nec equis adspirat Achillis*; mutato tempore, pro *adspiravit*, paullo durius. Dictum cum respectu ad *ausus*: ut iam a Diomede deprehenso ei excideriit magna illa audacia, qua Achillis equos sibi pro mercede explorationis pactus erat; nec tum ille amplius adspiravit ad Achillis equos. Cf. vss. l. c. Il. x, 401, 402. — 354. Per longum spatium iaculo insequutus Turnus Eumedem e longinquo vulneraso putandus est. Hinc ille *semianimis labusque*; et Turnus, qui hastam nunc non haberet, *mucronem*, seu hastam seu gladium, illius manu extorquet, quo eum ingulet. — 355.

Fulgentem tinguit iugulo atque haec insuper addit:
En! agros et, quam bello, Troiane, petisti,
Hesperiam metire iacens: haec praemia, qui me 360
Ferro ausi tentare, ferunt; sic moenia condunt.
Huic comitem Asbuten coniecta cuspide mittit,
Chloreaque Sybarimque Daretaque Thersilochumque
Et sternacis equi labsum cervice Thymoeten.
Ac, velut, Edoni Boreae quum spiritus alto 365
Insonat Aegaeo sequiturque ad litora fluctus,
Qua venti incubuere, fugam dant nubila coelo,
Sic Turno, quacumque viam secat, agmina cedunt,
Conversaeque ruunt acies; fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem. 370
Non tulit instantem Phegeus animisque frementem:
Obiecit sese ad currum et spumantia frenis

Postquam sequutus et assequutus telo eum erat, desilit Turnus curru, ut saepe pugnantes de curribus cominus congressuri. V. c. Il. γ, 29 et infra v. 681. — 358. *tingit* ensem *iugulo*, h. e. immittit in iugulum, ut sanguine tingatur. — 360. Amara irrisio! *metire* agros corpore, quos novis colonis Troiani metiri et assignare volebant.

365. Velut boreas, nubes fugat, sic Turnus late ante se Troianos agit. — *Edonus* Boreas, ut alius Thracius, ab Edonis (Ἠδωνοί) Thraciae populo. Incumbunt autem aquilones mari Aegeo in primis graviter; sunt enim hi etesiae, de quibus v. Plin. II, 47. Adde Apollon. Arg. II, 527 sq. — 369. *conversae*, seu versae in fugam, seu turbatae ex κλονεῖσθαι. *fugam dant*, faciunt, ut iam alibi vidimus. — 370. *Et cristam*. Non otiose hoc adiectum; sed menti obiicit speciem hominis ruentis. Tum poterat poëta vulgari more efferre: *fert impetus ipsum Adverso curru, et cristam quatit aura volantis*. Sed vides Maronis studium exquisitioris et doctioris orationis; cristam *volare adverso curru* absolute posuit: dum currus adversus ventum fertur. — 372, 373. *ora detorsit dextra frenis*, durum et molestum est. *equorum citatorum frenis*, h. e. immissis frenis, h. e. habenis, non magis placet. Vero proximum est: *spumantia frenis ora*, h. e. in frenis, circa, per frena. Nam frenum spuma oris madet. Variavit poëta, quod IV, 225 dixerat: *Stat sonipes ac frena feroz spumantia mandit*. — 374, 375. Non a Turno, sed a tergo immissam Phegeo fuisse hastam arbitror ab alio. Phegeus *pendet iugis*, ab equis, quos frenis apprehenderet, eumque iis iuctatur, dum illi obnituntur et procurrunt. Inter haec *lancea consequitur retectum*, h. e. in loco corporis patenti nec clipeo tecto percutitur. Tum ille *conversus* stricto gladio in *hostem*, a quo

Ora citatorum dextra detorsit equorum.
Dum trahitur pendetque iugis, hunc lata retectum
Lancea consequitur rumpitque infixa bilicem 375
Loricam et summum degustat volnere corpus.
Ille tamen clipeo obiecto conversus in hostem
Ibat et auxilium ducto mucrone petebat,
Quum rota praecipitem et procursu concitus axis
Inpulit effunditque solo; Turnusque secutus 380
Imam inter galeam summi thoracis et oras
Abstulit ense caput truncumque reliquit arenae.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus;
Interea Aenean Mnestheus et fidus Achates
Ascaniusque comes castris statuere cruentum, 385
Alternos longa nitentem cuspide gressus.
Saevit et infracta luctatur arundine telum
Eripere auxilioque viam, quae proxima, poscit:
Ense secent lato volnus telique latebram
Rescindant penitus seseque in bella remittant. 390

vulneratus erat, ibat, qui ideo alius ac diversus ab Turno erat. Ita equis eius manu dimissis Turnus invehit eumque prostratum obterit. — 375. *loricam bilicem*, binis liciis, filorum ordinibus seu ex lino seu ex aere (bracteolis, calculis, squamis), factam; ut *trilicem* III, 467, ubi not. — 376. *degustat*, ut bibere: sic iam γεύεσθαι pro stringere Il. υ, 258 φ, 60, 61: alibi alia figura ἐπιγραφῇ χροός. *rota et axis*, currus Turni. — 381, 382. De vulneris in ipsa cervicis vertebrà illati sede ac modo cf. IX, 691-693. Brevitate usus poëta pro vulnere *inter galeam et thoracem* facto *abstulit caput*.

383-384. Redit ad Aeneam vulneratum Maro, cuius *curationem*, ut *epicum* poëtam decebat, *mirabili modo* factam exponit. — 386. *nitentem* (quoad) *gressus alternos cuspide*, ἔγχει, ἐρειδόμενον ἔγχει, alternis, cum altero pede claudicarel, vulnere in femore, ut probabile fit, accepto. — 387. *Saevit*. Bene, inquit Serv., viro forti servat dignitatem: indignatur hominum perfidia, exardescit, quod a pugna abstrahitur; ipse telum tractat, labefactat; fracto ligno poscit, ut vulnere ampliato ferramentum exsecetur. Omnia haec ad nostros sensus accommodatiora, quam quae de Glauco Homerus narrat Il. π, 508 sqq.; sed Homerica propiora sunt ad naturae veritatem. — 389. *auxilioque viam*, viam auxilii, qua via et ratione expeditissima vulneri medela afferri possit.

Iamque aderat Phoebo ante alios dilectus Iapis
Iasides, acri quondam cui captus amore
Ipse suas artis, sua munera laetus Apollo,
Augurium citharamque, dabat, celerisque sagittas.
Ille, ut depositi proferret fata parentis, 395
Scire potestates herbarum usumque medendi
Maluit et mutas agitare inglorius artis.
Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam
Aeneas, magno iuvenum et maerentis Iuli
Concursu, lacrimis inmobilis. Ille retorto 400
Paeonium in morem senior succinctus amictu
Multa manu medica Phoebique potentibus herbis
Nequidquam trepidat, nequidquam spicula dextra
Sollicitat prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam Fortuna regit; nihil auctor Apollo 405

391 sqq. *Iapis*, Iasi f., inducitur exemplo Machaonis Menelai vulnus sanantis Il. *δ*, 213 sqq. — 394. *dabat*, dare volebat: nam Iapis, oblatis a Phoebo pluribus artibus Apollineis, arte augurali, canendi, sagittandi, eis spretis *maluit* medicam artem (quam, ut poëta, *usum* dixit) addiscere, ideoque id munus a Phoebo optione data elegit, *ut depositi proferret fata parentis*, ut patris sui iam conclamati mortem differret. Idem, sed diversa ratione, est *proferre vitam*, h. e. producere. Et quam ornate et ad pietatem declarandam potenter: maluit *mutas agitare inglorius artes*. Varie *de mutis artibus* statuunt viri docti. Grammatica quidem fert, ut musicae comparatione dictas putes, non vocales, non canoras. Sed cum ceteris h. *l.* adiunctis non bene convenit hoc. Intelligo *artes mutas* poëtico more, quae silentur et faciunt, ut ii, qui eas colunt, silentur; inprimis ex istius, quo poëta vivebat, saeculi opinione, cum medicinam tantum servi vel libertini ac graeci exercerent; ideoque obscurae; unde *inglorius*. In vita enim heroum artes augurandi, iaculandi et canendi claritatem dabant. — 398. *acerbe fremit*, et supra *saevit* vs. 387. — 400. *inmobilis* ad lacrimas eorum. Ille et *senior* et *succinctus retorto amictu*: egregie ad ἐνάργειαν narrationis. Imitatur Maronem Silius in Magonis medico lib. V, 367. — 401. *Paeonium*, Apollineum, hocque pro medicorum more. Pronuntiandum autem *Paeonium*, nam Παιώνιον est, v. ad VII, 769. — 402. *Multa*, multum, *manu trepidat*: novavit egregie: pro multa tentet, sed turbato animo et cum trepidatione. Servius non male et ipse: *trepidanter fecit*. — 405. Pro vulgari: Viam hanc ac rationem ferramenti extrahendi fortuna nullo modo secundat; frustra omnis

Subvenit; et saevus campis magis ac magis horror
Crebrescit propiusque malum est. Iam pulvere coelum
Stare vident, subeuntque equites et spicula castris
Densa cadunt mediis. It tristis ad aethera clamor
Bellantum iuvenum et duro sub Marte cadentum. 410
Hic Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genetrix Cretaea carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis et flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, quum tergo volucres haesere sagittae. 415
Hoc Venus obscuro faciem circumdata nimbo
Detulit; hoc fusum labris splendentibus amnem

experitur lapis; at nulla via res successum habet. — 406. *horror* nunc pro causa, terror. — 407. *malum* cum dilectu: est pugna fuga, terror. *Iam pulvere coelum stare vident.* Aër pulvere plenus et quasi condensatus potenter sic describitur a poëtis. Exempla dant Cerda et alii. Praeiverat Ennius: *stant pulvera campi*; pro vulgari: stat pulvis in campis in aërem sublatus; doctius etiam quam Homericum: ποδῶν δ' ὑπένερθε κονίη ἵστατ' ἀτρομάων, Il. ψ, 365, 366. Paullo aliter VI, 300: *stant lumina flamma*; sunt flammea: proprie flamma stat, est, in luminibus.

414 sq. Lineae loci fortasse ductae in Il. π, 523, 527 sqq. de Glauco ac Apolline recreato. De *dictamno* (Δίκταμνος et Δίκταμος, a Dicte monte Cretae, qui Idae partem facit) inter locos classicos hic ipse Virgilii; cf. Aelian. V. H. I, 40: Dioscor. III, 37. Pulegio similem plantam esse produnt veteres: inter *origana* retulit Linnaeus. V. Flor. Classica Billerbeck. pag. 155. — 413. *Puberia folia* sunt efflorescentia, exuberantia; nihil aliud. Perperam Servius *folia* adulta exponit. Etiam *pubescentem vitem* varie tentat Salmas. Exercit. Plin. pag. 364 modo interpretando nigrescentem, modo viridantem etc. *Pubescere* translatum a pubertate ideoque a flore aetatis florem arborum, herbarum, solenni tamen aliqua ratione in vitibus, designat; modo omnino, ut h. l. et *pubentes herbae* Ge. III, 126. Aen. IV, 514; modo, ut in aliis locis, cum adiuncta notione modo exuberantiae, modo maturitatis vel instantis vel exspectandae: ut Georg. II, 390: *Hinc omnis largo pubescit vinea fetu.* Haec quidem usu constante satis certa: si tamen respicias alterum *flore comantem*, eo facile adduci potes, ut credas, poëtam respexisse lanuginem foliorum huius herbae: nam sunt ea γναφαλώδη καὶ ἰριώδη καὶ τινα ἐπίφυσιν habentia: secundum Dioscorid. l. c. quomodo etiam *herbas pubentes* locis supra memoratis dictas esse malunt viri docti.

416. Qua igitur simpliciter usus dici poterat medicina lapis: hanc poëta a Venere allatam narrat; quae succum expressum, ambrosia et panacea admixta, clam adstantibus

Inficit occulte medicans, spargitque salubris
Ambrosiae succos et odoriferam panaceam.
Fovit ea volnus lympha longaevus Iapis 420
Ignorans; subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor; omnis stetit imo volnere sanguis.
Iamque secuta manum nullo cogente sagitta
Excidit, atque novae rediere in pristina vires.
Arma citi properate viro; quid statis? Iapis 425
Conclamat primusque animos adcendit in hostem.
Non haec humanis opibus, non arte magistra
Proveniunt; neque te, Aenea, mea dextera servat:
Maior agit deus atque opera ad maiora remittit.
Ille avidus pugnae suras incluserat auro 430
Hinc atque hinc, oditque moras hastamque coruscat.
Postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est,
Ascanium fusis circum conplectitur armis
Summaque per galeam delibans oscula fatur:

aquae infundit, qua Iapis vulnus abstergit ac fovet. Ornavit poëta singula, utpote in re mirabili; pro aqua *amnem*, pro vase *labrum splendens* aere seu lebetem; pro miscere *inficere* ponit et sic porro. — 419. *Ambrosiae*, qua dii utuntur, succus pro unguento est, quod vulnus lenit et inflammationem minuit. *panacea*, πανάκεια, est inter fabulosos succos iam apud Callim. in Apoll. 40. — 421, 422. Comparant Il. π, 528, 529 *quippe*; utique, δή, quod alias, scilicet. — 424. *rediere in pristina*, in pristinum; vires restitutae sunt.

425. Exclamationis repentinae vim facile sentis. Egregium narrantis hoc artificium. — 428. *proveniant* pro vulgari: fiunt, eveniunt. — 429. *agit*, non accipio cum Servio, Apollo facit haec, nam id tenue; sed προ-πέμπει, mittit ad pugnam, concitat, idem quod mox *remittit*. — 430. Mira festinatio etiam in Aenea et praeclare tempus praeteritum, *incluserat*. — 432. *est*, factus est, *habilis lateri*, ἄρηρε, εὖ ἀρηρός (ἐστιν), ἤρμοστο, vel ut Il. γ, 332, 333 thorax ἤρμοστ' αὐτῷ, sedit in corpore, adaptata, habilis reddita est lorica corpori: *habilis hasta* supra fuit, quae manu facile haberi, tractari, potest; *lorica*, quae membris commode respondet. 435 sqq. Eminentissimus locus patris affectu, sententiae gravitate vi ac veritate; quocum comparanda loca pulcherrima, primum Hectoris ad puerum Astyanactem verba Il. ζ, 474 sqq.; tum Aiacis ad Eurysacem ap. Sophocl. 550 sqq., unde Attius sum sumserat apud Macrob. VI, 1: *Virtute sis par, dispar*

Disce, puer, virtutem ex me verumque laborem; 435
Fortunam ex aliis. Nunc te mea dextera bello
Defensum dabit et magna inter praemia ducet.
Tu facito, mox quum matura adoleverit aetas,
Sis memor, et te, animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Aeneas et avunculus excitet Hector. 440

Haec ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens,
Telum inmane manu quatiens; simul agmine denso
Antheusque Mnestheusque ruunt omnisque relictis
Turba fluit castris. Tum caeco pulvere campus
Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus. 445
Vidit ab adverso venientis aggere Turnus,
Videre Ausonii, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor. Prima ante omnis Iuturna Latinos
Audiit adgnovitque sonum et tremefacta refugit.

fortunis patri. Cum hac simplicitate quandoquidem luctandum erat Maroni; sententiam paullo argutius expressit, quam par erat. — 435. *verum laborem.* Servius ait: *quem per me ipse suscipio: non qui ex aliorum virtute imperatoribus adscribi consuevit.* Frigel sic sententia. Accipio *laborem* de ipsa laboris toleratione, patientia, καρτερίᾳ, ἀνδρείᾳ. Dixit autem pro vulgari: disce ex me veram virtutem in tolerando labore; exemplum virtutis verae me tibi habe propositum; at secundae fortunae exemplo pete ab aliis. Altero loco: *Fortunam ex aliis:* vocabulum *discere* non aeque oppositum erat. Forma tamen orationis inde existit exquisitior pro vulgari: utere fortuna meliore, quam ego expertus sum! — 437. *defensum dabit* pro defendet, ut iam similia vidimus, *magna inter praemia ducet*, per magna belli decora, victorias: *ducet*, quatenus puer sequitur, incedit, patre praeeunte. Friget aliorum interpretatio: magno pretio habebo, si te defendero. — 438, 439, 440. Versus aurei animis puerorum, quibus illustres parentes munere providentiae contigerunt: infigendi, una cum praeclaris vss. III, 342 de Ascanio: *Ecquid in antiquam virtutem* sq.

441—467. Redit in pugnam Aeneas, caedes facit et Turnum ad pugnam exposcit. Verba comparant Il. υ, 4, et ad 443, 444 Il. λ, 723. Iam vero 444 vulgare est: pulvis miscetur, turbatur in campo; et, quia obscurat aërem, hinc caecus; ut solet poëta pro: qui visum eripit, *caecum* dicere. — 445. *excita* doctius quam concita, concussa. — 449. *Iuturna refugit*, Camerti assimulata 224. Eadem mox Turno fratre in discrimen adducto iterum in aciem prodit vs. 468. In quo nihil erat, quod minus probabile videri debebat. Potest quis subito ter-

Ille volat campoque atrum rapit agmen aperto, 450
Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus
It mare per medium, miseris heu! praescia longe
Horrescunt corda agricolis; dabit ille ruinas
Arboribus stragemque satis, ruet omnia late;
Ante volant sonitumque ferunt ad litora venti: 455
Talis in adversos ductor Rhoeteius hostis
Agmen agit; densi cuneis se quisque coactis
Adglomerant. Ferit ense gravem Thymbraeus Osirim,
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates
Vfentemque Gyas; cadit ipse Tolumnius augur, 460
Primus in adversos telum qui torserat hostis.
Tollitur in coelum clamor, versique vicissim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque aversos dignatur sternere morti,
Nec pede congressos aequo nec tela ferentis 465
Insequitur; solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.
Hoc concussa metu mentem Iuturna virago

rore fugere, idem recipere animum et in discrimen redire.

450. *rapit*, concitate ducit Aeneas. — *atrum* pulvere puta. — 451 sqq. Comparatio ex Homero ducta: sed variata egregie et ornata novis accessionibus; Il. δ, 275 sqq. (non vero Il. ν, 334 sqq. comparari et Maroni obtrectari debebat). *abrupto sidere* magnifice pro abrupta nube, quae nimbum, procellam facit. Ausus hoc videtur poëta, cum semel *sidus* de tempestate dicere sollenne sit, quoniam sub certorum siderum ortu vel occasu tempestates fiunt. *abruptis procellis* Ge. III, 259: *abruptis nubibus* Aen. III, 409 dixerat. Similiter *praeceps* dictum occurrit de ventis, Euro, Noto. *dabit ille*: tempore futuro haec ἐναργῶς extulit. — 456. *heros Rhoeteius*, Troianus: v. III, 108. — 457. Bene Servius: densentur, ut cuneatim conglobati dimicent. *cuneis*, in cuneum. — 458. *gravem* non satis definit poëta, quo sensu accipi vellet, nec refert: nam simpliciter ornat; fortem exponit Servius. Refero ad auctoritatem, dignitatem, annos. Sunt autem in his v. 459 sq. qui caedunt, Troiani; qui caeduntur, Latini. — 460. Comparant verba Iliad. π, 558. De Tolumnio supra 258-266. — 460. Sic Hector Patroclum insequitur Il. π, 731. *tela ferentes*, inferentes, ut XI, 872, hoc est adortos se, contra stantes.

468—485. Iuturna soror in diversas partes agit Turni currum, ne Ac-

Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit et longe labsum temone relinquit. 470
Ipsa subit manibusque undantis flectit habenas
Cuncta gerens, vocemque et corpus et arma Metisci.
Nigra velut magnas domini quum divitis aedis
Pervolat et pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens nidisque loquacibus escas, 475
Et nunc porticibus vacuis nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Iuturna per hostis
Fertur equis rapidoque volans obit omnia curru,
Iamque hic germanum iamque hic ostentat ovantem,
Nec conferre manum patitur; volat avia longe. 480
Haud minus Aeneas tortos legit obvius orbis
Vestigatque virum et disiecta per agmina magna

neae occurrat. *Iuturna virago.* Servius: virago dicitur mulier, quae virile implet officium. Eum sequuntur alii. Argutius dictum puto quam verius. Virago et virgo prorsus eandem vim habent: sed alterum antiquius ideoque epico carmine dignius. Hinc apud poëtas virago Pallas, Diana, Nympha: ut παρθένος, παρθενική. Quod vero Iuturnae h. l. tribuit Maro, sublectum est Homeri exemplo Il. a, 835 sqq., ubi Pallas, deiecto Sthenelo, Diomedis currum simili modo regit. Sed locus ille plus dignitatis habet, quam hic, in quo versamur.

474. Cum discursatione currus Turni comparatur hirundinis vagus volatus. Exemplum huius comparationis, quantum quidem mihi constat, ante Maronem non occurrit aliud. Nisi itaque poëta is, unde ductum est, intercidit, est hoc inter inventa Maronis. Observanda autem ars in re tenui et humili ornanda et amplificanda. *Nigra hirundo*: ut domesticam designet, non ripariam, ut Scaliger observavit. Dicam potius hirundinem rusticam describi, ἀκανθυλλίδα, quae dorso nigro caerulescente est; et agi hic non de palatio urbano, sed de villa aliqua, illa docent: *nunc porticibus vacuis, nunc humida circum Stagna volat*: quae in urbe non facile quaeras. *penitus*, in interiora domus penetrando. conf. v. 256-263. — 475. Suavis versus: *parva* cum dilectu: ut paullo ante *vacuis* declarat spatia porticus et amplitudinem. *nidis loquacibus* pro pullis, νεοσσοῖς τρύζουσι. (cf. XI, 458. Ge. IV, 17. Imitatus est Iuvenal. V, 142, *ipse loquaci gaudebit nido*. R.) — 480. *Nec conferre manum*: cum Aenea, ut Servius monet. Non alios persequitur.

481. Vt *legere vestigia, oras, vias* est persequi, sic *legit* h. l. *Aeneas tortos orbis*, obliquas et implicitas vias, ut Servii verbis utar (cf. inf. 743) percurrat ac pervagatur. — 482. *disiecta per agmina* impetum ruentis currus declarat, quo dissipati cedunt ordines. — 483, 484. Quoties e lon-

Voce vocat. Quoties oculos coniecit in hostem
Alipedumque fugam cursu tentavit equorum,
Aversos toties currus Iuturna retorsit. 485
Heu! quid agat, vario nequidquam fluctuat aestu,
Diversaeque vocant animum in contraria curae.
Huic Messapus, uti laeva duo forte gerebat
Lenta levis cursu praefixa hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu. 490
Substitit Aeneas et se conlegit in arma
Poplite subsidens; apicem tamen incita summum
Hasta tulit summasque excussit vertice cristas.
Tum vero adsurgunt irae, insidiisque subactus,
Diversos ubi sensit equos currumque referri, 495
Multa Iovem et laesi testatur foederis aras.
Iam tandem invadit medios et Marte secundo
Terribilis saevam nullo discrimine caedem
Suscitat irarumque omnis effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine cae-
Diversas obitumque ducum, quos aequore toto (des
Inque vicem nunc Turnus agit nunc Troïus heros,

ginquo Turnum animadverterat eumque insequebatur sic, ut iam aggredi vellet etc. *tentare* h. l. pro assequi, attingere: saltem in eo esse, ut assequaris. Videtur autem (cf. v. 465) Aeneas pedes incedere.

486—499. Aeneas se Turnum assequi non posse videns a Messapo, e Latinorum ducibus VII, 692, iaculo petitur. — 486. *fluctuat*, κυμαίνει. — 491. *se conlegit in arma*, int. in clipeum, quo texit se, ὑπιζάνων, *subsidens*. Res passim obvia. — 492. Ennium Annal. XIV: *tamen ihde volans secum abstulit hasta Insigne*, ante oculos fuisse Macrobius VI, 1, contendit. — 494. Sic X, 813, 814. — *insidiis subactus*, ira victus. Vulgo non satis diserte exponunt Intpp. Nam si *subactus* est coactus, ieiuna fit oratio. Accipio *subactus*, ut domitus, victus, δαμασθείς, de ira, propter insidias, quibus petitum se viderat. Sic alias *adactus*, permotus. — 499. Servius: „et hic moderate locutus est. Nam Ennius dixit: *irarumque effunde quadrigas*."

500—553. Pugna atrox nunc oritur, atrageaque utrinque editur horrenda. Erant superanda nunc tot alia loca de congressibus pugnantium, ipsius quoque Aeneae et Turni. Hinc invocatio dei alicuius. Servius laudat Stat. X

Expediat? tanton' placuit concurrere motu,
Iuppiter, aeterna gentis in pace futuras!
Aeneas Rutulum Sucronem (ea prima ruentis 505
Pugna loco statuit Teucros) haud multa moratus
Excipit in latus et, qua fata celerrima, crudum
Transadigit costas et crates pectoris ensem.
Turnus equo deiectum Amycum fratremque Diorem
Congressus pedes, hunc venientem cuspide longa, 510
Hunc mucrone ferit curruque abscisa duorum
Suspendit capita et rorantia sanguine portat.
Ille Talon Tanaimque neci fortemque Cethegum,
Tris uno congressu, et maestum mittit Onyten,
Nomen Echionium matrisque genus Peridiae; 515
Hic fratres Lycia missos et Apollinis agris
Et iuvenem exosum nequidquam bella Menoeten
Arcada, piscosae cui circum flumina Lernae
Ars fuerat pauperque domus, nec tota potentum
Limina, conductaque pater tellure serebat. 520

Theb. 827. Iam 503, 504 pro vulgari: Fierine potuit, ut gentes duae mox in unum coalituraе tam atroci pugna concurrerent? — 505, 506. *Teucros.* Aeneam cum comitibus per ordines ruentem, cum impetu discurrentem, dum insequitur Turnum, nunc autem eo dimisso cum proximo quoque congressum *ea pugna* primum *loco statuit*, confuse adhuc per ordines ruentes Teucros sistere fecit impetum; pro communi: tum primum Teucri substiterunt ad eam pugnam. — 507. *Excipit in latus*, docte, pro excipit, vulnerat, in latere. *qua fata celerrima*, ὅθι ... μάλιστά τε καιρὸν ἔστι. — *crudum* ensem pro cruento: ut et X, 682.

509. Ergo Amycus et Diores filii Priami, ut patet e V, 297. I, 221. Diversi ab hoc Amyco sunt, quos I. V, 373. IX, 772. X, 704 vidimus.— 510, 511. Comparare solent Iliad. υ, 461, 462. — 513. *Ille* Aeneas *maestum*, ipsa morte, puto, quam subiturus erat. Servius tristem, severum, σκυθρωπόν, exponit. *Nomen Echionium*: quoad nomen, nomine, Echionis filium; uti et *genus* mox. Nec vero de Echione Thebano cogitandum; mater Ἱππεδία. — 516. *Hic* Turnus. *Lycia et Apollonis agris*: respicit Pataram cum templo Latonae et liberorum. — 517-520. Egregie ad miserationem faciendam ornavit locum; idque eo sagacius fecit, quod statim atrox rerum facies succedit; *Ac velut* etc. Similis elegantiae locum vide ap. Ovid. Met. III, 682 sqq. *Lerna* autem, etsi Argivi agri fluvius et palus, non

Ac, velut inmissi diversis partibus ignes
Arentem in silvam et virgulta sonantia lauro,
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes et in aequora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segnius ambo 525
Aeneas Turnusque ruunt per proelia; nunc, nunc
Fluctuat ira intus; rumpuntur nescia vinci
Pectora; nunc totis in volnera viribus itur.
Murrhanum hic, atavos et avorum antiqua sonantem
Nomina per regesque actum genus omne Latinos, 530
Praecipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
Excutit effunditque solo. Hunc lora et iuga subter
Provolvere rotae; crebro super ungula pulsu
Incita nec domini memorum proculcat equorum.

tamen a confiniis Arcadiae multum abest. Ex Evandri autem copiis fuisse putandus.

521 sqq. Hic iam variavit ea, quae lib. II, 304 sqq. posuerat, ubi vide notam. Comparatio utraque in Homero et Apollonio obvia. De priore in primis cf. Il. λ, 455; Apollon. I, 1026 sq. Vid. X, 405. — 522. silvam lauream intellige: posito generi, silvae, subiungit formam seu speciem, ex more. Pro virgultis *laurorum, lauri*, doctius dixit *virgulta lauro*. Cf. lib. III, 442 et VI, 704. — 525. *quisque suum populatus iter*; graviter pro decurrens, sed populando, cum vastatione agrorum. — 526. *per proelia*, ordines pugnantium, aciem. — 527. *fluctuat ira*: quasi fluctus agit, aestuat, IV, 530: Dido *magno irarum fluctuabat aestu*: petita rei imagine ab aqua effervescente et aestuante: quae, dum vas eam non capit, luctatur et allaborat, ut erumpat. Cf. Lucret. III, 298, 299. Hinc plenum aqua vas *rumpitur*, vocabulo solenni de copia. Sic *rumpuntur horrea messibus*, Ge. I, 49. cf. ad Tibull. II, 5, 84. Itaque nunc *rumpuntur pectora*, exaestuante ira, quam vix continere possunt.

529. *hic*, Aeneas esse debet, nam Latinum occidit: et cf. v. 638. *sonantem*, h. e. crepantem, iactantem, dixit: ut alias *sonare* est loqui, commemorare. — 530. *genus actum*, ea actum, ductum, procedens, per regea Latinos; omnes eius maiores regia fuerant dignitate. Mirifice argutantur Intpp. — 531. *turbine* docte pro iactu, sed cum rotationis notatione. *excutit* curru, ut e sqq. — 532. Provolutus ille est subter currum; impeditus habenis et rotis: his quidem equorum impetu ruentibus, illis autem seu manu elapsis seu manui implicitis, ut igitur duplici ex ratione subter iuga, sub currum provolverentur; et lora et rotae eum provolverunt subter iuga, currum. Equi *nec memores*, immemores *domini*, ad miserationem dicti sunt.

Ille ruenti Hyllo animisque inmane frementi 535
Occurrit telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te, Graium fortissime Cretheu,
Eripuit Turno; nec di texere Cupencum
Aenea veniente sui; dedit obvia ferro 540
Pectora, nec misero clipei mora profuit aerei.
Te quoque Laurentes viderunt, Aeole, campi
Oppetere et late terram consternere tergo;
Occidis, Argivae quem non potuere phalanges
Sternere nec Priami regnorum eversor Achilles: 545
Hic tibi mortis erant metae; domus alta sub Ida;
Lyrnessi domus alta, solo Laurente sepulcrum.
Totae adeo conversae acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidae; Mnestheus acerque Serestus
Et Messapus equum domitor et fortis Asylas 550
Tuscorumque phalanx Evandrique Arcades alae:
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi.
Nec mora nec requies; vasto certamine tendunt.

535. *Ille*, Turnus. — 536. *aurata ad tempora*, aurata galea tecta, ut v. sq. — 537. *fixo* h. l. transfixo. — 538. Graecum Crethes puta fuisse ex Arcadibus. *dii sui*, s. quorum in tutela erat, a. propitii, ut alibi. Aeolus ex Lyrnesso Mysiae sub Ida, qua parte postea Aeolis regio patuit: cf. Burm. ad Ovid. Met. VII, 409, ut videatur poëta fabulam ignotam etiam h. l. esse sequutus. Ex Lyrnesso capta erat Briseis, Hippodamia. — 543. *late terram consternere tergo*. ἐναργέστερον est Homericum: πολλὸς ἔκειτο παρήορος ἔνθα καὶ ἔνθα Il. π, 456. In tota autem narratione hac a v. 538 variatae orationis ars observanda est. — 546. *mortis metae*, θανάτου τέλος vel τέκμαρ, quatenus ipsa mors pro meta est. Alias etiam *vitae meta* recte dicitur. Ceterum colorem orationis comparant cum Il. η, 104. υ, 390. Sed proprie huc spectat Il. π, 787. ἔνθ' ἄρα τοι, Πάτροκλε, φάνη βιότοιο τελευτή. — 548. *conversae* h. l. inter se ad pugnandum: ut συστρεφεῖς. Pugna per totam utrinque aciem increbuit. — 522. *Pro se quisque viri*, verba repetita ex lib. V, 504. Exemplum ex Attio in Meleagro laudat Vrsin., ubi etiam *Pro se quisque*; quod inter imitationis exempla perperam refert. Et iam altarum hemistichium, quod iam IX, 532 vidimus, Ennianum esse Servius monet: *summa nituntur opum vi*.

Hic mentem Aeneae Genetrix pulcerrima misit,
Iret ut ad muros urbique adverteret agmen 556
Ocius et subita turbaret clade Latinos.
Ille ut vestigans diversa per agmina Turnum
Huc atque huc acies circumtulit, adspicit urbem
Inmunem tanti belli atque inpune quietam.
Continuo pugnae adcendit maioris imago; 560
Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum,
Ductores, tumulumque capit, quo cetera Teucrum
Concurrit legio, nec scuta aut spicula densi
Deponunt. Celso medius stans aggere fatur:
Ne qua meis esto dictis mora! Iuppiter hac stat: 565
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito!
Vrbem hodie, caussam belli, regna ipsa Latini,
Ni frenum adcipere et victi parere fatentur,

551. Aeneas Turnum videns congressum vitare nec praelio Rutulorum vires frangi repente se ad urbem Laurentum oppugnandam convertit. *Hic mentem*, consilium immisit, indidit, Venus: *pulcerrima*, tantum ornans epitheton. Male repugnat Cerda cum aliis. Cum iam novissima totius belli et carminis parentur: ea quidem ipsi urbi Laurentum propius admovere voluit poëta, ut omnia essent ipsa rerum specie et hominum frequentia augustiora utque peripetia aliqua etiam haec esset; cum antea Troianorum castra oppugnata essent a Latinis, ut nunc eadem fortuna transferretur ad Latinos. Bona etiam Servii observatio: »Sane bona, inquit, usus est oeconomia, ut diceret instinctu numinis profectum esse Aeneam ad civitatis excidium: nam incongruum fuerat, occupatum bello per se tale cepisse consilium.« Immo incongrua est causa. Sed faciat poëta hoc, ut ipsi consilio maior auctoritas accedat deae monito. —556. *clade*, proprie, metu cladis, captae urbis.

560. In sqq. adumbratur allocutio militum. Brevitas et asperitas in ea commendanda venit. —565. *Iuppiter hac stat*: hac parte; h. e. pro nostra parte. Respicit scilicet foedus a Latinis violatum. Ennianum esse Macrobius monuit, lib. VI, 1 ex Annal. VII. *Non semper vestra* (l. *nostra*) *evertit: nunc Iupiter hac stat.* —567. *causam belli.* Servius ait: quia illic erat Lavinia. Cerda ad Amatam refert: ut v. 600. Immo vero graviore usus est verbo poëta. Auctores belli erant Latini, qui bellum intulerant. Quod Latinis tribuendum erat, urbi tribuit: quae sane arx erat belli. A Laurentinis enim illata erant arma. Sic et v. 572 accipiendus. — 568. *urbem* et *victi* ad sensum, non grammatice, positum. Ceterum hunc ver-

Eruam et aequa solo fumantia culmina ponam.
Scilicet exspectem, libeat dum proelia Turno 570
Nostra pati rursusque velit concurrere victus?
Hoc caput, o cives, haec belli summa nefandi!
Ferte facies propere foedusque reposcite flammis.
Dixerat, atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum densaque ad muros mole feruntur. 575
Scalae inproviso subitusque adparuit ignis.
Discurrunt alii ad portas primosque trucidant;
Ferrum alii torquent et obumbrant aethera telis.
Ipse inter primos dextram sub moenia tendit
Aeneas magnaque incusat voce Latinum 580
Testaturque deos, iterum se ad proelia cogi;
Bis iam Italos hostis; haec altera foedera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia civis:
Vrbem alii reserare iubent et pandere portas
Dardanidis ipsumque trahunt in moenia regem; 585
Arma ferunt alii et pergunt defendere muros:
Inclusas ut quum latebroso in pumice pastor

sum quosdam per figuram Graecam exposuisse observat Servius, ut esset: ὁμολογοῦσι μέλλειν λαβεῖν. Sane ad vulgarem formam erat: *ni fatebuntur se velle accipere*. Sed mutato tempore et omissione τοῦ *velle* opus erat, ut a vulgari recederet oratio. — 572. *caput belli et summa* est ipsa Laurentum urbs, quatenus illa caput est populi bellum gerentis. Cf. not. ad v. 567. De Turno quis tandem hic cogitet! — 573. *foedusque reposcite flammis*. Nescio, an nimis argute dixerit poëta, si flammam sacrorum foederi feriundo respexit. Malim accipere simpliciter illato urbi igni reposcite id, quod foedere iam pepigerant Latini.

575. Ipsi certatim, certantes inter se, *dant cuneum*, faciunt; ut toties *dare* nostro poëtae. — 576. *Scalae inproviso*: nota figura verbum petendum ex altero membro, apparuerunt, prolatae, admotae sunt. — 577. *primos trucidant*. Bene Servius: qui primi ad portas erant obvii, scilicet stationem agentes. — 582. Variat orationem: *haec iam altera*, pro: bis ruptum foedus, bis Italos, Latinos, hostes factos: conf. 212 sqq. et VII, 263, 285. — 585. Trahunt regem ad muros, haud dubie dedendae urbis et renovandi foederis causa. Nihil apertius.

587 sqq. Accipiendum de fomigationa, qua, ut favos eximat mellarius, expelluntur alveariibus apum examina: cf. Ge. IV, 219. Compara-

Vestigavit apes fumoque inplevit amaro;
Illae intus trepidae rerum per cerea castra
Discurrunt magnisque acuunt stridoribus iras; 590
Volvitur ater odor tectis; tum murmure caeco
Intus saxa sonant; vacuas it fumus ad auras.
Adcidit haec fessis etiam fortuna Latinis,
Quae totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem, 595
Incessi muros, ignis ad tecta volare,
Nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni;
Infelix pugnae iuvenem in certamine credit
Exstinctum et, subito mentem turbata dolore,
Se caussam clamat crimenque caputque malorum, 600
Multaque per maestum demens effata furorem
Purpureos moritura manu discindit amictus
Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.
Quam cladem miserae postquam adcepere Latinae,

tionem Apollonio sublegisse Maronem satis iam monuerunt Intpp. Locus est de Bebrycum fuga lib. II, 130 sqq.; noster vero ad urbanorum discursationem et trepidationem transtulit et ornamenta varia adiecit: v. c. πέτρῃ ἐνὶ est *latebroso in punice*. καπνιᾷν est *fumo inplere amaro*. — *vestigavit* est pro invenit et ἀορίστως accipiendum, in latebra, antro, eas detegit. *trepidae rerum* sollenni (cf. I, 178) ornatu, pro *trepidae* simpliciter: trepidae de rebus, propter res, propter casum repentinum; in trepidis rebus constitutae, ἀμηχανοῦσαι. — 591, 592 tantum ad exornandam comparationem valere debent, subnati ex verbis Apollonii: ἐπιπρὸ δὲ λιγυνόωντι Καπνῷ τυρόμενοι. Studium ornatus videmus vel in his: *fumus amarus*, molestus, *ater odor*. Omissa in fine ad 592 applicatio comparationis: Similis fortuna et trepidatio nunc erat in urbe Latinorum.

593. Nova calamitas afflixit Latinos casu Amatae, *fessos*, malis et iam animis fractos. — 600, *caput*, auctorem, ut XI, 361 de Turno: *o Latio caput horum et caussa malorum*, et *crimen*, rerum, qui culpam meruit. — 603. Mortem Amatae iam exspectare nos fecerat vss. 62, 63. Nec pro odio illa suo in Aeneam superstes Turno esse debebat. Sed infame hoc mortis genus poëtam maluisse mirum videri debet. Scilicet nec hoc ad sui saeculi sensum attemperavit, nec ad nostram opinionem est diiudicandum: est enim hoc genus mortis heroicum ac tragicum, h. e. carminibus et tragoediis Graecorum frequentatum. Nobile ideo leti genus ex antiquo more, in pri-

Filia prima manu flavos Lavinia crinis 605
Et roseas laniata genas, tum cetera circum
Turba furit; resonant late plangoribus aedes.
Hinc totam infelix volgatur fama per urbem.
Demittunt mentis; it scissa veste Latinus
Coniugis adtonitus fatis urbisque ruina, 610
Canitiem inmundo perfusam pulvere turpans;
* Multaque se incusat, qui non adceperit ante *
* Dardanium Aenean generumque adsciverit ultro *.
Interea extremo bellator in aequore Turnus
Palantis sequitur paucos, iam segnior atque 615
Iam minus atque minus successu laetus equorum.
Adtulit hunc illis caecis terroribus aura
Conmixtum clamorem, adrectasque inpulit auris
Confusae sonus urbis et inlaetabile murmur.
Heu mihi! quid tanto turbantur moenia luctu? 620

mis in feminis. Sic Iocasta laqueo spiritum interclusit, Epicaste Homero dicta Odyss. λ, 277 sqq. Sic mater Vlyssis Anticlea; Clite ap. Apollon I, 1063. Phaedra et aliae. Hanc ideo mortem praetulit poëta historiarum fidei, qua apud Servium Fabius Pictor Amatam inedia se interemisse tradiderat. At Piso apud Victor. O. G. R. 13 simpliciter: *interfecto Latino* (in pugna cum Rutulis) *mortem* Amatam *sibimet conscivisse. Nodum nectit*, funem, βρόχον ἀνῆψε. *nodum leti* dixit pro nodo letifero; et *letum informe* pro turpi, foedo, eximie! — 614. Pathos habet versus et miserationem facit; *inmundo* simpliciter ornat, ut Ge. I, 84. Scilicet χοῦν αἰθαλόεσσαν reddidit, quae non modo de cinere foci in propinquo stantis (ut Il. σ, 23 de Achille), sed et de pulvere occurrit Od. ω, 315. *Canitiem terra atque infuso pulvere foedans* praeiverat iam Catullus LXIII, 224. — 612, 613. Hi duo versus in optimis codd. desiderantur, translati huc ex lib. XI, 471, 472.

614—996. Revocandum in mentem, quod Iuturna ad extremos ordines Turnum deduxerat: 483 sqq. Nunc illum pavor subit cum poenitentia, cum urbem oppugnari videt; tandem, novo nuntio a Sace accepto, curru desilit et ad urbem properat. — 616. Turnus tristis et sollicitus *successu equorum*, quus viribus ac cursu deficere tandem videbat. Ergo *successus* h. l. non est fortunae, sed processus, procursus equorum, cuius velocitas sensim sensimque imminuebatur. Videtur poëta vocem exquisitiorem ad significatum minus frequentem traduxisse. — 617. *caecis terroribus*, terrore, cuius causam igno-

Quisve ruit tantus diversa clamor ab urbe?
Sic ait adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem, soror, ut conversa Metisci
Aurigae currumque et equos et lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, sequamur 625
Troiugenas, qua prima viam victoria pandit;
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.
Ingruit Aeneas Italis et proelia miscet;
Et nos saeva manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior pugnae nec honore recedes. 630
Turnus ad haec:
O soror, et dudum adgnovi, quum prima per artem
Foedera turbasti teque haec in bella dedisti;
Et nunc nequidquam fallis dea. Sed quis Olympo
Demissam tantos voluit te ferre labores? 635
An fratris miseri letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quae iam spondet Fortuna salutem?
Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem
Murrhanum, quo non superat mihi carior alter,
Oppetere, ingentem atque ingenti volnere victum. 640

rabat. — 621. *diversa ab urbe*, in diversa parte alta: clamor enim ei a tergo oritur. — 627. Verborum color comparatur cum Il. ν, 312 sqq. — 629. *mittamus funera Teucris*. Alias est *mittere aliquem neci*, *Orco*; et *mittamus funera Teucris* pro: Teucrorum corpora. — 630. *numero* sc. funerum, h. e. caesorum. Ita Servii interpretatio lucem accipit. Durius esset: *mittamus funera*, immittamus mortes.

632. Non est acerbe a poëta exigendum, ut argumenta exponat diserte, quibus agnoverit Turnus deam sororem. Sufficit evenisse multa inopinato et a causis obscuris inde a v. 225 sqq. Potuit etiam in habitu vel motu corporis aliquid esse, quod deam arguerel. Similiter rea se habet in loco, quem comparare solent, Il. ε, 815. — 634. *fallis*, λανθάνεις, latere vis. — 638. *Vidi*. Non reprehendendum erat a Grammaticis, hoc in superioribus nusquam legi, neo Murrhani caede 529 narrata adiectum esse hoc, quod Turni ante oculos, Turnoque invocato, ille occubuerit; sive phantasma hoc est, quod animo Turni obversatum dici poterat: sic IV, 460, 461 de Didone; et saepe alii poëtae; seu, quod equidem malim, vere Murrhanum occidi viderat et poëta id nunc demum subiicit. Ornatius autem ex-

Occidit infelix; ne nostrum dedecus, Vfens,
Adspiceret; Teucri potiuntur corpore et armis.
Exscindine domos, id rebus defuit unum,
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? et Turnum fugientem haec terra videbit? 645
Vsque adeone mori miserum est? vos o! mihi Manes
Este boni, quoniam Superis aversa voluntas.
Sancta ad vos anima atque istius inscia culpae
Descendam, magnorum haud umquam indignus avorum.
Vix ea fatus erat; medios volat ecce! per hostis 650
Vectus equo spumante Saces, adversa sagitta
Saucius ora, ruitque inplorans nomine Turnum:
Turne, in te suprema salus; miserere tuorum.
Fulminat Aeneas armis summasque minatur
Deiecturum arcis Italum excidioque daturum; 655
Iamque faces ad tecta volant. In te ora Latini,
In te oculos referunt; mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet aut quae sese ad foedera flectat.
Praeterea regina, tui fidissima, dextra
Occidit ipsa sua lucemque exterrita fugit. 660

tulit Maro, quod simpliciter Il. ι, 467 κεῖται ἀνήρ. etc. — 641. *Vfens*, occisus a Gya, v. 460, adduxerat Aequiculas. De eo lib. VII, 744 sqq. — 646. *Vsque adeone mori*. Neronia voce celebratum hemistichium apud Sueton. Ner. 47. *Manes* hic sunt dii inferi, ut alibi quoque; *boni*, propitii, ut Ecl. V, 65. Sententia vss. 646, 647 fere eadem quae XI, 51, 52: quoniam deorum superorum voluntas, numen adversum est, vos, o dii inferi, sitis mihi propitii. — 648. *culpae*, ignominiae, fugae. Pronuntiatio subsistit in *anima*; et hic hiatus quaerendus erat; non post *istius*.

650. Labefactum Turni animum nunc impellit, utque Aeneae occurrat, permovet nova res: Sacae vulnerati et orantis miseratio. Expressit locum Statius XI Theb. 239 sqq. — 654. *fulminat*: grave vocabulum, cuius vim nulla vulgari voce assequaris. Stragem eum late facere significat, sed ad oculorum sensum rem revocat celeritas motus et splendor armorum; unde et IX, 812 erat *fulmineus Mnestheus*. Voce iam Ge. IV, 561 usus est; cf. v. 700. — 657. *mussat* h. l. tacite deliberat. Manet tamen notio, quae XI, 345 et 451 atque 718 redit, ut mussare sit, non audere aperte dicere. Eodem redeunt alia apud Cerdam et al. — 659. *tui fidissima*, pro vulgari: in te, tibi; ad formam illius: tui amantissima, inflexum. — 660.

Soli pro portis Messapus et acer Atinas
Sustentant aciem. Circum hos utrimque phalanges
Stant densae, strictisque seges mucronibus horret
Ferrea : tu currum deserto in gramine versas.
Obstupuit varia confusus imagine rerum 665
Turnus et obtutu tacito stetit. Aestuat ingens
Vno in corde pudor mixtoque insania luctu
Et furiis agitatus amor et conscia virtus.
Vt primum discussae umbrae et lux reddita menti,
Ardentis oculorum orbis ad moenia torsit 670
Turbidus eque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem flammis inter tabulata volutus
Ad coelum undabat vortex turrimque tenebat,
Turrim, conpactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdideratque rotas pontisque instraverat altos. 675
Iam iam fata, soror, superant; absiste morari;
Quo deus et quo dura vocat Fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Aeneae, stat, quidquid acerbi est,
Morte pati; nec me indecorem, germana, videbis
Amplius. Hunc, oro, sine me furere ante furorem. 680

exterrita: quod 599 dixerat: *subito mentem turbata dolore*, in furorem acta. — 664. *deserto in gramine*, extremo campo: v. 614. — 667. *uno in corde*, una eodem in corde. — 668. *Furias* ad desperatas Lavinise nuptias refer.

669. *umbrae*: quia in vulgari sermone *caligo mentis* dicitur. — 672. Turrim ex seriore aevo heroicae vitae intulit poëta: diversi generis ab ea, quae IX, 530 sq. fuit narrata; illa extra murum, haec intra murum exstructa fuit. Admovebatur illa muris, ut inde desuper et ex alto hostis missilibus peti possit: subnata fortasse poëtae animo ex nave incensa II. o, extr. et π, 122 sqq. trina autem turrium genera occurrunt: primum sollenne illud in muris, ut II, 460 etc., alterum mobile rotis subvectum intra muros pro usu et necessitate: tertium h. l. ante murum, cum quo ponte iungitur, ut pro propugnaculo sit, IX, 530 sq. *Tabulata* sunt turris contignationes, v. lib. II, 463, 464. *vortex flammis volutus* elegantius quam vortex flammarum. — 675. *pontes*, quibus discursus fieret per turrim et muros, v. IX, 470 et 530. — 676. Vincunt fata, parendum iis est nec evitare ea licet. — 678. Melius, puto, interpungitur post *Morte*, ut sit: *Stat, quicquid acerbi est Morte, pati*. — 680. In archaismo in *furere furorem* nemo haereat; sed, quod illustratum et ex-

Dixit et e curru saltum dedit ocius arvis
Perque hostis, per tela ruit maestamque sororem
Deserit ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti, montis saxum de vertice praeceps
Quum ruit avolsum vento, seu turbidus imber 685
Proluit aut annis solvit sublabsa vetustas,
Fertur in abruptum magno mons improbus actu
Exsultatque solo, silvas, armenta virosque
Involvens secum: disiecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso 690
Sanguine terra madet striduntque hastilibus aurae,
Significatque manu et magno simul incipit ore:
Parcite iam, Rutuli, et vos tela inhibete, Latini;

positum velles, hoc fortasse est: quam vim h. l. habeat *ante*. Servius exponit: « prius quam ad eum veniam, ut pugnam mente concipiam et instructus furore in bella prorumpam. » Digna Grammatico interpretatio, non poëta! Cerda cum aliis *priusquam moriar* supplet, quod aeque putidum. Neque aliter explari potest, quam *ante*, antequam *morte patiar quicquid acerbi est*. Video, inquit, mortem fatalem mihi instare; ante tamen quam eam subeam, sine me pugnam hanc cum eo inire, non pugnam evitare. Nisi vitio coinquinatus est versus, est utique inter eos, quos poëta, donec emendaret, rudere, ne haerent, complevit. Alias facile poterat succurri: *sine me furere, alma*, *f.* vel *sine me insanire furorem*. Sine me, o soror, indulgere *furori huic meo*, hoc est irae, virtuti, ut congrediar cum Aenea, etiam si fatalis mors instet; neque me ad alia loca abductum a pugna arce.

684 sqq. Comparatio ex ipsa rerum natura unicuique facile poëtae obvia. Nec tamen ignorare potuit Virgilius eam iam ab Homero tractatam Il. ν, 137 sq. Hesiod. Scut. 374 sqq. 437. Ex Virgilio profecerunt alii: Statius VII Theb. 744 sqq. Valer. Fl. VI, 631 sqq. Add. Tassus *Gierus. lib.* XVIII, *st.* 82. Sed omnium diligentissimus in ornamentis Q. Calaber lib. I, 694 sqq. lib. II, 378 385. Maronis laudem cumulat oratio elaborata et phantasmatum delectus simulque ἐνάργεια. — 685, 686. Ornat causarum enumeratione et variat orationem pro vulgari: avolsum vento seu imbre seu vetustate. *sublabsa vetustas* saxi, pro saxo sublabso vetustate: traducto attributo. —687. *actu* exquisite, impetu, impulsu *agi* pro moveri, deturbari, docte dictum; hinc *actus*. — *mons* pro saxo, ut augeat phantasma, *improbus*, ingens, ut al. 688, 689. His exornatur res et increscit admiratio. Haec multo ἐναργέστερα et ad sensum efficaciora fiunt, si Graeca compares aut si ad simplicitatem orationis vulgaris singula redegeris.

690, 691. Simplicibus verbis eadem dicta Il. ν, 789 et v. 692 comparari solet cum Il. γ, 81. Odyss. ω, 529 sqq. —692. Magna voce infit. —694.

Quaecumque est Fortuna, mea est; me verius unum
Pro vobis foedus luere et decernere ferro. 695
Discessere omnes medii spatiumque dedere.
At pater Aeneas, audito nomine Turni,
Deserit et muros et summas deserit arcis
Praecipitatque moras omnis, opera omnia rumpit
Laetitia exsultans horrendumque intonat armis: 700
Quantus Athos aut quantus Eryx aut ipse coruscis
Quum fremit ilicibus, quantus gaudetque nivali
Vertice se adtollens pater Appenninus ad auras.
Iam vero et Rutuli certatim et Troës et omnes
Convertere oculos Itali quique alta tenebant 705
Moenia quique imos pulsabant ariete muros,
Armaque deposuere humeris. Stupet ipse Latinus,
Ingentis, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coiisse viros et cernere ferro.
Atque illi, ut vacuo patuerunt aequore campi, 710

verius est, iustius est, me unum pro omnibus rupti foederis poenam luere, ut iam Serv. Nota nunc vocis *verus* significatio e graecis adumbrata, vel ex illo Horatiano: *Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.*

697 sqq. Aeneas cum comperisset Turnum haud longe abesse, in eum ruit et pugnam cum eo committit; pugna tamen iterum differtur, fracto Turni gladio eiusque fuga. Praeclarus locus: primum in exhibenda impatientia moraé et festinatione; tum in phantasmate mirae heroum magnitudinis et speciei corporis. *summas arces*, h. l. turres, ardua murorum, ut vs. 705. 6. *alta moenia* oppositis *imis muris*. *praecipitatque moras omnes*, ornate, h. e. omnia, quae eum morari poterant, festinanter agit. — 700. *intonat armis*, tantus corporis specie, *quantus Athos*. Nam ad incessum haec spectant; qualis incedens Aeneas apparuerit. Etiam Hector apud Homerum H. ν, 754: ὡρμήθη ὄρει νιφόεντι ἐοικώς, sed ornatius Maro singula montium nomina ponit, quod efficacius ad sensus impulsum est. Duxit hinc Miltonus magnificum ac sublime illud Satanae phantasma: *dilated stood, Like Teneriff or Atlas, unremov'd: His stature reach'd the sky, and on his crest Sat Horrour plum'd. Parad. lost* IV, 894. — 702. *cum fremit* ventorum procellis: hinc et *coruscae* ilices, variante variato arborum motu luce et umbra. Sic I, 161: *silvis scena coruscis*. — 709. *cernere*, κρίνειν τὸν ἀγῶνα pro decernere, iam Ennio frequentatum. Cf. Heins. ad h. l. post alios. — 710. Cf.

Procursu rapido, coniectis eminus hastis,
Invadunt Martem clipeis atque aere sonoro.
Dat gemitum tellus; tum crebros ensibus ictus
Congeminant; fors et virtus miscentur in unum.
Ac, velut ingenti Sila summove Taburno 715
Quum duo conversis inimica in proelia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessere magistri,
Stat pecus omne metu mutum mussantque iuvencae,
Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur,
Illi inter sese multa vi volnera miscent 720
Cornuaque obnixi infigunt et sanguine largo
Colla armosque lavant; gemitu nemus omne remugit:
Haud aliter Tros Aeneas et Daunius heros
Concurrunt clipeis; ingens fragor aethera conplet,
Iuppiter ipse duas aequato examine lances 725
Sustinet et fata inponit diversa duorum;
Quem damnet labor et quo vergat pondere letum.

vs. 696. — 712. *Invadunt Martem*: elato spiritu, pro incipiunt pugnam, cf. IX, 186 *clipeis atque aere sonoro*: utrumque de clipeis collisis. 724 repetitur: *Concurrunt clipeis*. — 714. *fors et virtus*. Non fors Turni, Aeneae virtus: sed pugnantes non modo virtutem praestant, sed et casum ac fortunam in ictibus et vulneribus inferendis observant: v. c. si videt alter alterum nudare latus. Omnis autem haec pugna ensibus peragitur, hastis frustra emissis vs. 711.

715. Ornatissima comparatio: inventu facile cuivis obvia, sed tam splendide et magnifice vix a quopiam tractata. Nam tenuiter Apollon. lib. II, 88, 89. Sed ipse Maro iam pugnam taurorum copiose tractaverat in Ge. III, 217 sqq. Cum quo conferre iuvabit Oppian. Cyneg. II, 43 sqq. Ornat notionem silvae positis nominibus celebriorum silvarum, Silae, silvae et montis in Bruttiorum agro (v. ad Ge. III, 219) et Taburni in Samnio (v. Ge. II, 38). — 717, 718, 719. Valent haec ad pugnae atrocitatem declarandam *mussantque*, tacite exspectant, conf. 657. — *nemori*, pro pascuis, saltu: ut in Georg. v. c. II, 216. et v. h. l. Heins., nunc et ipsis armentis. Ad vs. 720. conf. Ge. III, 220 sqq. — 724. Cum poëta post tot alias pugnas copiosus in hac Aeneae et Turni pugna esse non posset: ut tamen animum eius phantasmate ac specie percelleret, primum comparatione effecit ad sensum gravi: fragore audito armorum: quod ad auditum terrificum est. — 725, 726, 727. Apud Homerum Iovem fata, κῆρας, Hectoris et Achillis II.

Emicat hic inpune putans et corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem
Et ferit. Exclamant Troës trepidique Latini, 730
Adrectaeque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur in medioque ardentem deserit ictu,
Ni fuga subsidio subeat. Fugit ocior Euro,
Vt capulum ignotum dextramque adspexit inermem.

χ, 209 sqq. Achivorum et Troianorum Il. Θ, 69 libra expendere notum est; sed ibi alterutrius exitium iam instare declaratur: quod sequutus est Miltonus in praestantissimo loco lib. IV, 996 sqq. cf. Observatt. Heynii ad Hom. Il. χ, 209. (Vol. VIII. ubi p. 285. emendes lin. 31. Achillis cum Memnone.) Maro ad diversum phantasma interpretes avocare debebat: ad magnitudinem pugnae et exspectationem exitus, quam ea faciebat. Non modo homines suspensi exspectant, sed ipsi dii; ipse Iupiter libra pugnantium fata trutinat, sed aequa adhuc lance nec in alterutram partem propensa. — *quem damnet labor, quo vergat pondere letum:* praegnans oratio. Videamus primum de posteriore, quod esse debebat proprie: utra lanx pondere vergat (καταῤῥέπει) eoque ipso mortem denuntiet; *letum* itaque pro ipsa lance dixit, qua inclinata subsequitur mors. Iam prius membrum *quem damnet labor* equidem sic accipio, ut eandem sententiam more suo bis exponat poëta: quem *damnet* sc. leto (*damnare mortis* erat VI, 430 et *damnare caput Orco* 699) utrum e duobus his morti destinet iniqua sua fortuna, calamitas sua; seu *labor* simpliciter pugna, ut πόνος, μόχϑος. Est ergo vulgare: uter, lance alterutra depressa, morti destinetur. Video alios accipere pro: qui damnetur et addicatur labori; Scaliger vero: a quo frustra labor suscipiatur. Nondum damno meam rationem. At Servius contraria iuncta putabat: „id est, inquit, quem voto liberet labor praeliandi, parta scilicet victoria etc.“ Parum luculenter declarat mentem Grammaticus; hoc enim vult, ut sit: quem h. e. utrum voti damnet pugna (ut Ecl. V, 80: *damnare votis*) h. e. successus, eventus pugnae. Sed, an *damnare* absolute a poëta ita dictum sit, recte dubites. Cf. Macrob. V, 13.

728. Turnus, *inpune putans* id sibi futurum, tuto se illaturum ictum; *consurgit*, insurgit, ut XI, 284: *quantus in clipeum assurgat.* — 731. Ductus casus ex Il. γ, 363, ubi Menelai ictum, quo Paridem petit, similis fortuna eludit. Facit autem novam voluptatem novamque exspectationem, quod ne nunc quidem Turni fata exitum habent, sed ad novam pugnam differuntur. — 732. Sententia imperfecta. Post hunc versum animo supplendum: et inermis sic relictus Turnus periisset utique, ni fuga sibi consuluisset: *Ni fuga subsidio subeat*, subiisset aut ut subiret eius animo aut omnino pro subvenisset, auxilio fuisset. — 734. Capulum mutilum (κόλον δόρυ Iliad. π, 117) *ignotum* dixit, quoniam alienum, non suum, sed Metisci; ut statim exponit diser-

Fama est praecipitem, quum prima in proelia inuctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto 736
Dum trepidat, ferrum aurigae rapuisse Metisci;
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit: postquam arma dei ad Volcania ventum,
Mortalis mucro glacies ceu futilis ictu 740
Dissiluit; fulva resplendent fragmina arena.
Ergo amens diversa fuga petit aequora Turnus
Et nunc huc inde huc incertos inplicat orbis.
Vndique enim densa Teucri inclusere corona
Atque hinc vasta palus hinc ardua moenia cingunt. 745
Nec minus Aeneas, quamquam tardata sagitta
Interdum genua inpediunt cursumque recusant,
Insequitur trepidique pedem pede fervidus urguet:
Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum aut puniceae saeptum formidine pennae 750
Venator cursu, canis et latratibus instat;

tius poëta. Nam cinxerat ille quidem, cum exiret ad pugnam, ensem Dauni patris (v. hoc lib 89, 90); sed mox eo deposito ad foedus ibat in bigis, *Bina manu lato crispans hastilia ferro* v. 165.

735. *cum prima*; 324 sqq. — 739. *arma dei ad Volcania*: novatum docte exemplo Graecorum, inprimis Tragicorum, pro ad arma dei Volcani vel arma divina Volcani. — 740. Locus similis Q. Calabri lib. I, 545-548. Bene autem nunc, cum ad summum discrimen ventum est, armorum a deo paratorum memoria refricatur. — 740. *futilis* pro vulgari: fragilis. — In sqq. 742 vestigia sunt fugae Hectoreae Il. χ, 136 sqq. Certamen hoc ante oculos habuere e recentioribus multi, in primis Tassus in pugna Argantis et Raimondi *Gierus. liber. Cant. VII. St.* 80 sqq. — 743. *orbis* v. vs. 481. — *inplicat*, eleganter pro facit, implicito cursu. — 745. *vasta palus*; non Iuturnae, nam is nimium quantum aberat, sed colluvies aquarum agrestis: ut omnino Laurentina regio erat et etiamnum est palustris, v. ad X, 709. — *gemma tardata sagitta*, vulnere 319.

746—790. Dum Turnus fugiens Aeneam insequentem cursu eludit, ut ab eo gladio peti non posset, ecce, dum Aeneas hastam trunco fixam extrahere laborat, a sorore Iuturna alium gladium accipit. — 749. Primae comparationis lineae in Hectoris fuga Il. χ, 188 sq. et x, 560. Ornavit narrationem simili exemplo Oppian. Halient. V, 586 sqq. *inclusum flumine*, dum fugiens venit ad amnem, in quem se deiicere non audet, *ripa territus alta* vs. 752. — 750. *aut puni-*

Ille autem insidiis et ripa territus alta
Mille fugit refugitque vias, at vividus Vmber
Haeret hians, iam iamque tenet similisque tenenti
Increpuit malis morsuque elusus inani est. 755
Tum vero exoritur clamor; ripaeque lacusque
Responsant circa et coelum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens Rutulos simul increpat omnis,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensem.
Aeneas mortem contra praesensque minatur 760
Exitium, si quisquam adeat; terretque trementis
Excisurum urbem minitans et saucius instat.
Quinque orbis explent cursu totidemque retexunt
Huc illuc. Neque enim levia aut ludicra petuntur
Praemia; sed Turni de vita et sanguine certant. 765
Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum,
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo et votas suspendere vestis:

ceae, cf. Ge. III, 372. — 752. *insidiis*: sunt illae ipsae lineae pinnis ac formidine distinctae, quas expaveacens cervus non transilit. — 753. *Vmber*, canis ex Vmbria: quod facile vides. — 754, 755 Lepidum ornamentum comparantis rei: petitum ex Apollon. lib. II, 278 281. Imitationes sunt Ovidii Met. I, 533 sqq. et Statii V Theb. 165 sqq. — 756. *lacus* ex 745; intelligenda autem arundo et arbusta circa paludem. — 760 sqq. Prorsus ad Homeri ductum in Hectoris fuga Iliad χ, 205 sq. Ad nostrorum vero hominum sensus de decoro herois haec exigenda nequaquam. Hostem in congressu pugnae semel victum, etiam inermem ac nudum trucidat Homericus ac Virgilianus heros: et nescio an nostra aetas in praeliis aliud probet. De nostrorum autem certaminum ac pugnarum (seu duellorum) singularium ludibriis cogitare h. l. interpretes non debebant. *et saucius*, vel etsi saucius; vel, quantum licebat ei saucio. — 763. *retexunt* eleganter, repetunt, recurrunt. Cf. lib. V, 583, 584. — In verss. 764, 765, transferi Homericos notissimos versus Il. χ, 158-161. *levia aut ludicra*: qualia erant in certaminibus ac ludis, seu στεφανῖται illi essent seu χρηματῖται.

766. Vim poëticam Maroni propriam in oleastro hoc ornando agnosce: simpliciter declarandus erat locus, quo hasta haerebat. Videtur ea sata quasi esse ex esprifico Homeri Il. χ, 145: conf. ζ, 433. λ, 167. Oleaster, κότινος, fuerat, in medio

Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum 770
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
Hic hasta Aeneae stabat; huc inpetus illam
Detulerat fixam et lenta in radice tenebat.
Incubuit voluitque manu convellere ferrum
Dardanides teloque sequi, quem prendere cursu 775
Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus,
Faune, precor, miserere! inquit; tuque optima ferrum
Terra tene: colui vestros si semper honores,
Quos contra Aeneadae bello fecere profanos.
Dixit opemque dei non cassa in vota vocavit. 780
Namque diu luctans lentoque in stirpe moratus
Viribus haud ullis valuit discludere morsus
Roboris Aeneas. Dum nititur acer et instat:
Rursus in aurigae faciem mutata Metisci
Procurrit fratrique ensem dea Daunia reddit. 785
Quod Venus audaci Nymphae indignata licere
Adcessit telumque alta ab radice revellit.
Olli sublimes armis animisque refecti
Hic gladio fidens, hic acer et arduus hasta,

campo, nunc recisus ita, ut imae radices tantum superstites essent, quibus inhaeserat Aeneae hasta, paullo ante in Turnum temere emissa: vs. 711. Iam haec arbos sacra erat Fauno, Laurentum omninoque Latinorum numini, et conspicua appensis naufragorum votis: notus nautarum mos vel ex Horat. I. Carm. 5, 14. — *lignum*, arbor. — 770. *nullo discrimine*, ideoque nullo respectu habito, quod sacra erat arbor. — 771. *puro campo*, vacuo, non impedito. Sic Gr. καθαρὸς χῶρος, ut Iliad. ψ, 61. Passim mos loquendi illustratus a viris doctis, v. c. ad Ovid. Fast. III, 582. — 772. *hic*, in radicibus trunci relictis. *hasta stabat*, ex iactu 711. — 774, 775. Eadem in hasta Achillis convellenda opera ponitur ab Asteropaeo Iliad. φ, 174 sqq.; nunc, cum lignum tenax morderet ac retineret hastam, ut diu frustra revelleretur, refertur res ad dei Fauni opem Turno latam. — 778. *colui ... honores*, ut sacra, religiones, colere. — 781-783 quam ornate: non potuit evellere hastam, *lento in stirpe*: quod 773 *lenta in radice*. *discludere morsus roboris*, eiusdem radicis aen trunci, qui ferramentum hastae arcte amplexus erat, ut difficile esset ad solvendum. *Sic mordet fibula*. — Facil Inturna, quod Pallas in Achillis gratiam Il. χ, 267. — 789. *arduus*, elatus animo, audax, uti alter *fidens*. Sic *alius Aeneas*; su-

Adsistunt contra certamine Martis anheli. 790
Iunonem interea Rex omnipotentis Olympi
Adloquitur fulva pugnas de nube tuentem:
Quae iam finis erit, coniunx? quid denique restat?
Indigetem Aenean scis ipsa et scire fateris
Deberi coelo fatisque ad sidera tolli. 795
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus haeres?
Mortalin' decuit violari volnere divum?
Aut ensem quid enim sine te Iuturna valeret? ....

blimes armis iungunt alii: male hic. *sublimes adsistunt* refer ad statum corporis, erecti ipsi armis sublatis, utpote se petituri. — 790. *contra*, ex adverso, *adsistunt*, stant, congrediuntur, in *certamine pugnae*, pro qua *Martem anhelum* dixit.

791 sqq. — 842. Novo invento poëta nos, cum iam pugnam Turni et Aeneae instaurari exspectamus, avocat et animos suspensos tenet deorum consiliis interpositis: quo fere modo Odyssea ad finem properat ω, 471 sqq. Iupiter cum Iunone Troianis infesta ita transigit, ut Troiae memoria damnata sit; Troiani autem cum Aenea tutas in Latio sedes habeant. *omnipotens* Olympi, qui est deorum omnipotentium: de quo cf. ad lib. X, 1.

794, 795. Fatale esse, ut Aeneas deus Indiges, ἐγχώριος, sit, scis ipsa. Cf. VII, 343. Nota loca Liv. I, 2. f. Tibull. II, 5, 43, 44 sqq. *fatisque ad sidera tolli* ex Enniano, allato ad Aen. I, 259, quod usurpavit Ovid. Met. XIV, 814: *Vnus erit, quem tu tolles ad sidera coeli*. Hinc mox Iuno v. 819 subiungit aliud quid, quod non fati necessitas imponat. — 797, 798, 799. Fortasse haec expostulatio cum Iunone non satis subtiliter est excutienda: argumentatio utique est valde levis. *divum*, futurum deum. Quod nunc in libris legitur, difficultatem haud dubie facit, si *mortale volnus* communi significatu accipiendum est, ut sit vulnus seu in mortali seu a mortali illatum. Quid enim in eo mirum, si Aeneas, futurus deus, nunc tamen homo a mortali, ab homine, telo petebatur, cum is in media pugna versaretur? cum Turno congrederetur? Itaque inducor, ut credam Maronem primum h. l. ausum *mortalem* pro letali dicere: quod ad analogiam tot aliorum similium, v. c. letalis, fit praeclare; etsi Serv. damnet et Burm. recte moneat, esse usum vocis sequioris aetatis. Sed haec ipsa, quae seriores scriptores sibi permittunt, pleraque a poëtis primum profecta sunt. Ita tandem sententia digna poëta exit. Erat utique quod miraretur Iupiter, Iunonem, cum sciret ipsa Aenean immortalem futurum, tamen putasse se assequuturam hoc, ut ille telo percussus vulnere letali occideret. Adscribendus adeo hic locus iis, in quibus poëta novasse aliquid dicendus est, ne ineptae orationis crimine oneretur. Apertior utique sententia esset, si scriptum foret *mortalem*. An de-

Ereptum reddi Turno et vim crescere victis?
Desine iam tandem precibusque inflectere nostris; 800
Nec te tantus edat tacitam dolor, et mihi curae
Saepe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. Terris agitare vel undis
Troianos potuisti, infandum adcendere bellum,
Deformare domum et luctu miscere hymenaeos: 805
Vlterius tentare veto. Sic Iuppiter orsus;
Sic dea submisso contra Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Iuppiter: et Turnum et terras invita reliqui.
Nec tu me aëria solam nunc sede videres 810
Digna indigna pati; sed flammis cincta sub ipsam
Starem aciem traheremque inimica in proelia Teucros.

cuit mortalem vulnerari a numine? dum Iunonis fraude per Iuturnam illatum est vulnus Aeneae, vs. 319, etsi ibi nulla suspicio iniecta est de auctore teli emissi. — 799. *viatis* pro victo; ex decoro poëtici sermonis, ne in vulgari haereret: quod toties vidimus etiam in hoc enallages genere, in tragoediis sollenni. Alia vis nulla inest. — 801. *Nec te edat dolor*: alias: animum tuum, ut Il. ζ, 202. Ὀν θυμὸν κατέδων et alia. In sqq. turbatur ab interpretibus, dum putatur adversativa esse propositio: et *mihi curae saepe tuo dulci tristes ex ore recursent*, immo defer ad me curas ac querelas saepe: ita vero oratio friget. Enimvero est reiteratio antecedentis enuntiationis: *nec* toties me querelis tuis fatigés. *et* subiungi, cum negativa *nec* repetenda esset, novum non est, ut paullo post v. 825 *aut* occurrit pro *nec*: etiam hoc Homeri exemplo, μὴ... ἠδέ. *recursent*, ut Aen. I, 662, iterentur. — 803. *Terris agitare*. Consilia Iunonis: primum, tempestate immissa I, 37 sq.; alterum *infandum adcendere bellum* etc. VII, 286-315, 316. Tertium ad nuptias Laviniae cum Aenea pactas et Iunonis artibus turbatas spectat. *Deformare domum*, sc. luctu, ex Amatae suspendio, quocum squalor ac deformitas coniuncta. *Deformem dolorem* Lucanus dixit lib. VIII, 81, et *deformis aegrimonia* ex Horatio nota.

808, 809. Hoc non respicere potest ea, quae hoc libro de Iunonis descensu in montem Albanum et acceptis Iovis mandatis ad Olympum reditu fuere narrata v. 133-159, 160; sed ad locum l. IX, 802 sqq., ubi Iris a Iove missa Iunonem vetat pugnae interesse. — 810. *Nec tu*, sc. nisi hoc ita se habaret. — 811, 812. Starem in acie *flammis cincta*: ad terrorem dictum puto, ut flamma in Troianos saeviat, uti quia ferro ignique grassari dicitur; nisi nube ignea circumdata in pugnam prodire voluisse dixeris: quod an usu poëtarum probetur, haud novi. Fulminis usui locus vix est. Lib. II, 613 Iuno ferro

Iuturnam misero, fateor, succurrere fratri
Suasi et pro vita maiora audere probavi;
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum: 815
Adiuro Stygii caput inplacabile fontis,
Vna superstitio superis quae reddita divis.
Et nunc cedo equidem pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum: 820
Quum iam connubis pacem felicibus, esto!
Conponent, quum iam leges et foedera iungent;
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos
Neu Troas fieri iubeas Teucrosque vocari,
Aut vocem mutare viros aut vertere vestis. 825
Sit Latium, sint Albani per saecula reges,
Sit Romana potens Itala virtute propago;
Occidit occideritque sinas cum nomine Troia.

accincta Achivos vocat a navibus, Pallas autem nimbo cincta arcem insidet. *traheremque Teucros inimica in proelia*: simpl. pro: Teucros aggrederer: nam, qui aggreditur, pugnare secum alterum cogit, provocat ad pugnandum. Verborum enim ordo non admittit alterum, ut sit: ducere copias adversus Troianos. — 813, 814. Respicit 138, 152. Oratio est fere pedestris: sed observa, quomodo eam vel sic a vulgari deflexerit; cum esse deberet: suasi Iuturnae, ut ete. Probavi eam audentem maius aliquid pro vita fratris. In his ac similibus Virgilianam orationem dignoscere licet. — 817. Res per se notissima: sed ornatum est egregie hoc: iuro per Stygem. *caput fontis Stygii* pro simplici Styge. *inplacabile*, sc. periurio facto. *una*, h. e. quae maxima iurisiurandi inter deos est religio; obstringo me iureiurando sanctissimo. Male argutatur Servius et cum eo alii. — *est reddita*, pro facta est, nihil amplius. Superstitio pro religione et metu ex ea orto. Sic fere Iliad. ο, 37, 38: ὅστε μέγιστος Ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι. — 810. *Pro maiestate tuorum*. Bene Serv. „Respexit ad Saturnum, qui in Italia quandoque regnaverat; inde ait *tuorum*; nam et Latinus inde originem ducit: VII, 48, 49.“ — 822. *leges* sunt foederia conditiones. — 823. Argute poëta rem facti iam ad deorum voluntatem retrahit. Nam mansit nomen Latinorum; mansit sermo Latinus, vestitus Latinus; nec Troiani coloni quicquam in his immutarunt. Verendum autem erat, ne gens Latinorum victa in nomen victorum cederet; ut fere fieri solitum. Laudant Intpp. Sallustii verba Iug. 21. f.: *Victi omnes in gentem nomenque imperantium* (Numidarum) *concessere*. — 817. Sint Romani po-

Olli subridens hominum rerumque repertor:
Et germana Iovis Saturnique altera proles, 830
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?
Verum age et inceptum frustra submitte furorem.
Do, quod vis, et me victusque volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt,
Vtque est, nomen erit; conmixti corpore tantum 835
Subsident Teucri. Morem ritusque sacrorum
Adiiciam faciamque omnis uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire deos pietate videbis,

tentes, sed tamquam Itali, non tamquam Trojani; ut Italorum virtutem referre videantur, non Troianorum. Ceterum totum hunc locum ad lyricos numeros transtulit Horat. in regia Oda lib. III, 3, in primis v. 30 sq.

830. Tu, cum sis germana Iovis soror, tantas iras in mortales exercere potes? Vt I, 11, *tantaene animis coelestibus irae*? ut ne nomen quidem gentis exosae ferre possis. Male argutantur Grammatici. — 832. Iram perperam susceptam, conceptam, depone. — 833. *me remitto*: dictum ut: remittere animum, ab ira. Remittit se, qui mollescit ideoque concedit: *nec amplius contendit*. Vti se remittunt ea, quae laxantur, solvuntur. — *Ausonii*, Ausones, ut iam aliquoties, v. c. VII, 233. X, 105. XI, 253: itidem, ut *Ausonidas* dixit pro Ausonibus, ut poëta, Graecorum exemplo, etiam in appellativis, ut παρθενική, sc. κόρη, pro παρθένος. — 835, 836. Nunc *tantum* hoc fiet: permixti cum Ausonibus, hoc est Latinis, Troiani comprehendentur, delitescent, latebunt sub Latinorum nomine. *corpus* de universa rep., populo, civitate, impetio, exercitu dici ad vulgarem comparationem corporis et membrorum hominis, satis illustratum dedit Heins. ad h. l. Sic IX, 313: *toto certatum est corpore regni*. Itaque sunt h. l. Teucri commixti cum toto populo Latinorum. Pessime ad concubitum traxit Cerda cum aliis τὸ *corpore commixti* et *subsident*. Ornate hoc *subsident* dictum de iis, quae in commixtione infimum locum occupant: nunc, eminente Latinorum nomine, obscurabitur nomen Teucrorum. Lib. V, 498 de sorte: *galeaque ima subsedit Acestes*. — 836, 837. *Adiiciam*. Sacra tantum ac religiones Troianorum adiungam Italicis, Penates Latio inferentur, cf. 192; faciamque, ut uterque populus Latini sint, *uno ore*, sermone Latino utentes, ideoque ὁμόγλωσσοι. — 839. *supra ire deos pietate*, h. e. iusti rectique religiosa observantia, per pietatem declarari solita, etiam in diis. Sic *dii pii* sunt. Etsi vel sic *ire supra deos*, deos superare, non est urgendum: significat tantum praestantiam summam in hoc genere. Tenendum idem in innumeris locis, ubi, quaecunque excellunt ac praestant aliis, non modo paria diis ac divina esse: verum etiam

Nec gens ulla tuos aeque celebrabit honores. 840
Adnuit his Iuno et mentem laetata retorsit.
Interea excedit coelo nubemque reliquit.
His actis aliud Genitor secum ipse volutat
Iuturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminae pestes cognomine Dirae, 845

superare deos dicuntur. Ita hominum sermo fert, multo magis priscorum ac rudium. Nam, etsi h. l. ad deos minores vel heroes referunt, tamen nec horum pietas in deos maiores usquam celebratur. — 840. Iunonis sacra in Ovidii Fastis, templa apud Donatum aliosque in descript. Romae quaerenda. Revocanda autem in animum III, 437 sqq. — Iuno 841 *mentem retorsit*, inflexit, mutavit. Comparant μεταστρέφειν νόον Iliad. o, 52, ἐτράπετο νοῦς, φρὴν et similia. Nec sane aliter commode te expedias. Alias malim iungere *mentem laetata*. Sic tamen *retorsit* absolute, sc. se, paullo durius dictum. — 842. *excedit coelo:* quo igitur illa abiit, si coelo excessit dea? Erit *coelum* h. l. de ipsa nube accipiendum, unde illa spectabat pugnam, aethere pendens, conf. 792, 796, 810. Ex aëre igitur illa abiit ad suum θάλαμον, cubiculum, quod Homerus memoravit Il. ξ, 166 sqq.

843-886. Educenda adhuc erat acie dea Iuturna. Ingeniose novum rei expediendae modum excogitavit Virgilius. Nam IX, 803 sq. Homeri exemplo in simili loco Irin miserat ad avocandam deam: nunc res erat varianda. Vt itaque Iuturna a fratre discederet, manifesto mortis instantis omine, bubonem esse videbimus vs. 862 illa terretur. *dimittere:* vocabulum quidem solenne in dimittendo exercitu, sed h. l. alio traductum; est enim: abstrahere, avocare, avertere.

845 sqq. Sit et hic locus pro exemplo variae artis et rationis, qua poëta fabulas antiquas interque eas id in primis genus, quod symbolicum et allegoricum ab origine fuit, tractat. De Furiis poëtam agere dubitari nequit. Sed, cum earum sedes alias sint in Tartaro, saltem in Plutonis regia vel in aditu inferorum, ut VI, 280, nunc in Iovis illae vestibulo excubant. Servii h. l. et ad III, 209 commenta de triplici Furiarum potestate nihili sunt: uti nec illud satis probatum dedit, Furias appellatas esse *canes Iovis:* quo nomine Harpyiae alias insignitae, ut Apollon. II, 289: Ἁρπυίας, μεγάλοιο Διὸς κύνας, et Κῆρες ibid. IV, 1666. Nam loca Aen. VI, 257 et Lucani VI, 733 perperam adducit aut potius adigit ad hanc notionem firmandam. Neque etiam alias Furias Plutoni, alias Iovi dare voluisse putandus Maro; sed variasse poëtica phantasmata putandus est. Verum communis est ista antiquiorum poëtarum ratio, ut *canum* nomine pro custodibus et ministris utantur. Docte illustratum hoc vide a Rubnk. Epist. crit. p. 93 sq. — 845. *cognomine* pro nomine. *Dirae* est nomen illarum pestium h. e. exitiosarum dearum, substitutum a poëta ἀϊδῆς Κῆραι, quae commemorantur etiam apud Quint. II, 509, III, 44.

Quas et Tartareum Nox intempesta Megaeram
Vno eodemque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris ventosasque addidit alas.
Hae Iovis ad solium saevique in limine regis
Adparent acuuntque metum mortalibus aegris. 850
Si quando letum horrificum morbosque deum rex
Molitur meritas aut bello territat urbis.
Harum unam celerem demisit ab aethere summo
Iuppiter inque omen Iuturnae occurrere iussit.
Illa volat celerique ad terram turbine fertur 855
Non secus ac nervo per nubem inpulsa sagitta,
Armatam saevi Parthus quam felle veneni,

Male Grammatici inverse tradunt: cf. infra 865. Ἀραὶ sunt apud Aesch. Eumen. 420. — *geminae*..... *et Megaeram*: Dorte sic variavit poëta, quod vulgo erat: sunt tres Dirae. Tum unum tantum nomen ponit; etiam hoc poëtam decebat. Alecto et Tisiphonen quis non facile supplet animo? — *Noctis filias* Furias vel Eumenides etiam VI, 250; VII, 331 ediderat; idem Aesch. loc. c. 419. Quod *uno partu editas* facit, nescio an aliunde acceperit. — 847. *paribus*: pro pariter, pari omnes modo. Species Furiarum est poëtae haec, ut sint serpentibus revinctae et alatae. De alis cf. VII, 561. — *Ventosas alas* novo epitheto, quod notionem magnitudinis alarum et concitati volatus habet; nam is ventum movet. — 849. *saevi*: epitheton h. l. accommodatum rebus ac temporibus, quibus Furiarum ministerio ad atrocia ac tristia utitur Iupiter, cum irascitur. — *adparent* vox propria de ministerio, unde apparitores. — 851, 852. Argutantur, qui Furiarum munera dispescunt et Tisiphonem morbos, Alecto bello et Megaeram letum immittere aiunt.

853. *unam*. Cum poëta vix dignum sit indefinite loqui, Megaeram ex vs. 846 designasse dicendus est: *unam illam*. — 855. *turbine* simpl. pro motu 320 et 331. Volat Megaera tamquam sagitta arcu emissa. *Per nubem*, auget phantasma, pro: per aërem. Parthos sagittis venenatis usos esse firmat Servius Lucani auctoritate lib. VIII, 303, 304. Verba Maronis expressit Silius lib. XIII, 197, 198. An Cretes, ex quibus Cydones sunt (v. Homer. Odyss. τ, 176 et γ, 292, a quibus Cydonia urbs), medicari tela veneno soliti fuerint eaque de re, etsi multis populis in prima vitae immanitate et barbarie communi, constet aliunde, ignoramus; est tamen locus alter ap. Lucian. Nigrin. Tom II, p. 79, ubi (I, p. 289 bip.) ad h. l. provocat Hemsterhus. — 857, 858. Velim codicem aliquem meliorem dare lectionem pro *Parthus*, quod vitiosum utique esse arbitror: Quid enim *Parthus sive Cydon*, suavitatis habeat? Aut genus ponendum erat, ut individua vel formae sequerentur; aut utrumque iterandum, ut v. c. Iliad. χ, 127, 128. Latet arbitror epitheton

Parthus sive Cydon, telum inmedicabile torsit;
Stridens et celeris incognita transilit umbras.
Talis se sata Nocte tulit terrasque petivit. 860
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni
Alitis in parvae subitam conlecta figuram,
Quae quondam in bustis aut culminibus desertis
Nocte sedens serum canit inportuna per umbras,
Hanc versa in faciem Turni se pestis ob ora 865
Fertque refertque sonans clipeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor;
Adrectaeque horrore comae et vox faucibus haesit.

sen *Parthi* in sq. versu, seu *fellis* v. c. *Armatam saevi fallax quam* etc. aut simile quid: nisi ultima poëtae manus versui deest; quod probabile fit. (Ceterum Parthos venenatis sagittis usos esse constat e Lucan. VIII, 303 sq. *Parthus* repetitur forsan ideo, quod illo usu metuendus tunc et infamis. *R.*) *Fel veneni*; ornate, ut virus, i. e. succus amarus, noxius. Sic et Tragici χόλον de veneno, quod cum sanguine serpentis confundunt, usurpant. *telum inmedicabile*, quod vulnus insanabile facit. — 859. Singula ad maiorem phantasmatis horrorem faciunt: pro *auris* exquisitius dixit *umbras*, h. e. nigrum aërem, quem transvolat sagitta; hinc *celeres umbrae*, ut *celeres aurae*, quae celeriter transmittunt telum. Ipsa sagitta *stridens et incognita* transvolat, ut oculorum sensum fallat.

862 Habet haec Megaerae, quae ut furia est αἰολόμορφος, in bubonem mutatio aliquid, quod insigniter ad terrorem accommodatum est ex veterum superstitiona, ex qua recentes quoque poëtae certatim transtulere praesagia bubonum et noctuarum. Enimvero nequaquam hoc mortis augurium comparandum ad augustum illud et sublime phantasma, quod Messiae lib. VIII sub f. exhibuit auctor, summum Germaniae ornamentum: ubi Servatoris moribundi caput duo Mortis Genii septenis gyris circumvolant. Locus ille ad horrorem incutiendum est efficacissimus. Maronem nostrum imitatur Claudian. in Eutrop. II, 229 sqq. — *Alitis parvae*. Videtur recte monitum a Servio, hoc alienum esse a bubone, quem grandi esse corpore satis constat. Et potuit poëta noctuae genus aliquod, v. c. minimam illam noctuam, quam *funeream* dicunt, intelligere. Reliqua tamen buboni accommodatiora sunt; cf. Plin. X, 12, s. 16, et sic IV, 462, 463. Itaque *parvam* comparative accipiendum: dea mutatur in avem, parvam respectu deae. — *subitam*: in quam subito *conlecta*, conversa, est. *Conligere* eleganter de re in minorem speciem mutata. Copiose illustratum ab Heinsio. Cf. de angue Georg. II, 154 et al. — 864. *serum canit*, sera nocte. νύκτερον ἀείδει Aratus. — *inportuna*, intempesta nocte.

At, procul ut Dirae stridorem adgnovit et alas,
Infelix crinis scindit Iuturna solutos 870
Vnguibus ora soror foedans et pectora pugnis:
Quid nunc te tua, Turne, potest germana iuvare?
Aut quid iam durae superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Iam iam linquo acies. Ne me terrete timentem, 875
Obscenae volucres; alarum verbera nosco
Letalemque sonum, nec fallunt iussa superba
Magnanimi Iovis. Haec pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit aeternam? cur mortis ademta est
Conditio? possem tantos finire dolores 880
Nunc certe et misero fratri comes ire per umbras.
Inmortalis ego? aut quidquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit? O quae satis alta dehiscat
Terra mihi Manisque deam demittat ad imos?
Tantum effata caput glauco contexit amictu 885
Multa gemens, et se fluvio dea condidit alto.
Aeneas instat contra telumque coruscat

— 869. Bubone, funereo omine conspecto, Iuturna a fratre recedit, tanquam deplorato. — *stridorem* vocis sonum interpretatur Servius. Alias ad *alas* retrahi poterat. — 873. *durae* ..... *mihi*, immiti, quae sustineam fratrem cernere in ultimum discrimen adductum nec succurram. — 875, 876. *Iam iam linquo acies* ad ductum Apollinis Homerici, Il. χ, 213, Hectore iam morti addicto: λίπεν δὲ ἑ Φοῖβος Απόλλων. — *Obscenae*, male ominatae. V. Georg. I, 470, Aen. III, 241 et al. — *terrete volucres* invidiose dixit, nam una est, inquit Serv. Poëtam hoc ad exquisitiorem orationem pertinere vidisse, si pro individuis genus, pro uno plures poneret, saepe vidimus: v. c. 699. Ap. Tragicos fit usu perpetuo. — 877. Intelligo, nec latet me, fieri haec Iovis numine ac voluntate. — 878. *reponit* doctius quam rependit. — 882. *quidquam meorum*; eorum, quae mea sunt, inprimis nunc inmortalitas. IV, 317, *si fuit tibi quidquam dulce meum*, poterat et hoc esse, *quidquam meorum*. — 885, 886. Male ad Tiberim refertur. Nympha se in fontem suum ac lacum immisit: quem *fluvium* nunc dixit, quandoquidem et fluvius inde prodit, qui in Tiberim defertur. Cf. ad vs. 139. Similia exempla, ut Tiberis se in fluvium immittentis, v. VIII, 66; alia apud Homer. Il. ο, 248, 249; Od. λ, 252; δ, 425.

887 sqq. Revoca in animum ex su-

Ingens arboreum et saevo sic pectore fatur :
Quae nunc deinde mora est? aut quid iam, Turne, retractas?
Non cursu, saevis certandum est comminus armis. 890
Verte omnis tete in facies et contrahe, quidquid
Sive animis sive arte vales; opta ardua pennis
Astra sequi clausumque cava te condere terra.
Ille caput quassans, Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox! di me terrent et Iuppiter hostis. 895
Nec plura effatus saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte iacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus. 900
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem

perioribus, 740 sqq. Turnum, diu in orbem media in corona pugnantium circumactum ab Aenea, redintegrasse certamen acceptio ense, dum Aeneas hasta instat vss. 788, 789, 790. Maior est totius sequentis loci suavitas, si quis, eo iam ante perlecto, iterum exorsus Hectoris cum Achille pugnam mente teneat, v. Il. χ, l. c. Ita vss. 268 sqq. expressos videbis, sed ornatius, hic v. 890-893. Tum vss. 894, 895 Hectoris verba refarunt, cum se a diis delusum intelligit v. 297 sqq. Comparant tamen Vrsin. et alii Il. ν, 811, 812, ρ, 175, 176. — Iam 889 *quae nunc deinde*, τίς αὖ, εἶτ' ἄρα. *retractare* eleganter est recusare, tergiversari, detrectare. — In vss. 894, 895 *Non me tua f.* grave pathos est. Nolim iungere *ferox hostis*. Sed *ferox* o Aenea. — *fervida dicta* sunt superba, arrogantia. *Iupiter hostis* est infestus, ut alias *inimicum numen*.

896. Emissa hasta, cum altera deficiat, saepe (v. c. Il. ξ, 409 sqq. η, 264) sic heroes Homerici saxa iaciunt: ipsi adeo dii, ut Il. φ, 403 sq., unde h. l. verba fere ducta sunt; cf. ε, 303, 304, et μ, 445 sqq. Ad talem morem haec quoque exigenda sunt. Turnus autem, etsi ensem receperat (va. 785), hasta tamen erat destitutus (v. 741), quam eminus in Aeneam mitteret. Vt quis vero victum hostem etiam nudum ipse armis melioribus instructus insequeretur, dedecori in heroum vita non erat: itaque Aeneas haud se indignum iudicavit imparibus armis cum hoste congredi. — 898. *litem*: remotius posuit: pro fines, ideoque litem de finibus. — 899. *Vix illud*, ad notam illam fidem et opinionem de priscorum hominum vastis corporibus et robore incredibili. Nota exempla Homerici Diomedis et Aiacis Iliad. ε, 303, 304. μ, 445, add. Apollon. III, 1366. — 901. *manu trepida*, simplic. festina, *torquebat*. Servius: *Bene imperfecto usus est tempore, quia non est perfectum, quod voluit, ut v.* 903,

Altior insurgens et cursu concitus heros,
Sed neque currentem se nec cognoscit euntem
Tollentemve manu saxumque inmane moventem;
Genua labant; gelidus concrevit frigore sanguis. 905
Tum lapis ipse viri vacuum per inane volutus
Nec spatium evasit totum nec pertulit ictum.
Ac, velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
Velle videmur et in mediis conatibus aegri 910
Succidimus; non lingua valet, non corpore notae
Sufficiunt vires nec vox aut verba sequuntur;
Sic Turno, quacumque viam virtute petivit,
Successum dea dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos adspectat et urbem 915
Cunctaturque metu telumque instare tremiscit
Nec, quo se eripiat, nec, qua vi tendat in hostem,
Nec currus usquam videt aurigamve sororem.

904, 907. nimis argute. v. 394 sic *dabat* erat pro dederat.

903, 904. Non haec Turnum prae metu mentis male compotem, ἄπορον, arguunt; sed, quod vs. 913, 914 diserte quoque exponitur, torporem, quem Furia iniicit viresque adeo corporis debilitat. Est hoc illud, quod in viris fortissimis et audacissimis observatum est, a causis physicis et psychologicis profectum, ut interdum nescias, qua de causa prorsus mutati, quasi defixi ac deliniti, omni animi corporisque vi destituti adstent, torpentes et inertes, seque adeo interdum trucidandos praebeant. Hoc per vertiginem, ἴλιγγον, Apollinis manu tacto Patroclo inflictam Homerus praeclare adumbravit Il. π, 786 sqq. Itaque Turnus ipse *nec se cognoscit*, vires solitas sibi deesse videt: se videt esse plane alium. Aliud est nostris recentioribus linguis: *se non cognoscere*. — 906. *lapis viri* (pro eius) est lapis ab eo proiectus, dictum ad vulgarem formam: iactus viri. Poterat *viro* dicere, ut esset *viro volutus*, h. e. a viro; sed alterum maluit; cur non feramus? *inane* de aëre nunc non primum occurrit, nec eius epitheton *vacuum*: utrumque Lucretio subiectum.

908 sqq. Egregie ornavit comparationem per se iucundam, ex Il. χ, 199 sq. Ex Virgilio expressum putant locum Oppiani Halieut. II, 84-85. Est etiam Apollonii similis locus II, 278 sqq. — 913. Quamcunque viam iniit, vulgari modo dices. — 914, 915. Dictum exquisitius pro solleniore: vertit, versat varia consilia, sensus, animo Turnus. — 915 sqq. Species eadem Hectoris Iliad. χ, 293 sqq.

Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat
Sortitus fortunam oculis, et corpore toto 920
Eminus intorquet. Murali concita numquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. Volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit
Loricae et clipei extremos septemplicis orbis; 925
Per medium stridens transit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
Mons circum et vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis supplexque oculos dextramque precan-
Protendens, equidem merui nec deprecor, inquit; (tem
Vtere sorte tua. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, oro — fuit et tibi talis

919. *coruscat*, vibrat, πάλλει Homerus ibid. 320, sed multo ornatius, et respectu comparationis, quam ipse ibi attulerat, hastae, sic vibratae, cum Lucifero. — 920. *fortunam*, h. e. locum in corpore, quem fortuna dabat. Conf. ibid. v. 321, tum omnibus corporis viribus emittit hastam. (*nec fulmine ... crepitus*: i. e. nec sonus per fulmen tonitruaque excitatus tantopere in omnes partes dissipatur. (Quum ἄγνυσθαι (Hom. Il. 16, 78 et Hesiod. Scut. Herc. 279) et rumpi, frangi de sono in usu essent; facilis erat transitus ad fracti soni dissipationem. *R.*) — 924, 925 Hasta traiicit clipeum in extrema, puta, parte, tum loricae oram, et in femore sedet. Lib. X, 587-590 simile fere vulnus fit, sed in inguine, ideoque mortale. Noluit enim poëta vulnus letale esse, ut locus esset iis, quae sequuntur: quibus ad tragicae fabulae exitum epos suum propius adduxit. — 925. Aiacis σάκος ἑπτα-βόειον Il. VII, 220 quis nescit? — 927. *duplicato poplite*, eleganter pro inflexo genu. XI, 645, *latos huic hasta per armos acta tremit duplicatque virum transfixa dolore.*

928. *Consurgunt gemitu Rutuli*: solenni poëtae more, quo a vulgari orationem educit, pro *gemitus Rutulorum consurgit.* — 930 sqq. Vides Hectorem, de sepultura careat, supplicantem Iliad. χ, 338 sqq. — 930, 931. *oculos* convertit, *manus* protendit, sed illud latet in hoc: ut toties fit. — 935. *fuit et tibi talis.* Notum artificium supplicantium: ed exemplum illud omnium eliorum praestantissimum: Μνῆσαι πατρὸς σοῖο etc. Il. ω, 486. Dedere alii Guell. et Cerde. Verum tali cum vi, cum hac δεινότητι, semel tantum dici hoc potuit. Atque haec est ille poëtae felicitas, qui primus talia occupat. Rhetorum acumen figuram extudit

Anchises genitor Dauni miserere senectae
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis, 935
Redde meis! Vicisti, et victum tendere palmas
Ausonii videre; tua est Lavinia coniunx;
Vlterius ne tende odiis! Stetit acer in armis
Aeneas, volvens oculos, dextramque repressit;
Et iam iamque magis cunctantem flectere sermo 940
Coeperat, infelix humero quum adparuit alto
Balteus, et notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri, victum quem volnere Turnus
Straverat atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille, oculis postquam saevi monumenta doloris 945
Exuviasque hausit, furiis adcensus et ira
Terribilis: Tune hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc volnere, Pallas
Inmolat et poenam scelerato ex sanguine sumit.

anacoenosin, quam hoc ipso exemplo illustrat Iul. Rufinian. p. 205. — 935. *Et me, seu corpus.* Viro forti digna oratio; aperte mortem non deprecatur; vitae tamen usum nec renuit. — 893. *acer in armis* iungenda esse monet Serv.; nescio an satis bene. Praestaret *stetit in armis* iungere. Est poëtica ἐνάργεια, qua species et adspectus viri ante oculos revocari debebat: *acer*, δριμύς, truculento vultu *Aeneas stetit*, adstabat, *in armis*, armatus, qualis erat; etenim stabat tenens clipeum et ensem strictum, ut ex vs. 950 apparet. — 940 sqq. Haec iam praeparaverat lib. X, 495 sq. 500-505. — 942. Balteum, e quo ensis pendebat, mox ornate declarat tamquam rem, in qua nunc rerum cardo vertitur et quae luculentius animo erat repraesentanda. Tum vero *notis fulserunt cingula bullis* poëtica forma dictum pro: et bullae, clavi aurei, ornamenta nota, fulserunt in cingulo seu balteo. Itaque verendum non erat, ne otiosus esset versus. — 945. *oculis hausit*; iam supra IV, 661, *Hauriat hunc oculis ignem*: traductum ab aoribus, IV, 359, *vocemque his auribus hausi*; petitum ab aura, quam spiritu docimus, haurimus; hinc haurimus etiam alia, quae per auram sensus feriunt; tandem est simpliciter accipere; sic transfertur ad animum: X, 648, *animo spem turbidus hausit inanem*. Convenit *bibere*, *inbibere*, ut I, 781, *longumque bibebat amorem*. — 945. *monumenta doloris* h. l. quae memoriam renovant, recordationem doloris ex Pallantis morte. — 947. *meorum* graviter pro uno ex suis, ex amicis: Pallante. — 949. *inmolat*, non sibi; sed diis inferis. *scelerato ex sanguine*, poëtica omne facinus atrox, audax, saevum est *scelus*, ideoque Turnus *sceleratus*,

Hoc dicens ferrum adverso sub pectore condit 950
Fervidus: ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

qui caedem Pallantis commiserat. — 952. Versum Homericum esse expressum Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων etc. Iliad. χ, 362, 363, iam notavit Servius, *indignata cum gemitu* pro gemens, moerens: ὃν πότμον γοόωσα anima. Conf. XI, 831. Iamque cum Turni morte foederis supra concepti conditiones vss. 187 sqq. exitum habent: Lavinia in matrimonium accepta Aeneas Troianos in Latinum nomen adiungit, novam urbem Lavinium condit iusque socero in regno succedendi consequitur; ideoque Aeneas accepit *sedem in Italia Intulitque deos Latio*, ut Lib. I, 5, 6 fore poëta praedizerat.

FINIS AENEIDOS.

P. VIRGILII MARONIS

CVLEX

Digitized by Google

PROOEMIVM

IN CVLICEM *

Fuisse aliquando Culicem inscriptum carmen, vulgo pro Maroniani ingenii iuvenili fetu habitum, dubitari nequit. Docent id loca T. I ad Vitam Virgilii §. 28 excitata Martialis XIV, ep. 185, et VIII, ep. 56, 19, 20, Suetonii in vita Lucani, Statii Silv. II, 7, 14. (1) Quibus adde eundem praef. Silv. lib. I, ubi veretur de Thebaide edenda: *Sed et Culicem legimus et Batrachomyomachiam etiam cognoscimus. Nec quisquam est illustrium poëtarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore proluserit.* Nonnius quoque Marcellus p. 211 versum laudat in *labrusca*: « Neutro Virgilius in Culice: *Densaque virgultis avide labrusca petuntur.* » An tamen is ipse, quem nunc manibus terimus, pro Maroniano Culice habendus sit, non modo inde confectum non est, (2) verum etiam dubitari potest: quandoquidem istud alterum carmen non invenustum fuisse necesse est; memoratur enim passim cum laude, et Lucanus non sine superbiae nota dixisse existimatus est: *et quantum mihi restat ad Culicem?* hoc autem, quod nunc habemus, splendet utique uno et altero loco, et habet laudes nonnullas; sed et tota illud summa peccat et plurima habet, quae vel parum subtili iudicio vix satis se probare possint. Quae ne temere pronuntiasse videamur, age de carminis argumento et habitu dispiciamus paullo accuratius.

Inter lusus refertur hoc carmen merito argumenti sui vi et natura. Culex, cum pastorem infixo aculeo e somno excitatum praesenti morte liberasset, quam subrepens ei serpens inflicturus

* Carmina haec minora, a Wunderlichio praetermissa, ab editione nostra abesse fortasse erunt qui nolint; a maiori itaque Heinii editione ea exscribimus cum notis et praefationibus, variantibus tamen omissis. Typ.

(1) Martial. XIV, ep. 185: *Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis.* VIII, 66: *Protinus Italiam concepit et Arma virumque, Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.* Sueton. in Vita Lucani: *Quin tantae levitatis, et tam immoderatae linguae fuit, ut in praefatione quadam, aetatem et initia sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere: et quantum mihi restat ad Culicem?* Statii Silv. II, 7, 73, 74: *Haec primo iuvenis canes sub aevo Ante annos Culicis Maroniani.*

(2) Virgilio Culicem Io. Schraderus quoque vindicare voluit Emendatt. I, 2.

erat, inflicta manu obtritus, sequente nocte pastori per somnum oblatus, de male relata gratia conqueritur, hominemque miseratione movet, ut tumulum culici exstruat. Nec tamen omnino poëta carmen epicum ioculare, cuiusmodi nostra aetas plura vidit, componere voluisse putandus est. Narratio est serio instituta, nec tamen epica, sed ad pastoritium seu bucolicum carmen propior, et delectare voluisse poeta videri debet, partim rerum narratione et descriptione, partim culicis de iniuria sibi facta conquerentis miseratione.

Argumentum, si intentiore animo contempleris, per se satis tenue ac ieiunum esse vixque magnum ornatum capere posse videtur. Cumulavit tamen ornamenta quisquis haec scripsit, et in ornamentis his maiorem operae partem consumsit; quod per se non erat improbandum, si ornamenta sagacitas aliqua ingenii ex ipsa re elicuerat; verum auctor ad locos poëticos communes fere omnia revocavit, quibus ita immoratus est, ut orationis ordinem et seriem penitus interrumpi et mentem a carminis summa abduci necesse esset, quod v. c. factum videas in loco de laudibus vitae rusticae, de arboribus ad fontem natis v. 122 sqq., in locis inferis, in Tartaro, in Elysio, in tumulo plantis conserendo. Nimium igitur in parergis haeret poëta; nec pravum hoc studium exemplo non minus pravo Catulli, in Pelei et Thetidos epithalamio, aut Panegyrici in Messalam Tibulli Elegis subiecti, defendi aut potest aut debet.

Est vero interdum puerilis prorsus in cumulandis et variandis rebus similibus copiae affectatio; quae, si vel maxime eum iuvenili aetate haec lusisse dixeris (Scaligerum, qui iam grandiorem natu Maronem scripsisse Culicem contendebat, nemo facile audiet aequo animo), vix tamen ab eo poëta proficisci potuit, qui Georgica et Aeneidem scripsit; ita ut aliquando in eam opinionem pronior essem, quam etiam Franc. Oudinum tuitum esse video (disp. de Culice Virgiliano in Misc. Obss. crit. nov. T. IV, p. 307), qua persuasum mihi esset, nos veterem illum Maronis Culicem omnino non habere. Occurrunt tamen altera ex parte loci carminis praeclari poëta bono haud indigni; video itaque haud paullo probabilius esse alterum: habere quidem nos carminis fundum aliquem Virgilianum, interpolatum tamen et oneratum infinitis aliorum laciniis intextis et interpositis. Ducit etiam eo diversitas illa locorum ac versuum in eodem carmine et variata per plures diversae notae versus eadem sententia. Quod

si teneatur, facile et virtutum et vitiorum in hoc carmine causae explicari totaque eius ratio constitui potest.

Scilicet, litterarum bonarum studiis, iam per rhetoricas scholas et μελέτας corruptis, fuit doctorum hominum male sedulorum mos, ut cum Ovidianis, tum Virgilianis, his tamen maxime, quandoquidem intra Virgilianam orationem omne fere poëtices studium eorum temporum se continebat, versibus variandis, ornandis vel amplificandis, ingenium suum experirentur. Multa sunt sub Scholasticorum nomine in Anthologia Latina carmina, quibus, interdum decies vel duodecies, eadem sententia vel idem versus variatur. Alii thema, quod vocabant, seu argumentum fabulae alicuius ex Virgilio vel aliunde desumtum versibus modo ex Virgilio consarcinatis in Centonis morem, modo ad Virgilii exemplum formatis, pertractarunt; utriusque generis exempla in Ausonio prostant. Sunt vero in his multa non malae notae carmina; sunt singula loca, singuli versus docte et ornate facti. Comparet v. c. aliquis narrationem de adulterio Martis et Veneris Anthol. Lat. P. I, ep. 72. Non defuit homini, qui id carmen scripsit, ingenium nec poëtica oratio: defuit iudicium ad summam carminis constituendam et ad eliminandam copiam otiosam et inanem. Adde ibid. lib. I, ep. 89 et al. Lecto itaque Virgilii carmine adscripserunt in margine codicis sui hi homines ea, quae ipsi tentaverant, ad variandam vel amplificandam sententiam; idque inprimis in minoribus his Virgilii carminibus factum apparet; multo autem maxime in Culice, cuius, si recte iudico, plus quam dimidia pars eiusmodi Scholasticorum versibus consarcinata est. Versus hos aut inter lineas aut in margine adscriptos librarii indocti, qui codicem describebant, forte etiam ut pleniorem codicem venditare possent, in ipsum carmen inferserant; atque sic evenit, ut illud interpolatum et, modo versibus satis bonis, modo inscitis et indoctis, aut hiulcis, et scabris, foedatum ad nos perveniret. Quod non animadversum fraudi fuit viris doctis, quos, tam diversae notae monetam eodem loco habentes, in multis trepidare necesse fuit. Vnde facile potest intelligi, fundum quidem carminis esse posse Culicem illum Maronianum, sed attextas esse a Scholasticis et Grammaticis lacinias plurimas, quibus priscus carminis nitor plerisque in locis admodum attritus ut sit necesse est.

Atque haec ipsa faciunt, ut vix cum delectatione, nec nisi ab eo, qui iam aliquantum in poëtarum lectione versatus sit, legi

possit hoc carmen. (1) Male enim cohaerent tot panni a diversis hominibus assuti, et natae sunt ex eo ipso corruptelae dictionis et sententiae plurimae. Aliter itaque in his carminibus instituenda fuit opera mea, quam in superioribus voluminibus, cum in interpretationis subtilitate maior studii nostri pars versaretur. Nunc enim ea fere tota ad criticas animadversiones, lectionemque constituendam vel emendandam, transferenda erat. Propositum itaque velim hoc volumen adolescentibus, qui in critico studio exercere ingenia volunt, tamquam campum, in quo lusus huius ingenii periculum aliquod faciant aut gustum saltem sibi comparent: ut tamen nec, uno et altero ludentis ingenii successu et laude exultantes vel vanitate blanda tumentes, in hac studii parte subsistant, omnemque litterarum bonarum laudem et fructum in una coniectandi et voces sonosque variandi calliditate positum arbitrati, maiora et graviora consilia, quae in legendis scriptoribus classicis proposita esse debent, negligant, mox etiam contemnant, se emendandis iis natos rati, quorum nec sententias, res et doctrinas assequuntur, nec elegantiae ac praestantiae sensum et iudicium rectum habent. Atqui critices studium subsidiarium esse debebat, haud primarium.

Ceterum, antequam lectionis originem et progressum ed emendationem satis accurate cognoscere liceret, molestiae in hoc et sequentibus carminibus enarrandis devorandae fuere plurimae eaeque maximae. Nunc satis mihi liquet Culicem statim in editione principe vulgatum, inde in multis aliis editionibus repetitum, vix tamen criticam manum esse expertum ante P. Bembum. Nam in Domitii Calderini, Pomponii Sabini, et Badii Ascensii commentariis praeter vulgarem varietatem nihil occurrit, quod ad emendationem poëtae faciat. Bembus autem praeter alterum illum codicem, qui totum Virgilium complectebatur, codicem perantiquum adhibuit, truncum tamen et mutilatum, quippe cui, praeter *iuvenilis ludi* libellum et Bucolica ac Georgicorum primi libri partem, nihil supererat (conf. De Virgilii codd. Mss. s. VIII).

(1) Patrio sermone, octonis versibus in strophas coëuntibus, redditum est hoc carmen a Spensero, poëta nobili Britanno (*Virgil's Gnat*), in eius Opp. Nec sine voluptate illud facile perlegas. Adeo mihi vel hoc exemplo patuit, quanto expeditius esset poëtam carmine vernaculo reddere, quam verba subtiliter interpretari. Nihil enim vetabat sententias integras summatim efferre elusve partes in quemcunque placeret sensum deflectere; aut verba corrupta aptis et idoneis permutare.

Liber autem ille iuvenilis Indi continebat *Culicem*, *Diras*, *Copam*, *Est et Non*, *Vir bonus*, *Moretum*, *Rosas*. Haec ipse Bembus exposuit in Dialogo *de Culice et Terentii fabulis*, in quo ex codice illo Culicem recensuit. Exiit ille liber primum a. 1530 apud fratres Sabbios Venetiis: cum ex eo codice recensio minorum carminum Virgilii dudum facta esset ab Asulano. Aldus enim, in epistola ad P. Bembum editioni 1514 Naugerii auxilio emendatae praefixa, *Virgilii lusus, quos Bembus correctissimos habeat, tunc se editurum esse promittit, cum ab eo acceperit*, quod futurum putabat brevi; verum morte praeventus fidem non exsolvit Aldus; perfecit tamen Asulanus, qui 1517 *Diversorum poëtarum in Priapum lusus*, *P. V. M. Catalecta*, *Copam*, *Rosas*, *Culicem*, *Diras*, *Moretum*, *Cirin* etc. edidit, emendata a se, ut ait, collatis pluribus exemplaribus. In hac Culicis recensione Bembini codicis lectio in multis locis recepta est, nec tamen in omnibus, quae Bembus mox ex codice suo constituisse videri voluit. Repetita illa est in aedibus heredum Aldi et Andreae soceri 1534, mutatis tamen passim lectionibus, inprimis in Ciri. Vt adeo triplex sit Aldina recensio; prima antiquior nec emendata ed. Ald. 1505, altera 1517 et tertia 1534. Quae passim a me excitatur tamquam melioris lectionis fundus, media est anni 1517. Aldinam non vidi qui ante oculos haberet, praeter Ge. Fabricium, qui alia et ipse emendasse aut aliorum emendationem admisisse videtur. Heinsius tractavit tertiam. Sed Bembina castigatio a multis recepta est, inprimis Venetis et Antwerpiensibus. Comparavit mox veterem membranam, seu excerpta P. Pithoei, et aliam Aut. Contii ICti membranam, etiam editiones veteres, Iosephus Scaliger, idemque emendationes adiecit plurimas, doctas utique, sed raro ulla ingenii vel dictionis ac numeri facilitate se probantes. P. Pithoeus, qui haud multo post Scaligerum Epigrammata et Poëmatia vetera edidit, hactenus nonnihil in Culicem et Ciriu contulisse videri debet, quod in eo lectiones occurrunt nonnullae, quas apud alios non observavi. Scaligeranas emendationes sine delectu recepit omnes Taubmannus, qui Culicem commentario instruxit, sed qui totus ex Scaligeri opibus aliisque eruditis copiis, inprimis Barthii, qui Advers. lib. XX, 13 et 19. XXI, 3 et 9 et 18. 20 et 23 Culicem emaculare voluit, consarcinatus est; qui enim ingenio suo in iocis lusibusque adeo indulgere narratus est, Taubmannus, in re critica et perspiciendo sensu nec ingenio neo iudicio suo ipse aliquid tribuisse videtur; adeo totus ex aliorum acumine pendet. Bem-

bina hinc lectio e Scaligerana emendatione passim interpolari coepit; idque diversorum virorum doctorum opera. Nam et in Heinsianis ac Burmannianis editionibus satis inconstanter multa expressa esse vidi. Cum in priore editione, quoniam per totum Maronem hoc secutus eram, lectionem editionis Burmanniana maioris, quam in nonnullis ab Heinsiana, etiam a minore Burmanni 1704, discrepare vidi, retinuissem: in nova hac recensione paullo licentius versatus sum in lectione mutanda, quoties ratione satis idonea id me facere arbitrarer. Iis enim instructus eram copiis, ut aliquid mihi hac in opera sumere possem. Nam praeterquam quod lectionis origines investigaveram, ad manus erant cum edd. veteres, quae antiquam lectionem habebant, (1) tum Bembinae lectionis auctoritas cum reliquis edd., in quibus emendatus est Culex vel tentatus. Habueram iam in priore editione variam lectionem, quam e codice suo excerptam miserat ad me Io. Ge. Gu. Koehler, alteram codicis Helmstadiensis a. 1450 exarati mihi obtulerat Wernsdorfii, viri doctissimi et humanissimi, benevolentia. In nova hac recensione ad manum fuere schedae Io. Schraderi cum descriptis ab eo schedis Nic. Heinsii, cuius sagacitatem in poëtis emendandis nemo alius aequavit. (2) Nolui tamen ea, quae elegantius ille refinxerat, obtrudere indoctis grammaticis interpolatoribus; quorum fraudes hunc eundem virum acutissimum tam parum odoratum esse saepius miratus sum. Omnino valde diversa inter se habenda sunt: restituere veteris poëtae lectionem etiam haud bonam, si haud bonus est; et, poëtam refingere, minusque probis substituere meliora. Hoc non critici est, sed iudicis.

Exstant adhuc passim in bibliothecis, inprimis in Regia Parisiensi, codices, qui poëmata illa minora, quae sub Virgilii nomine venire solent, modo plura, modo pauciora, interdum Mo-

(1) Excussi edd. Vicentinam 1479 et Ven. 1486, Ven. 1482, Ven. 1484 Norimb. 1492, Ven. 1495, Ed s. l. et a Culicis et alior. minorum carminum.

(2) Edidit nuper (1766) *H. Frisemannus* V. C. *Collectanea critica*, in quibus Cirin et Culicem exprimi curavit cum coniecturis nonnullis Io. Schraderi magistri sui, quas ad marginem libri adnotatas ab oblivione vindicare voluit: adiecit quoque ex eodem libro lectiones variantes in Cirin codicis Basileensis, in Culicem Petaviani et Vossiani. Cum mihi pleniores Schraderi schedae obtigissent: multa licuit diligentius constituere, et quae Heinsii essent, seiungere et discernere.

retum tantum aut aliud carmen, exhibent. Quos codices si excussos, saltem inspectos a viris doctis, qui ea loca adeunt, audivero; multo magis laetabor, quam si tot vulgares libros, qui Aeneidem, Georgica, et Eclogas habent, quorumque comparatione vix ullus fructus ad illa carmina exspectari potest, in medium proferri videam. Nisi enim, in codicum inspectione et usu, iudicio sano et recto utaris: nullum facile esse potest aliud studium tam ieiunum, futile et liberali homine vix dignum, quam hoc, quod in excutiendis librariae inertiae quisquiliis collocari solet.

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS

CVLEX

AD OCTAVIVM (1)

ARGVMENTVM.

Pastor gregem mane in pascua eductum sub medium diem ad fontem in agro Thebano sub Cithaerone (cf. ad v. 108) compulerat, qui erat in valle silvosa; ipse iuxta fontem recubuit et obdormivit — 160. Ecce magnus serpens, ex hydrorum genere, in locis, quae circa fontem erant, paludosis aestum levare solitus advolvitur et pastori iratus imminet — 180; cum forte fortuna, Culicis aculeo in oculi angulo infixo, expergefactus ex somno pastor manu ad vulnus delata miserum Culicem attritu interimit, vigilantibus autem oculis prospiciens serpentem sibi minantem adspicit. Itaque exilit et arrepto trunco serpentem trucidat — 200. Nocte sequente Culicis umbra pastori se per somnum offert, graviterque cum eo expostulat, quod se, qui ei salutis auctor fuisset, manus afflictu vita privasset — 230. Tum exponit errores suos per loca infera, sede certa nondum assignata — 383. Pastor altero die, ut Culici officium persolveret, tumulum ei exstruit variis floribus fruticibusque consitum et titulo ornatum — ad fin. Videtur autem hoc, etsi diserte poëta non exposuit, eo consilio fecisse, ut ad sedem certam in locis inferis admitteretur umbra Culicis ad eum morem, quo sine tumuli honore nec aliae umbrae Stygem tranare posse creditae sunt.

(1) Petaviano codici praescripta erant haec: « Poëtarum sapientissimi, P. V. M. condiscipuli Octaviani Caesaris Augusti mundi Imperatoris, iuvenalis ludi libellus. Incipit Culex. »

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia;
Atque ut araneoli, tenuem formavimus orsum.
Lusimus: haec propter Culicis sint carmina dicta.
Omnis ut historiae per ludum consonet ordo
Notitiae, ducam voces: licet invidus adsit. 5
Quisquis erit culpare iocos musamque paratus:
Pondere vel Culicis levior famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus:
Vt tibi digna tuo poliantur carmina sensu. 10
Latonae magnique decus Iovis aurea proles,
Phoebus, erit nostri princeps et carminis auctor
Et recinente lyra fautor: sive educat illum
Alma Chimaereo Xanthus perfusa liquore,

Cum difficultates, quae in hoc carmine occurrunt, lectionis fere depravatae stribligini debeantur: plerorumque locorum enodatio ex Var. Lect. expositione erit petenda. (Adeat ergo Heinii editionem, si quis hoc tanti putat. Nos officio nostro fungi credimus, textum haud prorsus nudum exhibendo. Typ.)

Exordium usque ad v. 40 continuatur. Exposito argumento, Phoebum, Musas et Palem, tum Octavium invocat: quem puerum appellat, cuiusque nondum res ullas gestas, quas commemorare posset, habuisse videtur. Octavianum Caesarem vulgo intelligi video; perperam utique. Cum ei primum commendatus est Maro a Maecenate, non iam *Octavius* erat, sed *Caesar Octavianus*; nec *puer*, sed *iuvenis*, ut in Ecl. I. Nec huc faciunt, quae de usu vocis *pueri* disputari solent. Videtur esse Octavius, cuius in Catalectis n. XIV mentio fit; nec tamen constat, sitne idem, qui ap. Horat. *Octavius optimus*. Nisi Statius cum Martiale et Suetonio Culicis Virgiliani iam meminissent, Octavii nomen fraudem fecisse Grammaticis dicerem, ut ad Maronem auctorem carmen referrent.

1. *gracili Thalia* prava imitatione dictum ex illo: *gracili avena, tenui carmine*. At comparatio, ab araneae texturam ordientis conatu petita, suavis.

4, 5. *ut omnis ordo notitiae historiae*, pro historicae, *consonet per ludum*, *ducam voces*, h. deducam, canam. Sed vide Var. Lectionis.

13. *educat*, debet esse pro tenet, habet; ut *nutrire*, τρέφειν, φέρβεσθαι. dictum imitatione loci Aen. X, 548: *totidem quos educat Vfens, viventes rapit*. — *Alma Chimaereo Xanthus perfusa liquore*. *Xanthus* urbs Lyciae, Apollini sacra, cum tota Lycia; nec multum aberat Latonae templum, τὸ Λητῷον, nobile, v. Strab. XIV, pag. 981 B. C., situm cum urbe ad flum. Xanthum; unde h. l. *Xanthus perfusa liquore Chimaereo*: h. urbs, quam alluit amnis Xanthus. Sane is quidem in monte Chimaera, quae pars Cragi

Seu nemus Asteriae, seu qua Parnassia rupes 15
Hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte,
Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.
Quare, Pierii laticis decus, ite, sorores
Naides, et celebrate deum plaudente chorea.
Et tibi, sancta Pales, ad quam ventura recurrit 20
Agrestum bona cura, sequi sit cura tenentis
Aereos nemorum tractus silvasque virentes.
Te cultrice vagus saltus feror inter et astra.
At tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis adlabere coeptis, 25
Sancte puer: tibi namque canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus;
Nec Centaureos Lapithas compellit in ensis;

fuisse et ad mare pertinuisse videtur, ortum habere vix potuit. Itaque ad geographicam subtilitatem poëta h. l. non revocandus; sed latius Chimaeram, partem montis, pro toto montis tractu et iugis, dictam esse putandum est.

15. *nemus Asteriae*. Delus, vetere nomine. v. Callimach. in Del. 36, 37. Plin. IV, s. 23.

15, 16. Parnassus mons longe procurrit versus septentrionem, donec cum Oetaeis iugis continuatur. v. Strab. IX, p. 638 B. Sed auctor partem montis versus meridiem in theatri modum patentem describere voluit. Ib. p. 640 A. τὸ δὲ νότιον (αὐτοῦ μέρος κατέχουσιν) οἱ Δελφοὶ πετρώδες χωρίον, θεατροειδές, κατὰ κορυφὴν ἔχον τὸ μαντεῖον καὶ τὴν πόλιν. Subiecta erat camporum planities versus mare declivis, qua ludi Pythici habebantur.

18. *sorores Naides*, h. l. Musae. Ad 20, 21 v. Var. Lect. Si legimus: *Et tibi, sancta Pales, ad quam ventura recurrit Agrestum fetura, sequi sit cura tenenti* ...: sententia est: etiam tu adsis, o Pales, sit tibi cura sequendi Naidas, tibi, quae tenes saltus; et paullo ante, *ad quam recurrit*, redit, cui mandata est, *fetura agrestium*, fetus pecudum, quas agrestes pascunt.

23. *te cultrice*, dum tu colis nemora et silvas, sed saltus, h. e. pascua, vagor ego *inter*, *per*, *saltus* et *antra*, ut legendum.

24. At tu, qui iam meritus es carmina, Octavi, ades mihi.

26. Namque nec Gigantomachiam nec pugnam Lapitharum cum Centauris nec bellum Persicum cantare aggredior: verum argumentum leve ac humile: in quo, ne susis excidam, minor metus esse debet. Nec obscura autem illa ratio, ut, quae poëta canit, ea in actum producat verbis: *nec compellit*. *nec Oriens urit* etc. conf. Eclog. VI, 62.

27. *Phlegra*, *tellus*, apposita; pro vulgari: Phlegraea tellus, quae etiam Pallene. Sic flumen Metaurum, terra Gallia. conf. Scalig. et Taubm., it. Barth. Advers. XIX, 13. — 28. *enses*

Vrit Erichthonias Oriens non ignibus arces;
Non perfossus Athos; nec magno vincula Ponto 30
Iacta, meo quaerent iam sera volumine famam;
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Graecia cum timuit venientis undique Persas:
Mollia sed tenui percurrere carmina versu,
Viribus apta suis, Phoebo duce, ludere gaudet. 35
Et tu, sancte puer, venerabilis, et tibi certet
Gloria perpetuum lucis mansura per aevum;
Et tibi sede pia maneat locus, et tibi sospes
Debita felicis memoretur vita per annos,
Grata bonis lucens. Sed nos ad coepta feramur. 40
Igneus aethereas iam Sol penetrarat in arcis,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru;
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat:
Propulit ut stabulis ad pabula laeta capellas
Pastor, et excelsi montis iuga summa petivit, 45
Lucida qua patulos velabant gramina collis;
Iam silvis dumisque, vagae iam vallibus abdunt
Corpora; iamque omni celeres e parte vagantes
Scrupea desertae perrepunt ad cava rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina morsu, 50
Pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis,
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.

Centaureos dixit improprie, arma: debebat saxa et stipites memorare.

29 sq. Novum hoc, quod poëta extra fabulas veteres argumentum carminis quaerit, et ex historiis petit, h. l. belli Medici. Primum in Propertio talia ex historiis, heroum vita serioribus, occurrere memini. Athenas a Persis eremalas vs. 29 quis nescit? item pontemva Xerxe Hellesponto impositum, vinculaque et flagra admota.

36—40. Etiam Octavium aliquando celebratum iri ait: sed versibus corruptis et interpolatis.

47 sq. Luxuries ornamentorum in capellis pascendis facile offendat etiam minus morosum. Laudat Taubmann. locum e Colum. VII, 6, unde haec omnia expressa videri possint. Sed in similia rerum phantasmata quivis facile poëta inciderit, etiam Columella non lecto.

Haec suspensa rapit carpente cacumina morsu
Vel salicis lentae, vel quae nova nascitur alnus;
Haec teneras fruticum sentes rimatur; at illa 55
Inminet in rivi praestantis imaginis undam.
O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta fastidiat, et probet illis
Omnia luxuriae pretiis incognita curis,
Quae lacerant avidas inimico pectore mentes. 60
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data, vellera; si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum;
Picturaeque decus, lapidum nec fulgor in ulla
Cognitus utilitate manet; nec pocula gratum 65
Alconis referent Boetique toreuma; nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Saepe super tenero prosternit gramine corpus;
Florida cum tellus gemmantis picta per herbas
Vere notat dulci distincta coloribus arva; 70

61 sqq. Locus ornatissimus et Virgiliana dictione dignus. Color orationis: *Si non — At* passim et alibi occurrit, et in ipso loco, quocum haec conveniunt, Ge. II, 464 sqq. Lucrel. II, 24 sqq. *Si* (ei) *non fuerint vellera, bis lauta colore Assyrio* (dibapha, v. Plin. IX, 39, s. 63) *data* (comparata, emta) *Attalicis opibus* (ingenti pretio: quippe eum ea purpura in libras denariis mille non posset emi *ib.*) Nam *data* vetat, quominus ad ipsam texturam locus revocetur: etsi non excideriit animo Plinii locus: *Aurum intexere invenit Attalus rex; unde nomen Attalicis* — 64. *lapidum fulgorem*, lt. lapides fulgentes, ad marmorum polituram et picturam musivariam referre iubet cum Barth. XX, 49 Taubmann., quia de gemmis mox demum v. 67 agatur. Ibi tamen unionès commemorantur, non gemmae. Porro *manet cognitus* debet esse dictum pro *cognitus est*, ut sit: *si nec fulgor lapidum*, gemmarum, inter res utiles ab ipso refertur, cognitus ipsi est ullius utilitatis esse; sed v. Var. Lect. Variat autem id, quod simpliciter erat: si non habet purpuram, aurum, gemmas etc. — 66. *Alcon* Mylens, statuarius et caelator apud Ovid. Met. XIII, 683, 684 (etsi hic ad fabulosa Anii, qui Deli rex et sacerdos erat, retrahitur) et Plin. XXXIV, 41, s. 40 occurrit. *Boethus* paullo notior est inter caelatores v. XXXIII, 12, s. 55. *toreuma* proprie de opere exstante, anaglypho, est accipiendum.

Atque illum, calamo laetum recinente palustri,
Otiaque invidia degentem ac fraude remota,
Pollentemque sibi, viridi cum palmite ludens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu.
Illi sunt gratae rorantes lacte capellae,
Et nemus, et fecunda Pales, et vallibus imis
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato quaeat esse beatior aevo,
Quam qui mente procul pura sensuque probando
Non avidas agnovit opes; non tristia bella, 80
Nec funesta timet validae certamina classis;
Non, spoliis dum sancta deum fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem transcendat habendi,
Adversum saevis ultro caput hostibus offert.
Illi falce deus colitur, non arte, politus; 85
Ille colit lucos; illi, Panchaia tura,
Floribus agrestes herbae variantibus, adsunt;
Illi dulcis adest requies, et pura voluptas,
Libera, simplicibus curis: huc inminet, omnis
Dirigit huc sensus, haec cura est subdita cordi, 90
Quolibet ut requie victu contentus abundet,
Iucundoque liget languentia corpora somno.
O pecudes, o Panes, et o gratissima Tempe
Fontis Hamadryadum: quarum non divite cultu
Aemulus Ascraeo pastor sibi quisque poetae 95
Securam placido traducit pectore vitam.
Talibus in studiis baculo dum nixus apricas

71—74. Ille sub umbraculis viteis otium fallit cantu.

82—84. Qui non caput discrimini pugnae obiicit, *dum ornet*, h. e. eo consilio, ut hostium spoliis, manubiis, templa deorum ornet, vel magnas et immodicas opes e praeda sibi parat. Respicit militiam, quae illa aetate inter artes et vias divitiarum parandarum erat. vid. Tibull. I, 1 pr.

97—105. Inter delicias has vitae rusticae dum pastor tempus canendo fallit, ad meridiem sole progresso, in umbram compellit gregem,

Pastor agit curas, et dum non arte canora
Conpacta solitum modulatur arundine carmen:
Tendit inevectus radios Hyperionis ardor, 100
Lucidaque aethereo ponit discrimina mundo,
Qua iacit Oceanum flammas in utrumque rapaces.
Et iam conpellente vagae pastore capellae
Ima susurrantis repebant ad vada lymphae,
Quae subter viridem residebant caerula muscum. 105
Iam medias operum partis evectus erat Sol:
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras;
Et procul adspexit luco residere virenti,
Delia diva, tuo: quo quondam victa furore
Venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agave 110
Infandas scelerata manus e caede cruenta:
Quae gelidis bacchata iugis requievit in antro.
Posterius poenam gnati se morte futuram.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herba,
Et Satyri Dryadesque choros egere puellae 115
Naiadum coetu. Tantum non Orpheus Hebrum
Restantem tenuit ripis silvasque canendo,
Quantum te, Peneu, remorantem dia chorea,
Multa tibi laeto fundentes gaudia vultu,

108. Lucum sub Cithaerone monte describit Dianae sacrum: in quem casu pastor gregem compulit, prospiciens in umbra recubantes pecudes in luco tuo, o Diana: in quem quondam venit Agave, Cadmi filia, e Bacchico furore resipiscens Pentheo filio laniato.

114 seqq. Iterum luxuriatur seu poëtae seu interpolatoris ingenium in describendo luco et antro, quo pastor consedit. Alia aliorum poëtarum lusibus assuta. De singulis vid. Var. Lect. Comparari potest similis arborum enumeratio ap. Ovid. Met. X, 86 sq. in cantu Orphei: quem locum auctor huius emblematis ante oculos habuisse videri potest.

118. Si pro *Peneu*, legitur ex Aldina *pernix*, sensus est: Non tantum Orpheus cantu suo Hebrum, *quantum te, o dia*, dea Diana, *chorea* Panum, Satyrorum et Dryadum voluptate audiendi videndique tenuit, gaudentium. Pro hoc: chorea fundens, et pro hoc, *fundentes gaudia, quis dabat* (cum iis daret ea gaudia) *ipsa loci natura*. Scabra tamen vel sic oratio.

Ipsa loci natura, domum resonante susurro, 120
Quis dabat, et dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aëreae platanus: inter quas inpia lotos,
Inpia, quae socios Ithaci maerentis abegit,
Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos. 125
At, quibus insigni curru proiectus equorum
Ambustus Phaethon luctu mutaverat artus,
Heliades teneris amplexae brachia truncis
Candida fundebant tentis velamina ramis.
Posterius, cui Demophoon aeterna reliquit 130
Perfidiam lamentandi mala, perfida multis.
Quam comitabantur fatalia carmina quercus:
Quercus ante datae, Cereris quam semina, vitae:
Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
Hic, magnum Argoae navi decus, edita pinus 135
Proceras decorat silvas hirsuta per artus.

124. *impia lotos*, *Impia*, *quae*; nota figura Horatii exemplo iam a Scaligero notato: *Impiae*, *nam quid p. m. Impiae d.* Carm III, 11, 30, 31, et Catull. LXIV, 404, 405. Impietas spectat haud dubie ad iniuriam Vlyssi factam sociis relentis. *abegit*, scil. ab Vlyssis navi, avocavit: intercessit loti suavitas, quo minus socii Vlyssis ad naves redirent (v. Odyss. 1, 94 sqq.). Ceterum confudit poëta diversi generis lotos. Lotus illa Vlyssis in Africa reperta non erat Boeotiae domestica.

126—129. Populi arbores, vel alni (nam utrasque Virgilius agnoscit Ecl. VI, 62 et Aen. X, 190), in quas mutatae Phaethontis sorores, Heliades, tamquam Solis ex Clymene filiae. Factum ex luctu de fratris casu suscepto; unde poëta: *Phaethon luctu iis mutaverat artus*. Mox v. 128, 129 hoc velle videtur poëta: populos illas sororias ita inter se condensatas situ fuisse, ut implicarent mutuo nexu ramos et umbracula facerent: *fundebant tentis ramis velamina* (ut v. 74 *Tiliolia pampineo subter coma velat amictu*) *candida*; scilicet populus alba est intelligenda. *amplexae brachia truncis*, probabilius, *implexae*. vid. Var. Lect.

130, 131. Postea stabat arbos amygdala, in quam mutata fuit Phyllis Demophoontis perfidiam lamentata.

132—134. De quercu Dodonaea fatidica nota est fabula. *quercus carmina*, ex apposito, h. e. quae carmen reddunt, vel e quibus carmen redditur; canorae. *Carmen* adeo pro canente, vaticinium pro vate. conf. Taubm. *fatale* igitur, quia de oraculo. Glandes ante frugum sationem a Triptolemo monstratam memiuisti

Adpetit aereis contingere montibus astra
Ilicis et nigrae species, et laeta cupressus;
Vmbrosaeque manent fagus, ederaeque ligantes
Brachia, fraternos plangat ne populus ictus; 140
Ipsaeque excedunt ad summa cacumina lentae,
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos.
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus. 145
His suberat gelidis manans e fontibus unda:
Quae levibus placidum rivis sonat orta liquorem;
Et, quamquam geminas avium vox obstrepit auris,
Hanc querulae referunt voces, quis nantia limo
Corpora lympha fovet. Sonitus alit aeris Echo; 150
Argutis et cuncta fremunt ardore cicadis.
At circa passim fessae cubuere capellae,
Excelsisque super dumis: quos leniter adflans
Aura susurrantis possit confundere venti.

Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra, 155
Mitem concepit proiectus membra soporem,
Anxius insidiis nullis: sed lentus in herbis
Securo pressos somno mandaverat artus:
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem:
Ni Fors incertos iussisset ducere casus. 160

vel ex Ge. I, 7, 8. *mutavit*, permutavit. — 139. *Ilex nigra*, diversa a quercu, nunc cum cupresso iuncta: novo more.

141, 142. Hederae fagos amplexae bene descriptae sunt. Earum racemi cum acinis, *corymbi* dicti, *aureoli* sunt; est ergo de genere hederae cum fructu croceo intelligendum hoc; sed foliis albis; ergo *viridi pallore* distinguitur corymborum flavor. Est aliquid simile in loco Ecl. III, 39, *vitis Diffusos edera vestit pallente corymbos*: ubi vid. Not. et II, 50, *Mollia luteolo pingit vaccinia caltha.*

143. In myrtum mutata femina Myrsine v. Serv. ad Aen. III, 23. Geopon. XI, 6.

148. Et, quamvis avium cantus aures obtundit, *hinc* (ita leg.) *referunt voces querulae* ranae.

Ipsa loci natura, domum resonante susurro, 120
Quis dabat, et dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aëreae platanus: inter quas inpia lotos,
Inpia, quae socios Ithaci maerentis abegit,
Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos. 125
At, quibus insigni curru proiectus equorum
Ambustus Phaethon luctu mutaverat artus,
Heliades teneris amplexae brachia truncis
Candida fundebant tentis velamina ramis.
Posterius, cui Demophoon aeterna reliquit 130
Perfidiam lamentandi mala, perfida multis.
Quam comitabantur fatalia carmina quercus:
Quercus ante datae, Cereris quam semina, vitae:
Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
Hic, magnum Argoae navi decus, edita pinus 135
Proceras decorat silvas hirsuta per artus.

124. *impia lotos*, *Impia*, *quae*; nota figura Horatii exemplo iam a Scaligero notato: *Impiae*, *nam quid p. m. Impiae d.* Carm III, 11, 30, 31, et Catull. LXIV, 404, 405. Impietas spectat haud dubie ad iniuriam Vlyssi factam sociis retentis. *abegit*, scil. ab Vlyssis navi, avocavit: intercessit loti suavitas, quo minus socii Vlyssis ad naves redirent (v. Odyss. 1, 94 sqq.). Ceterum confudit poëta diversi generis lotos. Lotus illa Vlyssis in Africa reperta non erat Boeotiae domestica.

126—129. Populi arbores, vel alni (nam utrasque Virgilius agnoscit Ecl. VI, 62 et Aen. X, 190), in quas mutatae Phaethontis sorores, Heliades, tamquam Solis ex Clymene filiae. Factum ex luctu de fratris casu suscepto; unde poëta: *Phaethon luctu iis mutaverat artus*. Mox v. 128, 129 hoc velle videtur poëta: populos illas sororias ita inter se condensatas situ fuisse, ut implicarent mutuo nexu ramos et umbraculo facerent: *fundebant tentis ramis velamina* (ut v. 74 *Tmolia pampineo subter coma velat amictu*) *candida*; scilicet populus alba est intelligenda. *amplexae brachia truncis*, probabilius, *implexae*. vid. Var. Lect.

130, 131. Postea stabat arbos amygdala, in quam mutata fuit Phyllis Demophoontis perfidiam lamentata.

132—134. De quercu Dodonaea fatidica nota est fabula. *quercus carmina*, ex apposito, h. e. quae carmen reddunt, vel e quibus carmen redditur; canorae. *Carmen* adeo pro canente, vaticinium pro vate. conf. Taubm. *fatale* igitur, quia de oraculo. Glandes ante frugum sationem a Triptolemo monstratam memiuisti

Adpetit aereis contingere montibus astra
Ilicis et nigrae species, et laeta cupressus;
Vmbrosaeque manent fagus, ederaeque ligantes
Brachia, fraternos plangat ne populus ictus; 140
Ipsaeque excedunt ad summa cacumina lentae;
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos.
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus. 145
His suberat gelidis manans e fontibus unda:
Quae levibus placidum rivis sonat orta liquorem;
Et, quamquam geminas avium vox obstrepit auris,
Hanc querulae referunt voces, quis nantia limo
Corpora lympha fovet. Sonitus alit aeris Echo; 150
Argutis et cuncta fremunt ardore cicadis.
At circa passim fessae cubuere capellae,
Excelsisque super dumis: quos leniter adflans
Aura susurrantis possit confundere venti.

Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra, 155
Mitem concepit proiectus membra soporem,
Anxius insidiis nullis: sed lentus in herbis
Securo pressos somno mandaverat artus:
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem:
Ni Fors incertos iussisset ducere casus. 160

vel ex Ge. I, 7, 8. *mutavit*, permutavit. — 138. *Ilex nigra*, diversa a quercu, nunc cum cupresso iuncta: novo more.

141, 142. Hederae fagos amplexae bene descriptae sunt. Earum racemi cum acinis, *corymbi* dicti, *aureoli* sunt; est ergo de genere hederae cum fructu croceo intelligendum hoc; sed foliis albis; ergo *viridi pallore* distinguitur corymborum flavor. Est aliquid simile in loco Ecl. III, 39, *vitis Diffusos edera vestit pallente corymbos*: ubi vid. Not. et II, 50, *Mollia luteolą pingit vaccinia caltha.*

143. In myrtum mutata femina Myrsine v. Serv. ad Aen. III, 23. Geopon. XI, 6.

148. Et, quamvis avium cantus aures obtundit, *hinc* (ita leg.) *referunt voces querulae* ranae.

Nam solitum volvens ad tempus tractibus isdem
Inmanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo magno subsideret aestu,
Obvia vibranti carpens gravis aera lingua,
Squamosos late torquebat motibus orbis. 165
Tollebant aurae venientis ad omnia visus.
Iam magis atque magis corpus revolubile volvens
Adtollit nitidis pectus fulgoribus, et se
Sublimi cervice rapit: cui crista superne
Edita purpureo lucens maculatur amictu, 170
Adspectuque micant flammantia lumina torvo.
Metabat late circum loca: cum videt ingens
Adversum recubare ducem gregis. Acrior instat
Lumina diffundens intendere, et obvia torvo
Saepius adripiens infringere, quod sua quisquam 175
Ad vada venisset: naturae conparat arma;
Ardet mente, furit stridoribus, intonat ore;
Flexibus eversis torquetur corporis orbis;
Manant sanguineae per tractus undique guttae;
Spiritus et rumpit fauces. Cui cuncta paranti 180
Parvulus hunc prior humoris conterret alumnus,
Et mortem vitare monet per acumina. Namque,
Qua diducta genas pandebant lumina gemmis,
Hac senioris erat naturae pupula telo
Icta levi. Tum prosiluit furibundus, et illum 185
Obtritum morti misit; cui dissitus omnis
Spiritus excessit sensus. Tum torva tenentem
Lumina respexit serpentem comminus: inde

166 sqq. Iterum ingenii intemperantis exspatiatio in tortibus et gyris hydrae; aut potius hominum scholasticorum lusus. Tandem v. 172 videt pastorem ad fontem recubantem. Ab aditu fontis ita se exclusum sentiens exasperatur serpens et adoritur. Tum v. 180 culicis morsu, somno excitatus pastor, trunco arreplo serpentem necat. — 185-200. De singulorum versuum corruptelis v. V. L. Versu 166 volueral interpolator dicere: Omnia undique loca pallebant ad sensum halitus virosi.

Inpiger, exanimis, vix conpos mente, refugit,
Et validum dextra truncum detraxit ab orno: 190
Qui casus sociaret opem, numenve deorum.
Namque illi dederitne viam casusve, deusve,
Prodere sit dubium: voluit sed vincere tales
Horrida squamosi volventia membra draconis:
Atque reluctantis, crebris foedeque petentis 195
Ictibus, ossa ferit, cingunt qua tempora cristae.
Et, quod erat tardus, somni languore remoto,
Nescius adspiciens, timor obcaecaverat artus:
Hoc minus inplicuit dira formidine mentem.
Quem postquam vidit caesum languescere, sedit. 200
Iam quatit et biiuges oriens Erebo cit equos Nox.
Et piger aurato procedit Vesper ab Oeta:
Cum, grege conpulso pastor, duplicantibus umbris,
Vadit et in fessos requiem dare conparat artus.
Cuius ut intravit levior per corpora somnus, 205
Languidaque effuso requierunt membra sopore:
Effigies ad eum Culicis devenit, et illi
Tristis ab eventu cecinit convicia mortis.
Inquit: Quid meritus, ad quae delatus acerbas

Vss. 191—194. Sunt fetus inepti interpolatoris: qui hoc dicere voluit: pastorem consilii inopem percussisse serpentem ramo arboris arrepto, seu casus seu numinis providi beneficio, oblato. Lectionis lunctura haec videtur fuisse: *Et validum dextra truncum detraxit ab orno, atque reluctantis — ossa ferit, cingunt qua tempora cristae; Quem postquam vidit caesum languescere sedit.* nam etiam vss. 197. 8. 9. insititii sunt: ut in V. L. dictum est.

207. Sequitur locus, in quo poëta non modo luxuriatur, sed adeo inepti, dum fabulas de rebus inferis non tantum molesta copia relexit; nam, etsi maior earum pars ex interpolatione irrepsisse videri debet, tamen aliquas saltem, at vel illas a re alienas, a poëta profectas esse probabile est; verum etiam partes narrantis Vmbrae Culicis tribuit, qui iustis sibi nondum persolutis nec dum loca ea adierat, sed e longinquo prospexerat. *Effigies*, h. l. εἴδωλον, umbra Culicis, ut bene Scaliger monuit. Mox v. 214 pro ea *viscera* dixit miro modo; dum corpus et corporis umbram cogitaret. *cecinit convicia* ut 208, doctius quam *fecit*, ex antiquo sermone; ut in XII Tabb. *occentare*. Sed *ab eventu* v. 208 quorsum referemus? an, cecinit convicia pro-

Cogor adire vices? tua dum mihi carior ipsa 210
Vita fuit vita, rapior per inania ventis.
Tu lentus refoves iucunda membra quiete,
Ereptus tetris e cladibus: at mea Manes
Viscera Lethaeas cogunt transnare per undas;
Praeda Charontis agor. Viden' ut flagrantia taedis 215
Lumina conlucent infestis omnia templis;
Obvia Tisiphone, serpentibus undique comta,
Et flammas et saeva quatit mihi verbera poenae;
Cerberus et diris flagrat latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis, 220
Sanguineique micant ardorem luminis orbes.
Heu! quid ab officio digressa est gratia, cum te
Restitui superis leti iam limine ab ipso?
Praemia sunt pietatis ubi? pietatis honores
In vanas abiere vices; et rure recessit 225
Iustitiae prior illa fides; instantia vidi
Alterius, sine respectu mea fata relinquens;
Ad pariles agor eventus; sit poena merenti;
Poena sit exitium; modo fit dum grata voluntas!
Existat par officium! Feror avia carpens, 230

pter id, quod evenerat. Nisi magis placet ad effigiem referre, ut ea sit *tristis ab eventu.*

216. Scabra oratio: *vidi sne, ut omnia lumina* (sic leg.) *infernis templis* (pro locis) *colluceant flagrantia taedis!* i. a Furiis faces quatientibus omnia loca esse obsessa.

222. *Heu, quid*, quare, *gratia digressa est ab officio!* quam parum persolvisti mihi gratiam debitam! *Officium* est eius, qui beneficium accepit; et digreditur ab officio, qui gratiam non solvit: *more* vulgari hominum.

228, 229. Quibus his duabus luceptis laciniis, reliqua hunc sensum habent: vs. 226. vidi mortem instare alii, eique subveni, mei ipsius discriminis immemor. *sine respectu relinquens*, haud respiciens, haud curans. *Nunc existat par officium:* praestetur a te mihi hoc, ut corpus meum terra condatur, meaque umbra, eis Acherontem adhuc vagari coacta, aeque traiecto ad sedes quietas admittatur.

230. Ad loca infera delatus vagatur per avia lucorum Cimmeriorum, quos hic in remotis Orci partibus versus Tartari limina collocat. In Tartaro enim scelleratorum supplicia pro-

Avia Cimmerios inter distantia lucos:
Quem circa tristes densentur in omnia poenae.
Nam vinctus sedet inmanis serpentibus Otos,
Devinctum maestus procul adspiciens Ephialten;
Conati cum sint quondam rescindere mundum; 235
Et Tityos, Latona, tuae memor anxius irae,
Inplacabilis ira nimis, iacet alitis esca.
Terreor ah tantis insistere, terreor, umbris,
Ad Stygias revocatus aquas. Vix ultimus amni
Restat, nectareas divum qui prodidit escas. 240
Gutturis arenti revolutus in omnia sensu.
Quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
Contemsisse dolor quem numina vincit acerbus,
Otia quaerentem frustra? Vos ite puellae,
Ite, quibus taedas adcendit tristis Erinnys; 245
Sicut Hymen praefata dedit connubia mortis:
Atque alias alio densat super agmine turmas;
Inpietate fera vecordem Colchida matrem
Anxia sollicitis meditantem volnera gnatis;
Iam Pandionias miseranda prole puellas, 250
Quarum vox Ityn, et Ityn, quod Bistonius Rex,
Orbus epops maeret volucris evectus in auras.
At discordantes Cadmeo sanguine fratres
Iam truculenta ferunt infestaque volnera corpus

spicere debuit Culex: Otl et Ephialtae, Aloidarum: Aen. VI, 582 sq. Tityi, ibid. 595 Tantali, Danaidum, Medeae, Philomelae et Procnes, 250. Eteoclis et Polynicis 253: Inde vs. 259 ad Sedes Piorum (ad quas vs. 295 sq. pervenit) defertur: sed in limine Campos Lugentium prospicit: inque iis heroidas Alcestin, Penelopen, Eurydicen. *ferror carpens*, carpo avia.

238, 239. Haec coniungenda sunt cum v. 257, 258, *auferor ultra In diversa magis*. Errabat umbra Culicis per loca infera avia et ad limen Tartari pervenerat. Ibi vero territa monstris eorumque suppliciis refugit et tandem defertur in alteram partem, ad Elysios campos. Mirum in modum omnia sunt corrupta: quae vidin V. L.

250. Proerin et Philomelam videt in Tartaro, tum vs. 253 Eteoclem et Polynicem sibi mutua vulnera in-

Alter in alterius: iamque aversatus uterque, 255
Inpia germani manat quod sanguine dextra.
Eheu! mutandus nunquam labor. Auferor ultra
In diversa magis: distantia limina cerno:
Elysiam tranandus agor delatus ad undam.
Obvia Persephone comites Heroidas urguet 260
Adversas perferre faces. Alcestis ab omni
Inviolata vacat cura, quod saeva mariti
Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.
Ecce, Ithaci coniux, semper decus, Icariotis
Femineum incorrupta decus; manet et procul illa 265
Turba ferox iuvenum telis confixa procorum.
Quin misera Eurydice tanto maerore recessit,
Poenaque respectus et nunc manet, Orpheus, in te.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam
Credidit, aut ulli Ditis placabile numen; 270
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis,
Nec maesta obtentu diro et ferrugine regna,
Defossasque domos, ac Tartara nocte cruenta
Obsita, nec faciles Ditis sine iudice sedes,
Iudice, qui vitae post mortem vindicat acta. 275
Sed fortuna valens audacem fecerat Orphea.
Iam rapidi steterant amnes, et turba ferarum

ferentes; 258, *Eheu mutandus nunquam labor*, de poena nunquam finem habente. 257. aversatus haec ulterius pergit Culex in diversas partes.

257—294. Nunc Vmbra ad Elysios campos tendens campos Lugentium prospicit; si recte salebrosos versus interpretor: ut antequam ad Elysium pervenisset, videat Culex Heroidas a Proserpina coactas ferre nuptias infaustas: ex his memorat Alcestin pro marito Admeto mortem oppetentem, Penelopen a procis infestatam, et Eurydicen ab Orpheo, iam in vitam cum revocata esset, iterum in Orcum retractam.

276. *Fortuna audacem fecerat Orphea*, scil. quod tantam cantus sui vim in aliis rebus alio tempore iam saepe antea expertus fuerat, quae mox enumerantur: hoc tamquam successu elatus ille audebat nunc adire loca infera. *Fortuna valens*: simpl. ornans epitheton; plerumque alias

Blande voce sequax regionem insederat Orphei;
Iamque imam viridi radicem moverat alte
Quercus humo, steterantque amnes, silvaeque sonorae 280
Sponte sua cantus rapiebant cortice amara.
Labentes biiuges etiam per sidera Luna
Pressit equos; et tu currentes, menstrua virgo,
Auditura lyram tenuisti nocte relicta.
Haec eadem potuit Ditis te vincere coniux, 285
Eurydicenque ultro ducendam reddere. Non fas,
Non erat in vitam divae exorabile numen.
Illa quidem, nimium Manes experta severos,
Praeceptum signabat iter; nec retulit intus
Lumina, nec divae conrupit munera lingua. 290

fortuna potens. — 277, 278. *regionem*, locum, in quo Orpheus canens cithara consederat, *turba ferarum*, *sequax blanda voce*, propter blandam vocem *Orphei*, iam alias saepe suavi cantu allecta, *insederat.* — 279, 280. Hic peccavit poëta, quisquis ille fuit (nam totum episodium de Orpheo ab alio, sed docto, homine profectum videtur), cum Ovidio et aliis, quod vim cantus Orphici in arbores nimis dilute descripsit. Recte veteres poësis arbores carmine motas et deliuitas dicere potuit. Sed ineptum erat, huic phantasmati immorari et ipsam motus rationem describere velle. Quercus radicitus evulsa ad vatem accedere debuit secundum poëtam nostrum. Mox redit ad easdem vs. 280, 281 *silvae sonorae* (ornat h. l. epitheton proprium arborum vento strepentium) *rapiebant* cantus, avide audiebant, arripiebant, idque ornavit adiecto *cortice*; ut alias *auribus rapimus cantum*: sonus autem per corticem penetrabat. — 282. Etiam Luna repressit bigas per caelum invectas; cursum inhibuit. *Bigae* nunc equorum sunt, alias taurorum. Parum suaviter mox eandem alloquitur; et tu, *menstrua virgo*, propter vices lunae menstruas; ut audires lyram, *tenuisti currentes* equos, *nocte relicta*, cursu, quo noctem efficit, regit. — 285-287. Haec eadem lyra, o coniux Ditis, potuit te vincere, ut redderes Eurydicen. *haec potuit reddere*, sc. illo poëtis more, efficere, ut redderetur. *ducendam*, reducendam in vitam; reliqua sunt scabra.

288. Eurydice quidem, severum et strictum ius inferorum deorum iam experta, iter praescripto modo faciebat, neque, uti iussi erant, respexit, neque verbum eloquta est. Ingeniose sic poëta non modo Orpheo interdictum, ne retrospiceret, verum et novam legem Eurydice datam memorat, qua nostros poëtas nondum uti vidi: *ut nec illa silentium voce rumperet*: quae lex longe durissima fuit, utpote feminae dicta. Fuit tamen illa magis compos linguae,

Sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
Oscula cara petens rupisti iussa deorum.
Dignus amor venia, parvum si Tartara nossent
Peccatum ignovisse. Sed et vos sede piorum,
Vos manet Heroum contra manus. Hic et uterque 295
Aeacides: Peleus namque, et Telamonia virtus
Per secura patris laetantur numina, quorum
Connubis Venus et Virtus iniunxit honorem.
Hunc rapuit serva: ast illum Nereis amavit.
Assidet hac iuvenis, sociat quem gloria, fortis, 300
Acer, inexcussus, referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios torva feritate repulsos.
O quis non referat talis divortia belli,
Quae Troiae videre viri, videreque Graii!
Teucria cum magno manaret sanguine tellus, 305
Et Simois, Xanthique liquor; Sigeaque praeter
Litora cum Troas, saevi ducis Hectoris ira;
Videre in classis inimica mente Pelasgas
Vulnera, tela, nece, ignis inferre paratos.
Ipsa iugis namque Ida, potens feritatis, et ipsa 310
Aequa faces altrix cupidis praebebat alumnis,
Omnis ut in cineres Rhoetei litoris ora

quam maritus amoris. *signare iter*, vestigiis impressis.

294. Nunc ipsum Elysium adit Culex, et recensum heroum facit, ea loca incolentium, primo, Graecorum, tum Troianorum. Si *manet* vs. 295 sincerum est, debet exspectandum esse, ut et heroinae aliquando in Elysium admittantur.

303. *divortia belli*: quod inter diversos duo populos geritur, quasi ad duo divertitur: ut *divortia viarum*, *aquarum*; et ex altera parte similiter, *iugia belli*, *discordia pugnae*, dici solent. Elegans translatio, quam nescio num aliunde acceperit poëta. Mox 304 facit iterum in digressione novam digressionem de bello Troiano poëta: nisi tota haec lacinia cum tot aliis assuta est ab alio. Cogitandum autem de τειχομαχίᾳ Iliad. N. in qua Aiax Telamonius ignem a classe propulsavit 107 sq. Tum alter Aeacides, vs. 322 Achilles, Hectorem interemit.

306. *Sigeaque praeter*, ante, *littora cum videre*, supple ex vers. 304 *Troes* (pro Troiae) *viri et Graii*.

Classibus ambustis flamma superante daretur.
Hinc erat oppositus contra Telamonius heros,
Obiectoque dabat clipeo certamina; et illinc 315
Hector erat, Troiae summum decus: acer uterque,
Fulminibus coelo veluti fragor editus alto;
Ignibus hic telisque super, si classibus Argos
Eripiat redditus: ille ut Vulcania ferro
Vulnera protectus depellere navibus instet. 320
Hoc erat Aeacides alter laetatus honore:
Dardaniaeque, alter, fuso quod sanguine campis
Hectoreo victor lustravit corpore Troiam.
Rursus acerba fremunt; Paris hunc quod letat, et huius
Alma dolis Ithaci virtus quod concidit icta. 325
Huic gerit aversos proles Laërtia vultus,
Et iam Strymonii Rhesi victorque Dolonis,
Pallade iam laetatur ovans; rursusque tremiscit
Iam Ciconas, iam iamque horret Laestrygonas atrox.
Illum Scylla rapax canibus subcincta Molossis, 330
Aetnaeusque Cyclops; illum metuenda Charybdis,
Pallentesque lacus, et squalida Tartara terrent.
Hic et Tantalei generis decus, amplus Atrides,
Assidet, Argivum lumen: quo flamma regente
Doris Erichthonias prostravit funditus arces. 335
Reddidit, heu, gravius poenas tibi, Troia, ruenti;

321. *Aeacides alter*, Aiax Telamonius, qui a navibus ignes a Troianis illatos depulerat; *alter*, Achilles, Hectoris caeli corpus circa muros Troiae raptavit. Aen. I, 483.

324. Achilles Paridis, Aiax Vlyssis fraude cecidit.

326. Sedet in Elysio Vlysses averso ab Aiace vultu; ipse apud se reputans, quae gesserat.

328. *Pallade ovans* potest esse, Palladis auxilio; sed verius, Pallade rapta, Palladio, ut iam Ascensius. vid. Aen. II, 163 sqq.

336. *Reddidit heu gravius*, ut sensus sit, lege *Graius* pro Grali; nam de naufragio in reditu Achivorum agere incipit. *Hellespontiacae aquae* latius dictae pro mari Aegaeo. *Arces Erichthonia* v. 313 est *Pergamum*: Erat Erichthonius Dardani filius, qui post fratrem Ilum Ilii regnum tenuit: Apollod. III, 12, 2.

Hellespontiacis obiturus reddidit undis.
Illa vices hominum testata est copia quondam,
Ne quisquam propriae fortunae munere dives
Iret inevectus coelum super; Omne propinquo 340
Frangitur invidiae telo decus. Ibat in altum
Vis Argea petens patriam, ditataque praeda
Arcis Erichthoniae: comes huic erat aura secunda
Per placidum cursu pelagus; Nereis ad undas
Signa dabat, pars inflexis super acta carinis; 345
Cum, seu coelesti fato, seu sideris ortu,
Vndique mutatur coeli nitor; omnia ventis,
Omnia turbinibus sunt anxia. Iam maris unda
Sideribus certat consurgere; iamque superne
Conruere et Sol iis, et sidera cuncta, minantur. 350
Ac venit in terras coeli fragor. Hoc modo laeta
Copia nunc miseris circumdatur anxia fatis,
Inmoriturque super fluctus, et saxa Capharei,
Euboicas et per cautes Heraeaque late 354
Litora: cum Phrygiae passim vaga praeda peremtae
Fluctuat omnis in aequoreo iam naufraga tractu.
Hic alii sidunt pariles virtutis honore
Heroes, mediisque siti sunt sedibus omnes:
Omnis Roma decus magni quos suscipit orbis.
Hic Fabii, Deciique; hic est et Horatia virtus; 360
Hic et fama vetus nunquam moritura Camilli;
Curtius et, mediis quem quondam sedibus urbis
Devotum bellis consumsit gurgitis haustus;
Mucius et prudens ardorem corpore passus,
Legitime cessit cui fracta potentia Regis. 365
Hic Curius clarae socius virtutis, et ille
Flaminius, devota dedit qui corpora flammae.
Iure igitur talis sedes pietatis honorat.

357. Nunc heroës Romani, h. e. clarissimi viri, memorantur in Elysio.

Illic Scipiadaeque duces; devota triumphis
Moenia quos rapidos Libycae Carthaginis horrent.
Illi laude sua vigeant; ego Ditis opacos
Cogor adire lacus, viduos a lumine Phoebi,
Et vastum Phlegethonta pati: quo maxima Minos
Conscelerata pia discernit vincula sede.
Ergo iam caussam mortis me dicere vinctae
Verberibus saevo cogunt ab iudice Poenae:
Cum mihi tu sis caussa mali, nec conscius adsis,
Sed tolerabilibus curis haec inmemor audis;
Quae tamen, ut vanis dimittens omnia ventis,
Digredior nunquam rediturus; tu cole fontis
Et viridis nemorum silvas et pascua laetus:
Et mea diffusas rapiantur dicta per auras.
Dixit; et extrema tristis cum voce recessit.
Hunc ubi sollicitum dimisit inertia vitae:
Interius graviter mentem aeger nec tulit ultra
Sensibus infusum Culicis de morte dolorem.
Quantumcumque sibi vires tribuere seniles,
(Quis tamen infestum pugnans devicerat hostem)
Rivum propter aquae, viridi sub fronde latentem
Conformare locum capit inpiger: hunc et in orbem
Destinat, ac ferri capulum repetivit in usum,

371 sqq. Miro phantasmate poëta Culicem per diversas inferorum partes vagatum, cum primum lucos Cimmerios, monstrorum sedes (v. 230 sq.), mox Impiorum loca (v. 238 sq.) tum Elysias sedes (v. 257 sqq. ad v. 370) a limine salutasset, nunc in eo esse narrat, ut coram Minoë iudicium subeat. Scilicet corpore sepulto et funeris honore sibi persoluto sperare poterat, iri se admissum ad certam in inferis sedem. Nam ad humanae umbrae exemplum haec adumbrata sunt.

384. Exsurgit a somno pastor et Culici tumulum parat. Etsi enim non diserte de eo Culex conqueritur, quod iustis sibi non praestitis umbra in inferis sedem habitura certam non sit, totam tamen poëtae fabulam eo attemperatam esse apparet. 390. *capit conformare*: suscipit, ut supra *comparat dare*. v. 204 *et in fessos requiem dare comparat artus*. Aliud est *locum capere*, quod Scaliger huc vocat. 394. *ferri capulum*, de ligone accipio.

Gramineam ut viridi foderet de cespite terram.
Iam memor inceptum peragens sibi cura laborem
Congestum cumulavit opus, atque aggere multo
Telluris tumulus formatum crevit in orbem : 395
Quem circum lapidem laevi de marmore formans
Conserit assiduae curae memor. Hic et acanthus,
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Et violae genus omne hic est, et Spartica myrtus,
Atque hyacinthus ; et hic Cilici crocus editus arvo; 400
Laurus item Phoebi surgens decus ; hic rhododaphne,
Liliaque, et roris non avia cura marini,
Herbaque turis opes priscis imitata Sabina,
Chrysanthusque, ederaeque nitor, pallente corymbo,
Et Bocchus Libyae Regis memor ; hic amarantus, 405
Buphthalmusque virens, et semper florida pinus.
Non illinc Narcissus abest : cui gloria formae
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus ;
Et quoscumque novant vernantia tempora flores.
His tumulus super inseritur : tum fronte locatur 410
Elogium, tacita format quod litera voce :
Parve Culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.

CVLEX

PROBABILITER RESTITVTVS

CVM NOTATIONE INTERPOLATIONVM (1)

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia;
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum;
Lusimus: haec propter Culicis sunt carmina dicta,
Omnis ut historiae per ludum consonet ordo.
Notitiam ducunt voces. Licet invidus adsit. 5
Quisquis erit culpare iocos Musamque paratus,
Pondere vel Culicis levior famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt cum securos mihi tempora portus,
Vt tibi digna tuo poliantur carmina sensu. 10
Latonae magnique Iovis genus, aurea proles,
Phoebus erit nostri princeps et carminis auctor
Et recinente lyra fautor; seu detinet illum
Alma Chimaereo Xanthus perfusa liquore,
Seu nemus Asteriae, seu qua Parnassia rupes 15
Hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte,

(1) Quum ne tolerabilis quidem lectio Culicis sit, nullaque inde omnino percipi possit voluptas: periculum feci, an mutata eius lectione, tum ex librorum corruptelis, tum ex virorum doctorum emendationibus et coniecturis, interpolationibus vero characterе litterarum diverso notatis, exiturum esset carmen, quod sine offensione legi possit. Me non omnes mutationes praestare aut veram ac genuinam lectionem ubique restitutam venditare, sic equs est ut monoam. In iis, quae interpolatorum intemperantia et mala sedulitate interposita sunt, haud pauca legi suspicor meliora iis, quae ipsi erant commenti parum docte ac scite. Licebat similem operam Ciri commodare. Verum specimen proponere volebam; in quo expoliendo, impugnando, defendendo, qui velint, ingenia exerceant! Lusus ingenii et hic esto.

v. 3 sqq. et 11 sqq. Interpolatio variorum.

Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.
Vos quoque Pierii laticis decus, ite, sorores
Naiades celebrare deum plaudente chorea.
Et tu, sancta Pales; ad quam ventura recurrit 20
Agrestum fetura; tibi sit cura canentis
Aerios nemorum tractus silvasque; virentes,
Te cultrice, vagus saltus feror inter et antra.
At tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis adlabere coeptis. 25
Triste Iovis Coeique canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus;
Nec Centaureos Lapithas compellit in enses.
Vrit Erichthonias Oriens non ignibus arces;
Non perfossus Athos, nec magno vincula ponto 30
Iacta, meo quaerent iam sera volumine famam;
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Graecia cum timuit venientes undique Persas;
Mollia sed tenui percurrere carmina versu; et
Viribus apta suis Phoebo duce ludere gaudet. 35
Et tu, sancte puer, memorabere; sic tibi perstet
Gloria perpetuum lucis victura per aevum;
Et tibi sede pia maneat locus, et tibi sospes
Debita felices memoretur vita per annos
Grata, bonis lucens. Sed nos ad coepta feramur. 40
Igneus aetherias iam Sol penetrarat ad arces,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru;
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat:
Propulit ut stabulis ad pabula laeta capellas
Pastor, et excelsi montis iuga summa petivit: 45
Vvida qua patulos velabant gramina colles.
Iam silvis dumisque vagae, iam vallibus abdunt

v. 18. Nova interpolatio. Iterum 20.

Interiecti ab alia manu v. 33, 36 ad 40, et v. 43, 53, 54, 55, 56.

Corpora; iamque omni nemoris de parte vagantes
Scrupea desertae perrepunt avia rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina dente: 50
Pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis.
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Haec suspensa rapit rodente cacumina morsu,
Vel salicis lentae vel, quae nova nascitur, alni,
Haec tenerae fruticem sentis rimatur, at illa 55
Imminet e ripa prostans in imaginis umbram.
O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta ruris fastidiat; illi
Omnia, luxuriae pretiis, incognita, curis
Quae lacerant avidas inimico pectore mentes. 60
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data, vellera; si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum
Picturaeque decus: lapidum nec fulgor ab ulla
Cognitus utilitate movet; nec pocula Graium 65
Alconis referunt Boethique toreuma; nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: At pectore puro
Saepe super tenero prosternit gramine corpus;
Florida cum tellus gemmantes picta per herbas
Vere novat dulci distincta coloribus arva; 70
Atque illum calamo laetum recinente palustri,
Otiaque invidia degentem et fraude remota,
Pollentemque sui, viridi cum palmite ludens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu.
Illi sunt gravidae roranti lacte capellae, 75
Et nemus, et fecunda Pales, et valle sub ima
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior aevo,

Ab v. 78 inde interpolationes variorum; saltem novae sunt accessiones v. 85, 93 et 97 sq.

Quam qui mente procul pura sensuque probando
Non avidas inhiavit opes; non tristia bella 80
Nec funesta timet validae certamina classis;
Non, spoliis ut sancta deum fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem transcendat habendi,
Adversum saevis ultro caput hostibus offert!
Illi falce deus colitur, non arte, politus; 85
Ille colit lucos; illi Panchaia rura,
Floribus agrestes herbae variantibus, adsunt;
Illi dulcis adest requies, et pura voluptas,
Libera; simplicibus curis: huic imminet, omnes
Dirigit huc sensus, haec cura est subdita cordi; 90
Qualibet ut tenui victu contentus abundet;
Iucundoque liget languentia lumina somno.
O pecudes, o Panes, et o gratissima Tempe,
Naides ac Dryades: quarum non divite cultu
Aemulus Ascraeo pastor sibi quisque poëtae 95
Securam placido traducit pectore vitam!
Talibus in studiis baculo dum nixus agresti
Pastor agit curas, et dum, non arte canorus,
Compacta solitum modulatur arundine carmen:
Tendit iam evectus radios Hyperionis ardor; 100
Lucidaque aethereo ponit discrimina mundo;
Qua iacit Oceanum flammas in utrumque coruscas.
Et iam compellente vagae pastore capellae
Lene susurrantis repebant ad vada lymphae,
Quae subter viridem resonabat garrula muscum: 105
Iam medias operum partes evectus erat Sol:
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras,
Et procul adspexit luco recubare virenti,
Delia diva, tuo: quo quondam victa furore

Interpolationes variorum inde a v. 106, aliae praeclarae, ut v. 114, 115, 120 sqq. 132 sq., aliae deteriores, ut v. 112, 113; 116-119, 130, 131.

Venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agave 110
Infandas scelerata manus e caede cruenta;
Et gelidis bacchata iugis requievit in antro,
Posterius poenam gnati de morte datura.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herba
Et Satyri Dryadesque choros egere puellae 115
Naiadum et coetus: Tantum non Orpheus Hebrum
Restantem tenuit ripis silvasque canendo:
Quantum te pernix remorantem, diva, chorea;
Multa tibi laeto fundentes gaudia vultu.
Ipsa loci natura domum resonante susurro 120
His dabat, et dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aeriae platanus; inter quas impia lotos,
Impia, quae socios Ithaci moerentis abegit,
Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos; 125
Ac, quibus insigni curru proiectus equorum
Ambustus Phaethon luctu mutaverat artus,
Heliades teneris implexae brachia truncis,
Candida pandebant lentis velamina ramis.
Posterius, cui Demophoon aeterna reliquit 130
*Perfidiae lamenta, * dolis dum lusit inultis **
Quam comitabantur, fatalia carmina, quercus,
Quercus ante datae, Cereris quam semina, vitae;
Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
Hic, magnum Argoae navi decus, edita pinus 135
Proceras decorat silvas hirsuta per artus;
Ac petit aeriis contingere frondibus astra
Ilicis et nigrae et species haud laeta cupressus;
Vmbrosaeque patent fagus: hederaeque ligantes
Brachia, fraternos plangit quae populus ictus; 140
Ipsae succedunt ad summa cacumina lentae,

Prava interpolatio v. 140, 143, 147, 152-154, 159 et 160.

Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos;
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus; 145
Adstrepit et gelidis manans e fontibus unda,
Quae levibus placidum rivis sonat orta liquorem;
Et circum geminas avium vox obstrepit aures;
Hinc querulas referunt voces, quis nantia limo
Corpora lympha fovet; sonitus alit aeris echo, 150
Argutis et cuncta fremunt arbusta cicadis.
At circa fessae passim cubuere capellae
Excelsis subter dumis, quos leniter adflans
Aura susurrantis possit confundere venti.
Pastor, ut ad foutem densa requievit in umbra, 155
Mitem concepit proiectus membra soporem,
Anxius insidiis nullis; sed lentus in herbis
Securo pressos somno mandaverat artus:
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem:
Ni Fors incertos voluisset ducere casus. 160
Cum solitum volvens ad tempus tractibus isdem
Immanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo magnos subsideret aestus,
Obvia vibranti lambens gravis ore trilingui,
Squamosos late torquebat nexibus orbes. 165
Pallebant herbae visus liventis ad auram;
Iam magis atque magis corpus resolubile volvens
Attollit nitidis pectus fulgoribus, et se
Sublimi cervice rapit: dum crista superne
Edita purpureo lucens maculatur amictu, 170
Adspectuque micant flammantia lumina torvo.
*Metabat late circum loca; tum videt * herba **

Ornamenta serpentis aliunde illata a v. 166 ad 180. A deteriore poëta v. 184 insertus et locus turbatus, iterumque v. 191, 192, 193 et 197-

Adversum recubare ducem gregis. Acrior instat
Lumina diffundens intenta, ore obvia torvo
Saepius arripiens infringere, quod sua quisquam 175
Ad vada venisset, matura et comparat arma.
Ardet mente, furit stridoribus, intonat ore;
Flexibus et versis torquetur corpus in orbes;
Manant sanguineae per tractus undique guttae:
Spiritus et rumpit fauces: quo cuncta parante, 180
Parvulus humoris pastorem exterret alumnus,
Et mortem vitare monet, per spicula; * namque
Qua diducta genas pandebant lumina gemmis,
Hac senioris erat naturae pupula telo
Icta levi. Sic prosiluit furibundus, et illum 185
Obtritum morti misit; cui dissitus omnis
Spiritus excessit membris. Tum torva tenentem
Lumina prospexit serpentem cominus; inde
Impiger, exanimis, vix compos mente, refugit,
Et validum dextra truncum detraxit ab orno; 190
Qui casus sociarit opem numenve deorum:
** Namque illi dederitne vitam casusve deusve**
Prodere sit dubium: voluit sed vincere talem.
Horrida squamosi volventis membra draconis,
Atque reluctantis, crebris foedeque patentis 195
Ictibus, ossa ferit, qua cingunt tempora cristae.
Et quod erat tardus, somni languore remoto:
** Nescius adspiciens; timor occaecaverat artus**
Hoc minus implicuit dira formidine mentem;
Tum, postquam vidit caesum languescere, sedit. 200
Iamque atro biiuges oriens Erebo cit equos Nox,
Et piger aurato procedit Vesper ab Oeta:
Cum, grege compulso, pastor, duplicantibus umbris,
Vadit, et in requiem fessos dare comparat artus.

200, qui omnes pessimi versificatoris fetus sunt.

Cuius ut intravit levior per corpora somnus, 205
Languidaque infuso requierunt membra sopore:
Effigies ad eum Culicis devenit, et illi
Tristis ab eventu cecinit convicia mortis.
En, quid, ait, meritus, aut quo delatus, acerbas
Cogor adire vices? tua dum mihi carior ipsa 210
Vita fuit vita, rapior per inania Averni.
Tu lentus refoves iucunda membra quiete,
Ereptus tetris e cladibus: at mea Manes
Viscera Lethaeas cogunt transnare per undas.
Praeda Charontis agor; video ut flagrantia taedis 215
*Lumina * collucent infestis omnia taedis.* *
* *Obvia* * *Tisiphone, serpentibus undique cincta,*
Et flammas et saeva quatit mihi verbera Poena.
Cerberus et diris flagrat latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla repexis, 220
Sanguineumque micant ardorem luminis orbes.
Ecquid ab officio digressa est gratia, cum te
Restitui superis leti iam limine ab ipso!
Praemia ubi pietatis? ubi pietatis honores?
In vanas abiere vices; et rure recessit 225
Iustitia, et prior illa Fides. Instantia vidi
Alterius, sine respectu mea fata relinquens:
Ad pariles agor eventus; fit poena merenti;
Poena fit exitium; modo sit dum grata voluntas,
Existat par officium. Feror avia carpens, 230
Avia Cimmerios inter distantia lucos;
Quae circa, tristes densentur in omnia poenae.
Nam vinctus sedet immanis serpentibus Otos,

Ab versu inde 215 variorum hominum ingenia et conatus ornamenta nova inserendi et lacinias alias super aliis assuendi cognoscere in promtu est. Ita a v. 122 alieno loco sententiae: interpositae sunt, quae adscriptae fuerant ad v. 209-214. Inferas res persequuti sunt plures, quibus pessimus versificator alia intercauit, ut v. 231, 232, 238, 239.

Devinctum moestus procul adspiciens Ephialten;
Conati cum sint quondam rescindere mundum: 235
Et Tityos, Latona, tuae memor anxius irae,
(Implacabilis ira nimis!) iacet alitis esca.
Terreor ah, tantis insistere terreor umbris
Ad Stygias revocatus aquas: Vix ultimus amni
Extat, nectareas divum qui prodidit escas, 240
Gutture ab arenti revolutis fluminis undis.
Quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
Numina contemsisse dolor quem vincit acerbus,
Otia quaerentem frustra sibi! quidve puellas,
Dira quibus taedas accendit pronuba Erinnys, 245
(Sicut Hymen praesaga dedit connubia mortis);
Atque alias alio denset super agmine turmas?
Impietate fera vecordem Colchida matrem
Anxia sollicitis meditantem vulnera natis?
An Pandionias miserandas prole puellas? 250
Quarum vox cit Ityn et Ityn, quo Bistonius rex
Orbus epops moeret volucres evectus in auras.
At discordantes Cadmeo semine fratres
Iam truculenta ferunt infestaque lumina corpus
Alter in alterius; iamque aversatur uterque, 255
Impia germani manat quod sanguine dextra.
Heu! heu! mutandus nunquam labor! Auferor ultra
In diversa. Magis distantia limina cerno;
** Laeta loca* Elysiamque vagor delatus ad umbram.*
Obvia Persephone comites heroidas urguet 260
Adversas perferre vices. Alcestis ab omni
Inviolata vacat cura, quod saeva mariti
Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.
*Ecce Ithaci coniux * Laertiadae* Icariotis*
Femineum incorrupta decus! manet et procul illa 265
Turba ferox iuvenum telis confixa mariti.
Quid misera Eurydice! tacito moerore recessit,

Poneque respectantem et nunc manet Orphea serum,
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam
Credidit, aut ulli Ditis placabile numen; 270
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis
Nec moesta obtutu dira et ferrugine regna
Defossasque domos ac Tartara nocte tremenda
Obsita, nec faciles Ditis sine iudice sedes,
Iudice, post mortem qui vitae vindicat acta. 275
Sed fortuna favens audacem fecerat Orphea;
Iam rapidi steterunt amnes, et spissa ferarum
Blanda voce sequax insiderat arva corona;
Iamque imam viridi radicem emoverat alta
Quercus humo, sequiturque comes, silvaeque sonoros 280
Spoute sua cantus rapiebant cortice amara.
Labentes biiuges etiam per sidera Luna
Pressit equos; et tu, currentes, menstrua virgo,
Auditura lyram tenuisti nocte relecta.
Haec eadem potuit, Ditis, te vincere, coniux, 285
Eurydicenque viro ducendam reddere. Non fas,
Non erat, invitam. Divae exorabile numen!
Illa quidem, nimium Manes experta severos,
Praeceptum signabat iter: nec retulit intus,
Lumina, nec divae corrupit munera lingua. 290
Sed tu, crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
Oscula cara petens rupisti iussa deorum:
Dignus amor venia, gratum si Tartara nossent
Peccatum ignovisse. Sed et vos sede Piorum,
Vos manet, heroes, contra nemus. Hic et uterque 295
Aeacides, Peleus nempe et Telamonia virtus,
Per patris secura locantur numina; quorum
Connubis Venus et Virtus iniunxit honorem:

Locus de Orpheo inde a v. 269 sq., etsi alieno loco interpositus, est tamen ex feliciorbus.

Vss. 282, 283, 284, 287, 294 sqq. varias manus experti sunt. At vss. 303 sqq. a docto poëta profecti sunt.

Hunc cepit serva, ast illum Nereis amavit.
Assidet his iuvenis, sociat quem gloria; fortis, 300
Acer, inexustis referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios, torva feritate repulsos.
O quis non repetat talis divortia belli,
Quae Troës videre, viri videreque Graii!
Teucria cum multo manaret sanguine tellus, 305
Et Simois Xanthique liquor; Sigeaque, propter,
Littora cum Troas, saevi ducis Hectoris ira,
Videre in classes inimica mente Pelasgas
Vulnera, tela, neces, ignes, inferre paratos.
Ipsa iugis namque Ida patens vernantibus, ipsa 310
Ida faces altrix cupidis praebebat alumnis,
Omnis ut in cineres Rhoetei littoris ora
Classibus ambustis flamma superante daretur.
Hinc erat oppositus contra Telamonius heros,
Obiectoque dabat clipeo certamina; et illinc 315
Hector erat, Troiae summum decus: acer uterque,
Fulminibus coelo veluti fragor editus alto;
Ignibus hic taedisque furens, si classibus Argos
Eripiat reditus; ille at Vulcania ferro
Vulnera protectis depellere navibus instat. 320
Hic erat Aeacides alter, laetatus honore,
Dardaniis alte fuso quod sanguine campis
Hectoreo victor lustravit corpore Troiam.
**Rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat, et huius*
**Alma dolis Ithaci virtus quod concidit icta.* 325
Huic gerit aversos proles Laërtia vultus,
Et iam Strymonii Rhesi victorque Dolonis,
Pallade iam laetatur ovans; rursusque tremiscit
Iam Ciconas, iam rursus atrox Laestrigonas horret;

Diversorum forte ingeniorum conatus sunt versus 314 sqq., utique vss. 321 sqq., interpositis a mala manu 324 et 325, et iterum 336, 337. Praeclarus locus sequitur inde a v. 344.

Illum Scylla rapax canibus succincta Molossis, 330
Aetnaeus Cyclops illum, Zanclaea Charybdis,
Pallentesque lacus et squalida Tartara terrent.
Hic et Tantalei generis decus, amplus Atrides,
Assidet, Argivum lumen; quo flamma regente
Doris Erichthonias prostravit funditus arces. 335
Reddidit heu Graius poenas tibi, Troia, ruenti!
** Hellespontiacis obiturus reddidit undis.**
Illa vices hominum testata est copia quondam,
Ne quisquam nimium fortunae munere fideus
Tenderet evectus coelum super; omne propinquo 340
Frangitur invidiae telo decus. Ibat in altum
Vis Argeia petens patriam ditataque praeda
Arcis Erichthoniae; comes huic erat aura secunda;
Per placidum cursus pelagus; Nereides undis
Innabant, pars inflexas circum acta carinas: 345
Cum seu coelesti fato, seu sideris ortu
Vndique mutatur coeli nitor; omnia ventis,
Omnia turbinibus sunt concita; iam maris unda
Sideribus certat consurgere, iamque superne
Corripere et soles et sidera cuncta minatur; 350
At ruere in terras coeli fragor. Hic, modo laeta,
Copia nunc miseris circumdatur anxia fatis.
Immoriturque super fluctus et saxa Capherei,
Euboicas et per cautes Aegaeaque late
Littora: tum Phrygiae passim vaga praeda perentae 355
Fluctuat omnis in aequoreo navifraga fluctu.
Hic alii sidunt pariles virtutis honore
Heroes mediisque siti sunt sedibus omnes;
Omnes Roma decus magni quos suspicit orbis,
Hic Fabii Decüque; hic est et Horatia virtus: 360
Hic et fama vetus nullum peritura per aevum

Pessima interpolatio vss. 358, 365, 368, 377 sq.

Curtius, in mediis quondam quem sedibus urbis
Devotum tetri consumsit gurgitis haustus.
Mucius et prudens ardorem corpore passus,
« Legitime, cessit cui fracta potentia regis. » 365
Hic Curius, clarae socius virtutis et ille
Fabricius, cessit cui fracta potentia regis.
Iure igitur tales sedes pietatis honorat.
Illic Scipiadaeque duces, devota triumphis
Moenia quos rapidis Libycae Carthaginis horrent. 370
Illi laude sua vigeant : ego Ditis opacos
Cogor adire lacus, viduatos lumine Phoebi,
Et vastum Phlegethonta : atro quo flumine Minos
Conscelerata pia discernit limina sede.
Ergo iam caussam mortis, iam dicere vitae, 375
Verberibus saevo cogunt a iudice Poenae:
Cum mihi tu sis causa mali, nec conscius adsis;
Sed tolerabilibus curis haec immemor audis;
Haec, vana ut, rapidis dimittens, somnia ventis.
Digredior, nunquam rediturus. Tu cole fontes 380
Et virides nemorum silvas et pascua laetus.
Et mea diffusas rapiantur dicta per auras.
Dixit, et extrema tristis cum voce recessit.
Hunc ubi sollicitum dimisit inertia somni;
Ingemuit graviter, mentem aeger; nec tulit ultra 385
Sensibus infusum Culicis de morte dolorem.
Quantumcunque sibi vires tribuere seniles,
Quis tamen infestum pugnans devicerat hostem,
Rivum propter aquae, viridi sub fronde latentem
Conformare locum parat impiger; hunc et in orbem 390
Destinat, *ac ferri capulum repetivit in usum,*
Gramineam ut viridi foderet de cespite terram.

368. ieiuni versificatoris conatus, et 392 sq. et 396, 397. Inde doctus poëta manum admovit.

Iam memor inceptum peragens sibi cura laborem
Aggestam cumulavit humum ; iamque aggere multo
Telluris tumulus formatum crevit in orbem. 395
« *Quem circum lapidum laevi de marmore formans*
Conserit , assiduae curae memor : hic et acanthus
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore ,
Et violae genus omne hic est : Spartanaque myrtus
Atque hyacinthus; et hic Cilici crocus editus antro; 400
Laurus item Phoebi surgens decus ; hic rhododaphne
Liliaque et roris non avia cura marini ,
Herbaque turis opes priscis imitata Sabinis ,
Chrysanthesque , ederaeque nitor pallente corymbo ,
Et Bocchus Lybiae regis memor ; hic amarantus 405
Buphthalmusque virens , et semper florida pinus ;
Non illinc Narcissus abest : cui gratia formae
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus ;
Et quoscumque novant vernantia tempora flores.
His tumulus super ingeritur : tum fronte locatur 410
Elogium tacita quod format littera voce :
Parve Culex , pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.

P. VIRGILII MARONIS

CIRIS

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIVM

IN CIRIN

Carmen hoc, etsi inter Virgiliana opuscula vulgo referri solet, an Virgilium tamen auctorem habeat, fides nos satis certa deficit. Sunt quidem multa, quae probabile hoc faciant: nec dubitationis tamen caussae desunt ex parte altera; itaque aegre ferendum non est, si in diversas opiniones discessisse viros doctos videas. Scilicet de rationibus, quibus contenderunt inter se, videndum erat; inter eas autem multas esse leves ac futiles negari nequit. Ea tamen omnia, quae de his dicta sunt, ut iterum recocta apponam necesse, puto, non est; ut potiora summatim pro more meo exponam, iudicio meo qualicunque interposito, hoc forte est, quod lector a me exspectet.

Qui *Virgilio* carmen vindicant, argumentis fere utuntur iis, quibus carmen hoc politissimum, praestantis ingenii poëta, ipsoque Marone, non indignum declarent. Ita vero non evictum est, habendum quoque esse Virgiliani ingenii fetum, si quod carmen est, quod eum non dedeceat. Vetus aliqua eaque idonea auctoritas allata in medium non est. Nam, quod ex Seneca vulgo laudatur Ep. 92 *ut ait Virgilius noster in Scylla*, non viderunt viri docti ad Aen. III, 426 sq. spectare, et *in Scylla*, esse in loco de Scylla. Quid? quod nec a Pseudodonato, qui reliqua carmina Virgilio tributa recenset, nec, quantum memini, ab alio vetere Grammatico, in simili instituto, Ciris mentio fit. Indocti enim Monachi, Servianis in Aeneidem commentariis in fronte adsutus, pannus, in quo Cirina scribitur, (1) memorari adversus me vix potest. Quod autem poëmatii praestantiam verbis quoque ornant, ut Scaliger id nulli Latinorum neque nitore, neque elegantia cedere dicat, Barthius vero lucentissimum inter

(1) Ita etiam in ms. Helmstad. exaratum erat *Decirsina*, non, Ciris.

omnia antiqua poëmatia appellet, in eo studium virorum doctorum video, indicii subtilitatem desidero. Non enim satis circumscribunt praedicationem suam, eoque, dum ultra terminos evagantur, ne id quidem obtinent, quod in medio positum erat, quodque recte se habebat. Quod in carmine hoc tantopere admirati sunt viri docti, si propius intuearis, nihil aliud fuit, quam orationis in plerisque locis dignitas, ornatus praeclarus, splendor quoque; tum numerorum concinnitas. Haec sunt, quae viris doctis tantopere se probarunt; sed, an haec illa sint, quibus poëticae laureae decus parari possit, admodum dubito.

Omnino ab inventi felicitate, quae tamen res una omnium maxime poëtae nomen et laudem continet, carminis huius laus magna vix peti potest: uti nec tractatio arte aliqua se commendat, nisi in locis singularibus iisque fere ad communem poëtarum orbem spectantibus: cuiusmodi est nutricis opera in virginis dolore allevando, puellae miserae querelae et sic alia. Contra sunt loca alia ad pedestrem orationem proniora: ut locus de diversis super Scylla opinionibus v. 63 sqq. — 90, alius super fabulae in Britomarti varietate 303 sqq. Haec et similia cum tractata nitescere nequeant, bonus poëta non facile attinget. Alia ad rhetoricam δεινότητα egregie accommodata sunt, ut in querelis puellae: et, si quid est, quo adducar, ut Maroniani ingenii fetum esse hunc putem, hunc propiorem ad tragicam vehementiam et rhetoricam declamationem affectum esse dicam, quem in Virgilio me agnoscere iam alibi accuratius exposui. (1) Accedit orationis poëticae facultas, quae in hoc poëta fuit eximia: quae ea ipsa causa fuit, qua adducti viri docti cetera etiam omnia in eo carmine pronuntiarent esse summa. Poëtae Marōnis ingenium agnoscere mihi videor etiam in eo, quod, cum argumentum hoc ab aliis poëtis esset pertractatum, relictis ille iis, quae ab aliis praerepta erant, ingenium applicuit iis ornandis, quae ab aliis nondum essent occupata. Ita forte excusari potest, quod ille id, quod summum rei momentum, ipsa ἀκμή, erat, resectionem comae, verbo exposuit, et vero ne verbo quidem attigit ea, quae resectam Nisi comam subsequuta sunt, donec abstraheretur Scylla navi alligata. Exspectabam in primo Minois conspectu, in pactione cum eo sancienda, in coma Nisi resecanda, tradenda, et fide Minois ex conditione pactionis exigenda, poëtam diser-

(1) Vid. Vol. II Disquis. I, s. VIII extra s. XIII Exc. ad Aen. II, p. 306, 7. Vol. II et Aen. X pr. Vol. III.

tum, copiosum et ornatum. Vix verbo memoravit haec omnia. Vitio hoc factum dices; nisi iudicio illi subtiliori illud tribueris. Levioribus equidem argumentis accensebo omne illud, quod a repetitis tot Virgilianis versibus ducitur, sive ut hinc colligas ipsum Maronem sive ut alium auctorem fuisse statuas. Vix enim firmo fundo nititur argumentum, quo Scaliger usus est, cum diceret: auctorem carminis ut esse Virgilium credamus, hanc unam rationem vincere, versus crebro hic repetitos, (1) qui passim in Aeneide et in Georgicis atque in Bucolicis leguntur. Atqui potuit carminis esse alius serior auctor, qui ex Virgilio plurima mutuaretur, vel qui id ageret, ut Virgilii nomen et auctoritatem mentiretur.

Commemoravi adhuc ea, quae probabile facere possint, ad Maronem auctorem hoc carmen referendum esse. Alias rationes Barthii aliorumque nec commemorare iuvat, nec opus est, cum eas dudum exposuerit ac refellere studuerit doctissimus Praesul, Iustus Fontaninus in Hist. Litt. Aquilei. p. 35. Eodem loco magna cum indicii subtilitate ac doctrina vir doctissimus ex Virgilii Ecl. VI, 74 sqq. verum Ciris auctorem eruisse visus est, ut, quod Gifanius iam olim suspicatus erat, Barthio mox probante, is *Gallus* sit, cuius carmina illis versibus attigerit poëta plura, inter quae duo fuerint: alterum, quod nunc habemus, Ciris, de Scylla, Nisi f., in cirim mutata, alterum de Scylla Phorci filia: *Quid loquor? aut Scyllam Nisi? aut quam fama secuta est Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates et gurgite in alto Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?* Non equidem, tamquam satis valida, argumenta omnia amplectar, quae ille attulit; nec tamen quicquam ingeniosae coniecturae obstare video: convenit enim aetas Galli ac Messalae; nisi quod difficile est ad intelligendum, quo cum pudore tot ex Ciri versus Virgilius in sua carmina, aut ex his Gallus in Cirin, adoptare potuerit. Nam, quod Gallum Epicureae philosophiae operam dedisse nunc ignoramus, morari potest neminem, quin assentiatur Praesuli dignissimo. Superest igitur, ut versus illos seriore aetate ab interpolatrice manu in Cirim insertos esse dicamus: quod nec improbabile fit.

Qui *Catullum* pro auctore carminis habuere (in quibus Eglinus fuit, cuius *Vindiciae Ciris Catullianae* sunt) quandoquidem cum Epithalamio Thetidis et Pelei nonnulla posse comparari videbant; non animadverterunt, Messalae, cui inscripta est Ci-

(1) Apposuit eos Io. Schrad. Emendation. p. 33 sq.

ris, aetate se refelli: nam is paucos ante Catulli obitum annos natus est. Sed et haec accurate tractavit Fontaniuus l. c. pag. 33—36. Quo argumento *Valerium Catonem* Ciris auctorem ediderit Delrius in Comment. ad Senecam, ex eius verbis intelligi nequit. Quod si tamen Virgilium auctorem Ciris adoptare cum Scaligero et aliis (1) malit aliquis, non tamen cum eodem Scaligero commiuiscetur tot alia, quae probatione idonea destituuntur: paullo ante mortem suam, et Atheuis aut adeo Megaris, Virgilium hoc carmen composuisse: etsi iam tum, cum Cirim scriberet, auctor carminis nonnulla carmine se tractasse, et, cum famae poeniteret, iis depositis ad philosophiam se contulisse narret ipse v. 1 sqq. 42 sqq. Iuvenem tamen se testatur auctor satis manifeste vss. 42 sqq. *Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes, Nunc primum teneros firmamus robore nervos: Haec tamen interea quae possumus, in quibus aevi Prima rudimenta et primos exegimus annos, Accipe.* Si porro Messalam *iuvenum doctissimum* v. 36 appellare potuit, iuvenili aetate constitutum eum et ipsum tum fuisse necesse est, cum Maro illa scriberet; id quod temporum docet comparatio. (2) Rem tamen vel sic in medio reliuquere satius duco.

Inter haec, etsi carminis facies omnino satis liberalis est: negari tamen nequit, varices passim et ulcera corpus obsidere, loca occurrere plurima scabra et horrida, versus duriores aut pedestri oratione depressos, alios prorsus corruptos ac sensu carentes, ut interdum honestas illa oris foede contaminata ac prorsus obliterata sit. Scilicet primum id, quod in carminibus his minoribus evenisse videtur fere omnibus, etiam in Ciri factum arbitror, minore tamen cum audacia quam in Culice, omnium uno maximo foedato carmine, ut iam antiqua satis aetate in ea exercerent se poëtarum seu versificatorum ingenia, variando et amplificando carmine. Adscripti in margine versus, saepe imperfecti, a librario, qui describebat codicem, in textum sunt recepti, nonnulli satis arguti, alii ex similibus veterum poëtarum locis retracti vel adumbrati; qua de re supra ad Cu-

(1) Nuper quoque Io. Schraderus Emendat. c. 3 pag. 34 Virgilio Cirim vindicavit: nec tamen is argumentis gravioribus, quam alii, suffultus. Idem docte adversus Galli nomen disputat p. 48, et adversus Catullium auctorem p. 46, Scaligerum autem refellit p. 41.

(2) Natus enim Virgilius a V. C. 684, Messala a 695, nec hic claruit ante 718, act. 23.

licem dictum est. Accessit alia calamitas, ut carmina illa per plura saecula ignota et sepulta iacerent, et ut vix unum vel alterum exemplar ad nostram aetatem perveniret; quod cum obscuris fugientibusque litteris oculos librarii recentioris, aut etiam operarum typographicarum, falleret, corruptelas infinitas inferri necesse fuit.

Conspirant itaque in corruptelis editiones fere omnes, nec e libris scriptis, qui et numero paucissimi, et, quantum intelligo, omnes recentiores sunt, auxilium expectari posse videtur. Nic. Heinsius in epistola ad Octavium Falconerium fatetur, Ciris exemplar sibi nullum evolvere licuisse, ante artem typographicam inventam descriptum. Evolvit tamen ille postea ms. Basileensem, aut variantem lectionem ex eo accepit; attamen et ille fuit chartaceus, et, quantum intelligo, in corruptelas vulgares ubique consentit. Abfuit Ciris a prima Virgilii editione, etsi ea minora Virgilii poëmatia complectitur; accessit vero in Romana altera: vid. Recensum edd. h. a. Omissa hinc ab aliis, ab aliis addita: cf. Fontanin. Hist. litt. Aquilei pag. 40. Enarrare eam primus aggressus est Domitius Calderinus in edit. Ven. 1483 per Baptistam de Tortis, hinc 1489—1491, 1492 et al. Paullo doctior commentator successit Iulius Pomponius Sabinus, commentariis a. 1486 vulgatis, et 1519—1544 hincque in edd. Henricopetrinis repetitis: tum copiosior commentator Ascensius a. 1500—1505 et al. Tandem etiam critica manus accessit, eaque viri summi Iosephi Scaligeri in Appendice Virgiliana Lugd. 1573; multas ille attulit emendationes praeclaras, alias durissimas, nonnullas prorsus non ferendas. Lectiones eius et interpretationes recepit omnes Taubmannus, vir doctus, qui, quod supra iam diximus, ex aliorum iudicio totus pendebat, suo parce vti solitus, edita Ciri a. 1618. Vix bis terve Barthium comparat, qui interea 1608 Cirim commentario instruxerat, valde tum adolescens, et omnino doctrinae copia praestantior quam iudicii subtilitate. Attigit idem loca nonnulla in Adversar. XX, 20. XXII, 9. XXIII, 9 et 21. XXX, 24, et, ut eo loco se facturum profitetur, denuo Cirim edere constituerat, si exemplum aliquod manuscriptum nancisci unquam posset. cf. Fontanin. l. l.

Equidem comparatis antiquis, quae ad manum erant, editionibus, omnes fere inter se in easdem lectiones et vitia conspirare intellexi. Quod cum semel animadversum esset, satis habui, Venetam 1484 per Thomam de Alexandria expressam, mox quoque Aldinam primam 1505, comparare. Manum emendatricem

non experta est Ciris nisi in Aldina: *diversorum veterum poëtarum in Priapum lusibus*, etc. 1517, de qua editione ab Asulano curata et 1534 repetita iam in prooemio ad Culicem dictum est. (1) Ex Bembino codice, cuius ope Culex tam praeclare fuit emendatus, Ciris nihil auxilii consequi potuit; quandoquidem in eo codice illa exarata non erat. Alios igitur codices Asulano in Ciri ad manum fuisse necesse est, de quibus nunc nihil constat; profitetur quoque vir doctus in praefatione, se haec carmina *collatis pluribus exemplaribus* emendasse. Aldinam recensionem expressit in plerisque editio Veneta apud Aloysium de Tortis 1541, sed pleraeque aliae, quod mireris, Aldinam deseruere et veterum lectionem repetivere. Occurrunt mox editiones, uti Ven. apud Hieron. Scotum 1544, apud Bonellum 1558, Georg. Fabricii, Plantini, quae in margine varias lectiones habent, quarum magnam partem emendationes virorum doctorum esse vidi. Nam fuere passim, qui singula loca in Ciri, ut in aliis veterum libris, emendarent. Sic, ut unam vel alteram Iani Parrhasii et Paulli Leopardi correctionem taceam, plurima correxerat in Miscell. Epiphyll. VIII, 23 sqq. Iac. Nic. Loensis, qui ab amico Leopardo exemplum Ciris acceperat ex prisca editione descriptum, addita eius castigatione. Hanc ipsam editionem Catalectorum intelligo fuisse illam, quam Heinsius diu se frustra quaesivisse ait in Epist. ad Daumium Tom. V Sylloges Burmann. p. 218; nam Barthius in Adversariis ea non ipse usus est, sed ad Loensis fidem provocat. In Miscell. Obss. vol. IV loca nonnulla ex Ciri retractarunt viri docti: sed levioris fere momenti.

Cum a nemine adhuc operam datam viderem, ut lectionum origines et causas indagaret: studium in ea re posui praecipuum, etsi res molestiae plus quam credi potest haberet. Quandoquidem autem inde intellexeram, librorum scriptorum auctoritatem nos fere deficere: coniectandi licentiae materiem in hoc libello relictam nobis esse putavi tanto maiorem. Ea itaque ita usus sum, ut, quam aliis veniam dederim, vicissim et mihi ipsi a viris doctis petam.

* * *

In nova recensione anni LXXXVIII ad manus fuere Schedae

(1) Editio illa 1517 intelligenda, quoties Aldina, tamquam emendatior, a me excitatur. Reliquas duas nonnisi in nova recensione nactus eram.

Heinsianae, de quibus supra ad Culicem dictum est, tum Io. Schraderi; hae tamen tam moleste ac perplexe scriptae, ut iis extricandis vacare vix possem; inprimis cum in Cirim meliora iam ipse in Emendstionibus vulgasset. Cum a viro docto *Eduardo Burnaby Green* ad calcem Apollonii Rhodii t. I versam in Anglicum sermonem Cirim recordarer, multis emendstionibus appositis (1780): has quidem enotare institueram; mox tamen sensi calamo frenum iniectum, cum perpaucae in iis sint, quae sermonis indoli conveniant aut sententiam expeditam habeant.

P. VIRGILII MARONIS

CIRIS (1)

AD MESSALAM

ARGVMENTVM.

M. Valerio Messalae inscriptum est carmen: eique in exordio satis diserto ad v. 100 illud offert poëta. Narrare inde incipit fabulam de Scylla, Nisi Megarensium regis filia. Habebat Nisus in vertice crinem purpureum, urbi ac regno fatalem, ut capi Megara non possent, quamdiu ille incolumis esset. Minos, Cretae rex Megara urbem cum obsideret, Scylla, cum ex muro forte eum prospexisset, insano eius amore correpta est: quo illa victa noctu surrexit, ut crinem illum fatalem clam rescinderet, quo sibi Minois amorem conciliaret. Exeuntem cubiculo animadvertit nutrix, Carme, Iovi olim amata, ex quo illa Britomartin pepererat. Ea alumnae meliora primum persuasit, mox autem multis frustra tentatis ut Nisus pactione bellum componeret, in nutriciae sententiam concessit. Resecta igitur Niso coma aurea et cum urbe Minoi tradita. Is vero facinus tam atrox et impium aversatus, cum in Cretam rediret, puellam, ne piaculo tanto classem contaminaret, ne navi quidem recipere voluit, sed ex navis exteriore latere alligatam secum duxit. Tum illa multa diu conquesta in avem Cirim mutata est; additus tamen mox ei pater Nisus in haliaeetum mutatus, qui Cirim avem internecino odio persequitur.

(1) Ciris quaenam veteribus avis dicta fuerit: nondum satis expedita res est. Accipitris genus fuere qui putarent; idque Etymol. M. firmat: Κίρκις, εἶδος ἱέρακος. Inde alii eandem eam cum circo tradidere. vide Munker. ad Hygin. f. 198. De haliaeeto (halyaetum scribunt alii, non satis bene) minor est dubitatio: cum ipsum nomen aquilam marinam prodat, et Aristoteles Hist. Anim. IX, c. 32 inter sex aquilarum genera ἁλιαιετὸν recenseat. Addit alia Plinius lib. X, 3. cf. Munker. ad Anto-

nia. c. 41. Thynoaquilam, seu potius Dunoaquilam, nunc appellari Loënsis tradit in Miscell. Epiphyll. VIII, 26, quoniam versatur in dunis seu collibus arenosis iuxta Marc. Cuniculis quoque eum insidiari et fetus depraedari.

Perdicem alios putasse asse cirim, quae solitaria avis sit, disco ex Iulio Sabino. Notas edidit poëta ipse has: esse eam pulcriorem cygno vs. 489, in vertice crista purpurea 501, plumae vario colore 502, crura rubentia 505, 506, degit solitaria in locis desertis 518, 519, odium in eam pertinax est haliaeeti 532 sqq. Adde eam in Graecia, et Italia forte, habitare, et inter serenae èx pluvio caelo tempestatis praesagia referri in Georg. I, 404 sq., si in conspectum veniat haliaeetus cirim fugans. Quae de ciri commemoravimus, vix videntur in alaudam cadere, quam uno cristae argumento multi in ea quaesivere: in quod avium genus saevire solet accipiter fringillarius, dictus inde aliis Nisus. Scaliger ad Cirim v. 528 falconem interpretatus est haliaeetum, Cirim autem Egrettam: quo nomine appellasse videtur Ardeam albam minorem, Garzettam quoque appellatam. Inter haec nihil effici potest, nisi avium per istos tractus genera melius teneamus; fit enim probabile, domesticam Megarensibus avem Cirim fuisse. Mergum Megaridem frequentare (αἴθυιαν) ex Paus. I, 5, p. 13 didici.

In fabulae autem tractatione per hoc carmen mirum videri potest, multa vix verbo attingi, quae tamen potiora narrationis capita esse videbantur, ut comae ipsa resectio et Scyllae cum Minoë super ea pactio. Quae quidem res aut poëtae vitio aut loci luxatione accidere debuit, aut a poëtae arte profecta est, dum ille leviter tantum attigit ea, quae ab aliis diligenter erant ornata. Fabula enim a multis iam erat tractata. Graecis scilicet poëtis, et variis figmentis etiam per interpretationem, exemplo ipsius Callimachi, in Αἰτίοις, variata: quod in ipso carmine, etsi parum poëtice, exponitur, vss. 54 sqq., ubi vid. not. Neque Hyginus inscitiae accusandus erat, qui fab. 198 in piscem mutatam esse Scyllam narravit. Tradiderat et hoc scilicet alius poëta, forte Tragicus aliquis. Aeschylus monili aureo corruptam Scyllam, φοινίκν Σκύλλαν, Minoi patrem immortalem capillum (ἀθανάτην τρίχα) prodidisse: πιχάνει δέ μιν Ερμῆς, quod ad Nisum refert eiusque mortem Scholiastes; nisi de Scylla illa accipienda putes, ut exquisitior aliqua fuerit narratio de poena per Mercurium ab ea sumta. Prior tamen explicatio cum eo convenit, quod apud Apollod. est III, 15, 8, ταύτης ἀφαιρεθείσης τελευτᾷ. Ceterum Aeschylus ad avaritiam refert Scyllae facinus, quod alii ab amore incesto repetunt. Capilli color purpureus a plerisque traditus: etiam a Callimacho apud Suid. in Κρίκα. Πορφυρέην ἤμησε κρίκα; *demetuit crinem purpureum*: cf. Toup. Curae novias. p. 84 et Apollod. Auream comam narrant nonnulli, confusa forte fabula simili cum Pterelao Neptunus immortalitatem dedisset ἐν τῇ κεφαλῇ χρυσῆν ἐνθεὶς τρίχα Apollod. II, 4, 5, ubi cf. Obss. Omnino haud assequaris, quid antiquos homines in his fabulis ad hoc figmentum adduxerit, ut, quod etiam de Samsone narratum novimus, in capilli natura mirabilem aliquam virtutem latuisse narrarent.

Cum Κρίξ et ipsa sit inter aves carnivoras aliis infestas (v. Aristot. H. Anim. IX, 1 et 17), putabam forte nominis lusum fabulae opportunitatem dedisse; nec tamen eam

Etsi me vario iactatum laudis amore,
Inritaque expertum fallacis praemia vulgi,
Cecropius suavis exspirans hortulus auras
Florentis viridi Sophiae conplectitur umbra:
Num mea quaeret eo dignum sibi quaerere carmen?
Longe aliud studium atque alios adcincta labores,
Altius ad magni suspendit sidera mundi,
Et placitum paucis ausa est adscendere collem:
Non tamen absistam coeptum detexere munus.
In quo iure meas utinam requiescere Musas, 10
Et leviter blandum liceat deponere morem.
Quod si mirificum proferre valent genus omnes
Mirificum saecli, modo sit tibi velle libido;

avem in hac fabula memoratam vidi. Sed Scyllam a Minoë ex navi suspensam, et quidem gubernaculo alligatam, inde in cirim avem mutatam, tradiderat quoque Metamorphoseon libello, qui nunc inter deperditos est, Partheniis: ut ex Eustathio ad Dionys. Perieg. 420 didici (v. de eo Meilmann. de causis et auctorib. Narrat. de mutatis formis pag. 83). Iam hunc nostro poëtae ante oculos fuisse probabile facit studium Partheoli legendi et latine convertendi, quod inter Latinos poëtas magnum fuit: Hos autem in argumentis mythicis, a politioribus poëtis Graecis tractatis, inprimis ingenia exercuisse, tot aliis carminibus, quorum nonnulla quoque servata sunt, satis constat. Ceterum similia argumento carminis nostri sunt nonnulla in Propertii El. IV libri IV. de Tarpeia, quae Sabinis Capitolium prodidit.

Cum difficultas huius carminis interpretandi plerumque ex depravata lectione proficiscatur; ad criticas animadversiones pleraque relicere et hic necesse fuit.

1-9. Iungenda sunt: *Etsi ... non tamen absistam.* In primis versibus se, abiectis iis studiis, quibus apud vulgus inclarescere voluerit, philosophiae Epicuri operam dare ait. Color orationis similis est Catulliano carmini LXIV: *Etsi me assiduo confectum cura dolore. Sevocat a doctis, Hortale, virginibus. vario amore laudis*, variis modis ac viis laudem et famam venatus erat. Sed vid. Var. Lect. *irrita praemia*, h. vana, inania; sunt autem ipsa fama et gloria, quam carmine consequi studuit. 3. *Cecropius hortulus.* Epicuri sectam ac disciplinam per hortum eius, quem Athenis habuit, in quo docere solebat, declarari notissimum. Illustrat locum Barth. Advers. XX, 20, et Io. Schrader. Emendat. p. 31 sq.

5-8. *Musa*, cuius nomen in corruptis vs. quarti verbis latere necesse est, *accincta aliud studium et labores*, h. aggressa aliud studium, philoso-

Si me iam summa Sapientia pangeret arce,
Quatuor antiquis quae heredibus est data consors:
Vnde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere, atque humilis possem contemnere curas:
Non ego te talem venerarer munere tali;
Non equidem; quamvis interdum ludere nobis,
Et gracilem molli liceat pede claudere versum;

phiae scilicet (ut Aen. IV, 493 *magicas invitam accingier artes*), *suspendit* (vel *se*, h. suspensa est, suspenso animo contemplatur, vel *me*, ut Iulius Sabinus explet, aut, quod melius, *subtendit*) *altius ad magni sidera mundi, et ausa est*, Collem Sapientiae, ad quem pauci emergunt, adscendere: absolvam tamen coeptum carmen. Videtur carmen iam olim coeptum, mox sepositum esse. Ceterum carminis initium habet aliquam similitudinem cum epigr. VII inf. in Catalectis.

14-41. Si in philosophiae studio iam aetis profecissem, — ut malus carmen de rerum natura conscribere possem: hoc tibi dedicarem. Haec subiiciuntur vs. 36 sqq. *summa arce*. cf. ad v. 8. *me pangeret*, figeret, statueret, collocaret. 15. Arx, quam quatuor summi philosophi tenent, Plato, Aristoteles, Zeno, Epicurus. (Pro Zenone Pythagoram veteres interpretes nominant) *arx data est consors*, elegantius, quam *iis consortibus*, quatenus heredes sunt Socratis. Expressus autem totus locus ex Lucretii notis vss. lib. II, 9 sqq.

21-sqq. Celebratissima res in Panathenaeis magnis, quae Athenis quinto quoque anno agebantur, peplum Minervae. vid. Meurs. Panathen. c. 17 seqq. Ducebatur occultis machinis per terram navis, ad speciem remis instructa, ad Minervae templum; peplum, pro velo suspensum, mox utrum pro veste Minervae signo iniectum, an sedentis gremio appositum, an, quod probabile fit, pro aulaeo praetextum sit, nulla auctoritate expressa doceri posse video. Ceteroqui Aulaea signa deorum obducta in adyto passim fuisse satis constat: unde etiam in ultimam opinionem proniores sumus cum Stuarto (*Antiqu. of Athens* T. II, p. 7). Pollucis auctoritas, qui VII, 50 πέπλον etiam ἐπίβλημα fuisse ait, idque colligi posse ἐκ τοῦ τῆς Ἀθηνᾶς πέπλου de amiculo vel indumento est accipienda: id enim ipsi est ἐπίβλημα. Peplo intextae res a Pallade gestae, inprimis pugna cum Titanibus et Gigantibus: mox quoque strenuorum ducum Athenis egregia facta, aiunt viri docti, Scaliger ad h. l. et Meurs. l. c. Volunt id docere ex Aristoph. Equ. 563, ubi maiores praedicantur digni ea urbe καὶ τοῦ πέπλου. Hoc tamen clariorem locum afferri velim: nam Comicum pompam Panathenaicam respicere potius arbitror, qua armati incedebant viri. Etiam Pepli nomen, quo Aristoteles librum inscripsit, quem de heroum tumulis confecerat, viri docti hinc illustrant. Nostri poëtae locus rem non magis probat. cf. inf. ad v. 36.

Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,
Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita cum castae solvuntur vota Minervae,
Tardaque confecto redeunt Quinquatria lustro,
Cum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro; 25
Et prono gravidum provexit pondere currum.
Felix ille dies, felix et dicitur annus;
Felices, qui talem annum videre, diemque.
Ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae:
Magna Giganteis ornantur pepla tropaeis; 30
Horrida sanguineo pinguntur praelia cocco;
Additur aurata deiectus cuspide Typho,
Qui prius, Ossaeis consternens aethera saxis,
Emathio celsum duplicabat vertice Olympum.
Tale deae velum sollemni in tempore portant. 35

21. *si fas est dicere:* non tam ad religionem refero, quam ad audaciam coepti; et *olim*, pro *tum*, sequente etiam *cum*. Aen. VIII, 391: *Non secus atque olim*, ὡς δ' ἄτε.

25, 26. *Cum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro*: alternis Zephyrum cum Euro spirare ait, eoque tempus Panathenaeorum habendorum declarat: quod hic ad primum ver retrahere videri potest. Mense tamen Hecatombaeone, et quidem die XXIII, tertio cuiusque Olympiadis anno, ea celebrata esse satis constat; est ille primus mensis anni Attici, quem a primo plenilunio post solstitium aestivum processisse quis ignorat? Aestatis igitur ingressae tempus declarari hoc versu dicendum est: quod tamen quam commode per pugnam Zephyri cum Euro designetur, non dicam. Etsi Zephyri flantes non modo ver, sed et aestatem ineuntem alibi quoque indicant, cf. Georg. III, 322. Hactenus itaque illud ferri potest. Si tamen, quod paullo ante memoravi, navis, etsi machinis acta, velis expansis ventum excipere visa est: expedita est vss. 25 et 26 sententia. cf. V. L.

29-34. Locus, etsi ab h. l. forte alienus, classicus tamen post Eurip. Hecub. 466 sq. de peplo Minervae. conf. ad vs. 21. *Giganteis tropaeis;* praelio et victoria de Gigantibus Pallante et Echione Enceladoque prostratis inprimis dea tum inclaruit. *pinguntur*, quod vs. 29 *texuntur*. Typho vel Typhoeus, diversum a Gigantibus monstrum, saepe tamen in eorum censum a poëtis relatum, procellarum et turbinum, eumque iis eructantium ignea montium, symbolum satis frequentatum: Ab aliis ille a Iove prostratus narrari solet: quae vel ex Apollodoro teneas. Minervae in ea victoria partes etiam Horatius tribuere videtur in noto loco Carm. III, 4, 53. Stans cum hasta capiti prostrati monstri imposita dea occur-

Tali te vellem, iuvenum doctissime, ritu
Purpureos inter Soles et candida Lunae
Sidera, caeruleis orbem pulsantia bigis,
Naturae rerum magnis intexere chartis;
Aeternum Sophiae coniunctum carmine nomen 40
Nostra tuum senibus loqueretur pagina saeclis.
Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes;
Nunc primum teneros firmamus robore nervos:
Haec tamen interea, quae possumus, in quibus aevi
Prima rudimenta et primos exegimus annos, 45
Adcipe dona, meo multum vigilata labore,
Et praemissa tuis non magna exordia rebus:
Inpia prodigiis ut quondam exterruit amplis
Scylla, novosque avium sublimis in aëre coetus
Viderit; et tenui conscendens sidera penna 50
Caeruleis sua tecta supervolitaverit alis;

rit in patera Medicea apud Demster. t. V. *Emathius vertex*, Pelion esse debet, Olympo h. l. impositus, ut Georg. I, 281 Ossae.

36. *Tali ritu*, hoc modo ait auctor velle se, tamquam peplum, carmen de rerum natura scribere eique Messalae nomen intexere. 37, 38. Luna, quae invehitur per *orbem*, caelum, bigis. *Sidera* Lunae pro sidere, et *pulsare* de curru, seu equis curru tracto solum quatientibus solleune. *purpureus* pro pulcer, frequens poëtis.

40, 41. *Nomen tuum*, *coniunctum Sophiae*, *carmine* (h. nomini Sophiae in carmine), *pagina nostra loqueretur aeternum saeclis senibus*, h. seris.

42. *ad tantas artes:* non de poëtica, ut perperam post ceteros Fontaninus quoque Hist. litt. Aquilei. p. 37 statuit, sed de philosophiae studio accipe, ad quod nunc primum accessit.

47. *Et praemissa*. Si sensus inest, debet poëta significare, se praemittere quasi exordia, s. praeludia, carmioi, quo aliquando Messalae res gestas persequetur, hos lusus, *ut Scylla in avem mutata sit*: quod eléganter extulit: *ut.... novos avium, sublimis in aëre, coetus Viderit, et tenui conscendens sidera penna Caeruleis sua tecta supervolitaverit alis.* 48. Corruptis verbis declarat versus ipsam Scyllam exterritam fuisse forma sua mutata, videns scilicet se avem factam.

54 sqq. Multi poëtae Scyllam in Saxum Scyllaeum, naufragiis infame, in Italiae extremae ab occidente oris, haud longe a Freto Siculo, mutatam narrant. cf. ad Aen. III, 555. Nota res est, de Scylla diversas fabulas tradi, et plures Scyllas ab allis memorari, ab aliis confundi. conf. ad Ecl. VI 74. et ibi Exc. IV, *monstra conversa in saxum Scyllaeum* pro monstro. *canibus marinis*, quibus succincta

Hanc pro purpureo poenam scelerata capillo,
Proque patris solvens excisa funditus urbe.
Conplures illam, et magni, Messalla, poetae
(Nam verum fateamur: amat Polyhymnia verum) 55
Longe alia perhibent mutatam membra figura;
Scyllaeum monstra in saxum conversa vocari;
Illam esse, aerumnis quam saepe legamus Vlyxi
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse ratis, et gurgita in alto 60
Deprensos nautas canibus lacerasse marinis.
Sed neque Maeoniae haec patiuntur credere chartae,
Nec malus istorum dubiis erroribus auctor.
Namque alias alii vulgo finxere puellas,
Quae Colophoniaco Scyllae dicantur Homero. 65
Ipsi seu Lamie mater sit, sive Crataeis,
Sive illam monstro genuit Persea biformi,
Sive est neutra parens: atque hoc in carmine toto
Inguinis est vitium et Veneris descripta libido;
Sive etiam est iactis speciem mutata venenis, 70
Infelix virgo: quid enim conmiserat illa?
Ipse Pater nudam saeva conplexus arena

erat Scylla. conf. Aen. III, 424 sqq. 431, 432.

66. Ordo sententiae ab his usque ad v. 89 sqq. procedit: *Sed ipsi seu Lamia mater sit, seu Crataeis, seu Persea*, h. e. Hecate: *sive illa allegorice est libido Venerea; sive puella a Neptuno oppressa et in monstrum mutata, sive puella quaestum corporis faciens: Quidquid est, de ea potius agamus Scylla, quae in Cirin mutata est. Lamiae* filiam tradiderat Scyllam Stesichorus. vid. Schol. Apollonii IV, 828. *Crataeidis* autem Homerus Od. μ, 124. *Persea* est Hecate, Persae ex Asteria filia. *monstrum biforme*, δίμορφος, Phorcys vel Phorcyn.

68, 69. Seu fabula Scyllae allegorica est libidinis narratio. Simili modo eam interpretatur Fulgentius Planciades Mythol. II, c. 12 et Heraclides in Allegor. p. 496.

70. Ex poëtae verbis talis fabulae habitus esse debuit: Scylla a Neptuno oppressa Amphitrites iram in se concitaverat; quae eam aliquanto post ita ulta est, ut, cum marito per mare vecta, veneno aquas inficeret, quo illa aqua marina corpus lavans in monstrum mutaretur. — 72. *Ipse pater*, Neptunus, ex noto poëtarum more de Iove, de Plutone et Neptuno. Alii, pro mari, fontem, in quo Scylla se lavaret, Amphitriten medicaminibus

Coniugium carae violaverat Amphitrites:
Attamen exegit longo post tempore poenas,
Vt, cum cura sui veheretur coniugis alto,
Ipsa trucem multo misceret sanguine pontum.
Seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnis,
Et cupidos quaestu passim spoliaret amantes:
Piscibus et canibus rabidis vallata repente,
Horribiles circum vidit se sistere formas.
Heu quoties mirata novos expalluit artus!
Ipsa suos quoties heu pertimuit latratus!
Ausa quod est mulier numen fraudare deorum,
Et dictam Veneri votorum vertere poenam:
Quam, mala multiplici iuvenum quod saepta caterva
Dixerat atque animo meretrix iactata ferarum,

inquinasse narrarunt: ex quibus Tzetza rem exponit ad Lycophr. 45-648. Circes artibus id factum traditur in vulgari narrationede Glauci amoribus apud Ovidium, Hyginum et alios. — 75, 76 *ut misceret* Amphitrite *pontum multo sanguine*, quem pro veneno dictum esse necesse est. Dum invehebatur mari *cura coniugis*: ipsa Amphitrite. Olim ad Scyllam nautas laniantem referebam, ut multo *sanguine* misceretur mare.

77—88. Siva Scylla fuit puella eximiae formae, quae corporis quaestum fecit et a Venere in monstrum marinum est mutata.

83, 84. Laeserat, ad horum poëtarum mentem, Scylla meretrix numen, intervertendo et intercipiendo *poenam votorum dictam Veneri* a iuvenibus, quos illa amore sui irretierat. Vt *voti reus* aliquis dicitur, cui, successu secundo, ex voto persolvenda sunt, quae voverat: sic spectat *poena* ad reatum quasi votorum, quibus se obligaverant Veneri, quaeque ipsi nunc erant persolvenda; sed iuvenes ea, quae ex voto debebant, aut vati solvendi causa Veneri destinaverant, ad puellam, quae quaestum faciebat, apportabant. Scaliger aliter accepit: « ποινὴν more Graecorum, debitam mercedem: an quod noluit persolvere decumas quaestus sui, quas voverat Veneri? sed tunc melius legeretur: *avertere*, an quod melius est, mercedem a iuvenibus accipiebat, iuvenes ipsos excludebat? ». Haec Scaliger; sed in poëtae verbis vix ea latent. Scyllam de scorto avaro etiam Heraclitus de Incredib. cap. 2 exposuit.

85—88. Quam merito tali rumore infamem fuisse, recteque adeo illa de ea narrata esse, testatur Palaephatus, quod, septa meretrix multiplici iuvenum caterva, atque animo ferarum (h. fero ac saevo) *iactata*, agita, *mala dixerat*, fraudes, mendacia: quo latratus, pro poena Scyllae mutatae attributus, respicere videtur. Ceterum, cum de lectione *Palaephatia* vix dubitari possit, apparere

Infamem tali merito rumore fuisse,
Docta Palaephatia testatur voce papyrus.
Quidquid, et ut quisque est tali de clade locutus,
Omnia sint: potius liceat notescere Cirin; 90
Atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.
Quare, quae, cantus meditanti mittere certos,
Magna mihi cupido tribuistis praemia, divae
Pierides: quarum castos altaria postes
Munere saepe meo inficiunt, foribusque hyacinthi 93
Deponunt flores, aut suave rubens narcissus,
Aut crocus alterna coniungens lilia caltha,
Sparsaque liminibus floret rosa: nunc age, divae,

videtur etiam hoc ex loco, nos verum Palaephatum non habere, et esse alterius auctoris libellum περὶ ἀπίστων, qui à nobis teritur; nam in hoc c. 21 diversa utique ratione, etsi satis inepta, de navi Tyrrhenorum piratica, fabula exponitur. Viderunt hoc iam Grotius et Scaliger. Nisi forte permutavit auctores poëta; nam is, qui nunc sub Heracliti nomine venit, περὶ ἀπίστων scriptor fabulam fere ad istum modum interpretatur. In eodem c. 14 occurrit simile quid de Sirenibus, quod sub Palaephati nomine profert Hieronymus Chron. Euseb. n. 843. Miror tamen, hominem nostrum ad Palaephatum provocare, cum notior ei esse deberet Callimachi auctoritas Fragment. CXXXIV: is sive in Αἰτίοις, sive in Hecale (ut Toup. Cur. noviss. ad Suid. p. 80 putabat), Scyllam mulierem libidinosam ediderat: Σαύλλα, γυνὴ καταλῶσα, καὶ οὐ ψύθος οὔνομ' ἔχουσα. *Scylla, meretrix, nec falsum nomen habens.* Dixerat de eadem: πορφυρέην ἤμησε κρέκα, h. e. τρίχα, v. ad pr.

89 sqq. Verum cuiusque modi haec omnia sint, quicquid et ut quisque de iis narravit; equidem de ea Scylla agam, quae in Cirin mutata est: inclarescat illa meo carmine, nec sit *una de multis*, ignobilis. *Clades* videtur ipsa perniciosa puella esse: *fundi nostri calamitas.*

92—100. *Quare — divae Pierides — nunc age, divae, nunc praecipue adspirate labori nostro.* Is ordo sententiae: ideoque pravam interpunctionem emendavi.

94, 95 De sacrificio Musis fieri solito agit: *quarum castos postes altaria saepe inficiunt munere meo.* Ara in templi aditu vel vestibulo stabat; ita, victimae sanguine, postes ac ianua templi adspergi poterant. Ita saltem ea, quae habemus, interpretanda sunt. Sintne integra, alia est quaestio. Videtur potius de corollis et sertis agi, quibus ornantur fores templi et paricies. Scaliger *inficiunt* ad nidorem refert: Κνισοῦσι. Durum hoc, meo sensu.

96, 97. Vestigia Virgilianae Musae: Ecl. III, 63, *suave rubens hyacinthus.* Ecl. II, 50, *Mollia luteola pingit vaccinia caltha.*

Praecipue nostro nunc adspirate labori:
Atque novum aeterno praetexite honore volumen. 100
Sunt Pandionii vicinae sedibus urbes,
Actaeos inter collis et candida Thesei
Purpureis late ridentia litora conchis:
Quarum non ulli fama concedere digna
Stat Megara, Actaei quondam munita labore 105
Alcathoi, Phoebique; deus namque adfuit illi:
Vnde etiam, citharae voces imitatus acutas,
Saepe lapis recrepat Cyllenia munera pulsus,
Et veterem sonitu Phoebi testatur honorem.
Hanc urbem, ante alios qui tum florebat in armis, 110

101 sqq. Ornate. Inter alias Athenis vicinas urbes fuit Megara. Pandionem Athenarum regem fuisse notum est. *littora candida* propter marmor candidum; et *ridentia conchis*, accurate ad naturam loci: nam, quod Scaliger iam monuit ex Pausania lib. I, 44, totus ille tractus agri Megarensis lapide conchite abundat, candido admodum colore, cui plurimae insunt conchae marinae.

105 sqq. Fabula Megarensium domestica v. Pausan. l. I, 42 pr., quam iam Theognis attigit vs. 771, 772. Alcathous Pelois f. Megaram, seu verius acropolin, Nisaeam, muris cinxisse ferebatur, Phoebo operae consorte: unde seu saxum aliquod, cui Phoebi cithara fuerat imposita (sic Pausan l. c. et Epigramma a Scaligero laudatum, quod vide in Antholog. lib. IV, p. 490, Steph. p. 351. nunc Analect. T. III, p. 192. Iacobs. T. III, p. 160.) seu turris erat, quae lapillo percussa, in citharae tactae morem, resonabat (Ovid. Met. VIII, 14 sqq.) Alcathous *Actaeus* h. l., quatenus Megarensis ager Atticae pars haberi poterat, et olim in Atheniensium ditione fuisse credebatur; cf. Pausan. I, 39, p. 94. f. 95. Nam alioqui e Peloponneso advenerat Alcathous, Pelopis quippe filius.

107. *imitatur* saxum citharae sonum. *Cyllenia munera*, lyram a deo Cyllenio, Mercurio, inventam. Lapis igitur pulsus, si percussus fuerit, *recrepat* lyram, h. resonat, imitatur sonum lyrae. *veterem Phoebi honorem*: videtur hoc eodem sensu dictum, pro munere, invento, Apollinis, cithara, cuius sonum saxum refert, adeoque memoriam lyrae ei impositae servat.

110. *florebat* absolute: cum alias adhici soleat, laude, virtute. Sic Catull. *florentem Iacchum* absolute dixerat, scilic. annis, LXIII, 251, ob sempiternam iuventutem. *remige*: docte: nam cum classe advenerat Minos, cuius *θαλασσοκρατίαν* illustravimus in Commentar. Soc. R. Gotting. T. I, P. II, p. 71 sqq. — 112. Causa belli Niso a Minoe illati memoratur, quod Polyidus, qui Creta aufugerat, a Minoe armis repetebatur. v. V. L.

Fecerat infestam populator remige Minos:
Hospitio quod se Nisi Polyidos avito,
Carpathium fugiens et flumina Caeratea,
Texerat. Hunc bello repetens Gortinius heros
Attica Cretaea sternebat rura sagitta. 115
Sed neque tunc cives, neque tunc rex ipse veretur
Infesto ad muros volitantis agmine turmas
Ducere, et indomita virtute retundere mentis:
Responsum quoniam satis est meminisse deorum.
Nam capite a summo regis, mirabile dictu, 120
Candida caesaries; florebant tempora lauro;
At roseus medio fulgebat vertice crinis:
Cuius quam servata diu natura fuisset,
Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum,
Concordes stabili firmarunt numine Parcae. 125
Ergo omnis caro residebat cura capillo;
Aurea sollemni comtum quoque fibula ritu
Mopsopio tereti nectebat dente cicadae.
Nec vero haec vobis custodia vana fuisset,
Nec fuerat: nisi Scylla novo concepta furore, 130
Scylla, patris miseri patriaeque inventa sepulcrum,
O nimium cupidis si non inhiasset ocellis!
Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater

116 sq. Sed Megarensea et Nisus non cunctantur Minoi occurrere et muros urbis defendere: quippe capilo purpureo (de quo v. ad pr. Ciris) confisi etc.

123. *Cuius—natura*, pro qui crinis. Barthius Advers. XXIII, 9 laudat ex Avien. Perieg. (v. 57) *pigra ponti Se natura tenet*, h. pontus.

127, 128. Fibula aurea nectebat eum crinem dente tereti cicadae. Erat scilicet fibula in cicadae formam facta *ritu* Attico. Nota nunc res, Athenienses τεττιγοφοροῦντας fuisse, habuisse cicadam auream crinium cincinnis innexam. Post Scalig. et Taubmann. ad h. l. et Meurs. v. Perizon. ad Aelian. IV, 22. Sed princeps locus est Thucid. I, 6.

133. Non ignobilis de Amoris potentia locus, etsi a multis tractatus, et alienus forte ille ab h. l., cum ira Cupidinis nullum in sqq. locum habeat: quo tamen vim sibi poëta struit ad ipsam narrationem a v. 139 sqq. Quae tamen inde sequuntur omnia

Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem
Iupiter: Ille etiam Poenos domitare leones, 135
Et validas docuit vires mansuescere tigris;
Ille etiam divos, homines; sed dicere magnum est;
Idem dum tristes acuebat parvulus iras
Iunonis magnae: [cuius periuria divae
Olim se meminisse diu periura puellae 140
Non ulli liceat:] violaverat inscia sedem,

sunt foede corrupta et interpolata usque ad 163. Obscura quidem res est, sed Scyllam apparet religionem Iunonis violasse, cum inter lusum pilae cum aequalibus in loco sacro ulterius, quam fas erat, processisset. Ita evenisse, ut Minoem prospiceret eiusque amore capta insaniret. Nec vero apparet e poëtae verbis: peccatumne fuerit in hoc, quod locum sacrum et arcana religionis imprudens adierit; an quod nudaverat corpus; qua quidem re Iunonem tantopere exarsisse quis non miretur; ferres, si Diana aut Minerva esset. Nostri poëtae multa haberent, quibus haec probabiliter fingi possent. De ludis Iunoni, quales Paus. V, 16 memorat, institutis agi non videtur. Quid? quod nec Iunonis templum aut praecipua aliqua religio Megaris fuisse videtur. Certe Pausanias ne aedem quidem vel signum Iunonis in ea urbe memorat. Videtur aliquid de periurio puellae attingi, quo Iunonem laeserit. Sed locus tam stribliginosus est et interpolatus variis versificatorum laciniis, ut nihil habeas cui satis confidas. Exspectabam cum Scaligero, ut studio ludendi provectam ad ipsa urbis moenia pervenisse diceret puellam poëta, unde illa cum prospiceret, Minois amore esset correpta. Sed in poëtae verbis nihil, quod eo ducat, video. Poterat a poëta causa irae Iunonis ex eo adstrui, quod Minos Iovis erat filius ex pellice. Nec illud satis dilucide exposuit poëta, quare et quatenus Amor Iunonis irae ac vindictae in amore puellae iniiciendo indulserit. Veneris impulsu Minoem a Scylla amatum esse prodiderant alii, quos Hygin. sequitur f. 198. Monili aureo inductam Scyllam Aeschylus: vid. sup. ad pr. Ciris.

134. *pater atque avus idem Iupiter*. De hoc v. docta disputatio Valkenarii ad Eurip. fragm. pag. 159. add. Musgravii ad Hippol. 539. Scilicet a diversis poëtis Venus Iovis filia et eadem mater Amoris e Iove tradita fuerat; unde nunc lusus. Iungenda autem: *Sed malus ille puer*, — *Idem tum* vs. 138.

Vs. 138. *Idem tristes*. Quantum ex loco salebroso assequi licet: puella religionem templi Iunonis violaverat, inter ludendum cum aequalibus pila in sacrarium temere emissa; quam cum repetitum ivisset, in templi penetrale irruperat. Vt puellam puniret, infausto amore eam a Cupidine inflammari curavit Iuno.

141. Violata loci sanctitas esse videtur inter ipsa sacra facta, puella procurrente ante coetum matronarum et puellarum. *sedem* de templo et τριόδοις accipe. *sacris operata deae*

Dum sacris operata deae lascivit, et extra
Procedit longe matrum comitumque catervam,
Suspensam gaudens in corpore ludere vestem,
Et tumidos agitante sinus Aquilone relaxans: 145
Necdum etiam castos agitaverat ignis honores,
Necdum sollemni lympha perfusa sacerdos
Pallentis foliis caput exornarat olivae:
Cum lapsa e manibus fugit pila, cumque relabsa
Procurrit virgo: quo utinam ne prodita ludo 150
Aurea tam gracili solvisset corpora palla!
Omnia, quae retinere gradum, cursumque morari
Possent, o tecum vellem tua semper haberes!
Non unquam violata manu sacraria divae,
Iurando infelix nequidquam iura piasses. 155
Et si quis nocuisse tibi periuria credat,
Caussa pia est: timuit fratri te ostendere Iuno.
At levis ille deus, cui semper ad ulciscendum
Quaeritur ex omni verborum iniuria dicto,
Aurea fulgenti depromens tela pharetra, 160
Heu nimium tereti, nimium Tirynthia visu,

lascivit, sacris dum operatur, puella cum aequalibus ludit. — 144, 145. Veste igitur recincta, soluta, procurrit: ita ipso cursu auram movet vestis agitata.

146, 147, 148. Obscura sententia, quam nec Scaliger habet quomodo expediat. Videamus verba: *honores ignis castos nondum agitaverat* sacerdos, h. e. nondum flabello aura agitata ignem succenderat in ara; *nec dum sollenni* — nec ea rite lota caput ex more sacrorum sertis et infulis velaverat: cum pila eius manu elapsa est. — 150. *prodita* in fraudem inducta, ut religionem violaret. — 152. Obscura et hiulca tota haec oratio. Vtinam veste impedita, retenta fuisses, quominus longius procederes! Sic nunquam violatae religionis poenam dedisses. Si modo ea per periurium declarari potest; periurii tamen proprie dicti nulla hic subest ratio. vid. Var. Lect.

159. *ex omni verborum dicto*: Est ex Scaligeri sententia *dictum* h. l., ut ἔπος, res; sed potius ad iusiurandum voluit referre inscitus homo, qui hos versus seu struxit seu interpolavit: *iniuria verborum*, offensio.

161, 162. Vid. Var. Lect. Ex toto loco eiectis quae ab indoctis interpolatoribus illata sunt, sana videntur habenda esse haec vs. 129. *nisi Scyl-*

Virginis in tenera defixerat omnia mente.
Quae simul ac venis hausit sitientibus ignem,
Et validum penitus concepit in ossa furorem:
Saeva velut gelidis Ciconum Bistonis in oris, 165
Ictave barbarico Cybeles antistita buxo,
Infelix virgo tota bacchatur in urbe;
Non styrace Idaeo fragrantes picta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia servans,
Non niveo retinens baccata monilia collo. 170
Multum illi incerto trepidant vestigia cursu.
Saepe redit patrios adscendere prodita muros;
Aeriasque facit caussam se visere turres.
Saepe etiam tristis volvens in nocte querelas,
Sedibus ex altis coeli speculatur amorem; 175
Castraque prospectat crebris lucentia flammis.
Nulla colum novit: carum nec respicit aurum.
Non arguta sonant tenui psalteria chorda;
Non Libyco molles plauduntur pectine telae.

la, novo concepta furore, Minoi cupidis si non inhiasset ocellis! Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem, Aurea fulgenti depromens tela pharetra Virginis in tenera defixerat omnia mente.

163. Comparat Scaliger Catull. LXIII (Epithal. P.); 94 sq. add Apollon. III, 280 sq., et ad v. 165 Nicand Alexipharm. 217 sqq. Ἡ ἄτε κερνοφόρος etc.

166. *Ictave*, h. tibia Phrygia audita stimulata et in furorem acta. Alias Gallos nominare solent poëtae: nunc una ex Maenadibus intelligenda, cf Catull. LXII (de Aty), 22 sq.

167. Cf. Aen. IV, 300 sqq. de Didone, et VII, 376 sq. de Amata. Sed sqq. adumbrata sunt ex Catullo XXIII, 63 sqq.

168. *Styrax*, frutex et succus seu gummi officinis adhuc nostris pharmaceuticis frequens, *storax* vulgo dictus, ex Syria plerumque petebatur. Plin. XII, 17, 40. Styracem Idaeum h. Creticum, Plin. XII, 17, 40. Plinio parum probari lib. XII, 25, 55, iam a Scaligero notatum est.

179. *Libyco pectine*: citrino vel lotino, ait Scaliger: nisi malis cum Taubmanno de eburneo accipere. Nam et *ebur* ex Libya. Iulius Sabinus *Palladium* interpretatur, quia Minerva Tritonia a Libyae palude Tritonide dicta: quod nimis subtile. — *plauduntur*, pulsantur *telae*. Proprie latus vel corpus texentis plau-

Nullus in ore rubor. Vbi enim rubor, obstat amori. 180
Atque ubi nulla malis reperit solatia tantis,
Tabidulamque videt labi per viscera mortem:
Quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata,
Fertur; et horribili praeceps inpellitur oestro:
Vt patris, ah demens, crinem de vertice ferret 185
Furtim, atque arguto detonsum mitteret hosti.
Namque haec conditio miserae proponitur una.
Sive illa ignorans: quis non bonus omnia malit
Credere, quam tanto scelere damnare puellam?
Heu tamen infelix (quid enim inprudentia prodest?) 190
Nise pater: cui, direpta crudeliter urbe,
Vix erit una super sedes in turribus altis,
Fessus ubi exstructo possis considere nido.
Tu quoque, avis, moriere: dabit tibi filia poenas.
Gaudete, o celeres, subnixae nubibus altis, 195
Quae mare, quae virides silvas, lucosque sonantes
Incolitis; gaudete, vagae blandaeque volucres;
Vosque adeo, humani mutatae corporis artus,
Vos o crudeli fatorum lege, puellae
Dauliades, (crudele) venit carissima vobis 200
Cognatos augens reges numerumque suorum

dittur, pulsatur, ex statu et motu dum *pectinem*, radium, cum sublemine, inter stamina inserit. Ita pulsatur corpus subinde admotum τῷ ἱστῷ aut ei parti, cui tela detexta induitur; dicta h. l. voce generali, *tela*; transfertur nunc res ad hanc ipsam telam, quae appulso corpore et ipsa pulsatur, plauditur. Latus *plaudi* dictum simili modo a Tibullo II, 1, 66, ubi vid. Obss. et supra Exc. I, ad Aen. VII, 1.

180. Laudatum iam ab aliis tamquam ex Ovidio: *Non bene conveniunt pudor atque amor*. In nostro vereor ne nimium acumen illatum sit.

188. *Sive illa ignorans*, scil. hoc fecit, ut crinem Niso patri auferret, cum nesciret fata regni in eo esse posita.

195. Non male inventa, quae sequuntur. Nam si Nisus Pandionis II Athenarum regis fuit filius, Philomelam et Procnen, Pandionis I filias, quarum altera Tereo, Daulidis regi, nupta fuit, et cognatione coniunctas fuisse necesse est. *Vos, o puellae Dauliades, crudeli fatorum lege mutatae* (κατὰ) *artus corporis humani.*

Ciris, et ipse pater; vos, o pulcerrima quondam
Corpora, caeruleas praevertite in aethera nubes,
Qua novus ad superum sedes Calcheius, et qua
Candida concessos adscendat Ciris honores. 205
Iamque adeo dulci devinctus lumina somno
Nisus erat; vigilumque procul custodia primis
Excubias foribus studio iactabat inani:
Cum furtim tacito descendens Scylla cubili
Auribus adrectis nocturna silentia tentat; 210
Et pressis tenuem singultibus aera captat.
Tum suspensa levans digitis vestigia primis
Egreditur; ferroque manus armata bidenti
Evolat: at demtae subita in formidine vires.
Caeruleas sua furta prius testatur ad umbras. 215
Nam, qua se ad patrium tendebat semita limen,
Vestibulo in thalami paulum remoratur; et altum
Suspicit ad culti nutantia sidera mundi,
Non adcepta piis promittens munera divis.
Quam simul Ogygii Phoenicis filia Carme 220
Surgere sensit anus (sonitum nam fecerat illi
Marmoreo aeratus stridens in limine cardo)
Conripit extemplo fessam languore puellam:
Et simul, o nobis sacrum caput, inquit, alumna!
Non tibi nequidquam viridis per viscera pallor 225

202. Vos, Philomela et Procne in aves mutatae, advolate, in occursum (*praevertite nubes in aethere*), qua novus haliaeetus (ut pro *Calcheius* legendum) et ciris in aves et ipsi mutati evolabunt.

206 sqq. Qui sequitur locus magno poëta dignus videri potest.

208. *studio iactabat inani*, excubias agebat: sed respectu Scyllae, quae eos fefellit.

212. Ovid. Fast. I, 425: *Surgit amans, animamque tenens vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu.* Mox *ferrum bidens* iul. forficem.

220. De Carme et Britomarti vid. Excurs. ad h. l.

223. *Corripit* Carme eam, ut sustineat lapsuram. Ceterum comparari cum sqq. potest Ovidii locus de Myrrha eiusque nutrice Met. X, 382 sqq. — 225. *viridis pallor* ex χλωρὸς pro

Aegrotas tenui suffudit sanguine venas;
Nec levis, hoc faceres (neque enim pote), cura subegit:
Haud fallor, quod te potius Rhamnusia fallit.
Nam qua te caussa nec dulcis pocula Bacchi,
Nec gravidos Cereris dicam contingere fetus? 230
Qua caussa ad patrium solam vigilare cubile,
Tempore quo fessas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus?
Dic age nunc miserae saltem, quod saepe petenti
Iurabas nihil esse mihi, cum maesta parentis 235
Formosos circum virgo morerere capillos?
Hei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus,
Ille, Arabis Myrrhae quondam qui cepit ocellos,
Vt scelere infando, quod nec sinit Adrastia,
Laedere utrumque uno studeas errore parentem. 240
Quod si alio quovis animo iactaris amore:
Nam te iactari, non est Amathusia nostri
Tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo;
Si concessus amor noto te macerat igne;
Per tibi Dictynnae praesentia numina iuro, 245

οἰχρὸς, nota res est. — 228. quanquam utinam fallar, o Nemesis! De verbis v. V. L. — 230. *gravidos Cereris fetus.* Scaliger γονίμους, fecundos vel fetificos, interpretatur. Ge. II, 443 *gravidae fruges* et Ge. I, 319 *gravida seges*, ubi ad suecum nutritium retuli. — 233. *requiescunt*, transitive, ut obvium est videre, pro retardare: uti iam Eclog. VIII, 4 vidimus.

238. De Myrrha nota fabula ex Ov Met. X. *Arabs* ea dicta, etsi Cinyrae Paphiorum in Cypro regis filia fuerit, sitque omnino narratio ex Cypriis fabulis ducta. Sed fuga delata est Myrrha in Arabiam ibique in arborem mutata, ut ipse Ovid. X, 477, *latosque vagata per agros, Palmiferos Arabas Panchaeaque rura relinquit — tandem terra requievit fessa Sabaea.* — 240. *utrumque parentem*, sc. Myrrhae. Argutatur Scaliger, qui Nisum et nutricem Carmen intelligere iubet. Videtur autem Carme suspicari, Cirim patris amore incesto exarsisse.

241. Procedit sententia ad vss. 249. *Quod si alio quovis animo iactaris amore;* nam te amore aliquo iactari bene intelligo; *Si*, inquam, *concessus amor noto te macerat igne*: sequitur apodosis: *Per tibi D.*.

245. Dictynnam nunc de ipsa Diana poëta videtur accipere. conf. Exc. ad v. 220 f.

Prima deum quae te mihi dulcem donat alumnam,
Omnia me potius digna atque indigna laborum
Millia visuram, quam te tam tristibus istis
Sordibus et scoria patiar tabescere tali.
Haec loquitur: mollique ut se velavit amictu, 250
Frigidulam iniecta circumdat veste puellam,
Quae prius in tenui steterat succincta corona.
Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens,
Persequitur miserae caussas exquirere tabis;
Nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces, 255
Marmoreum tremebunda pedem quam retulit intra.
Illa autem, Quid nunc me, inquit, nutricula, torques?
Quid tantum properas nostros novisse furores?
Non ego consueto mortalibus uror amore?
Nec mihi notorum deflectunt lumina voltus, 260
Nec genitor cordi est: ultro namque odimus omnis.
Nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
In quo falsa tamen lateat pietatis imago:
Sed media ex acie, mediis ex hostibus. Heu heu,
Quid dicam? quove ipse malum hoc exordiar ore? 265
Dicam equidem: quoniam quid tu tibi dicere, nutrix
Non sinis; extremum hoc munus morientis habeto.
Ille, vides, nostris qui moenibus adsidet hostis,
Quem pater ipse deum sceptri donavit honore,

250. Vtque ipsa, scil. Carme, amicta erat molli veste. Nota forma dicendi, pro quoniam, quandoquidem.

255. interrogat eam simulque intra cubiculum reducit: cf. 222-224.

260. *notorum vultus*, non noti, amici, *deflectunt lumina*. Ait se non amicorum amore tangi, sed, quod vix credibile, hostium, ut Scaliger bene explicat. *Deflectunt lumina*, oculos nostros, ea, quae admiramur aut quorum amore et cupiditate incendimur, ut ab intuitu male nobis temperemus atque eadem discedentes respiciamus. Mox *ultro* significatione accipiunt illa, qua pro ultra, insuper, positum habetur; immo vero, multo magis; ut Aeneid. XII, 3 et toties.

363. *In quo f.* puto, si patrem amarel: in quo lateat, etsi falsa, imago tamen pietatis: h. e. amoris in consanguineos, qui praetexi possit.

269. *Quem pater ipse deum sceptri donavit honore*; vel qualenus omnes

Cui Parcae tribuere nec ullo volnere laedi: 270
Dicendum est, frustra circumvehor omnia verbis,
Ille mea, ille idem oppugnat praecordia Minos.
Quod te per divum crebros obtestor amores,
Perque tuum memoris haustum mihi pectus alumnae,
Vt me, si servare potes, ne perdere malis. 275
Sin autem optatae spes est incisa salutis:
Ne mihi, quam merui, invideas, nutricula, mortem.
Nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carme,
Ante hunc conspectum casusve deusve tulisset:
Aut ferro hoc (aperit ferrum quod veste latebat) 280
Purpureum patris demsissem vertice crinem,
Aut mihi praesenti peperissem volnere letum.
Vix haec ediderat, cum clade exterrita tristi
Intonsos multo deturpat pulvere crinis,
Et graviter questu Carme conplorat anili: 285
O mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,
O iterum nostrae Minos inimice senectae,
Semper et, aut olim nata, o te propter eundem,

reges διογενεῖς sunt, a Iove regnum habent; vel quod Minos a Iove genus ducit. Sed alterum 270 *Cui Parcae tribuere nec ullo vulnere laedi*, obscurum est; fabulam reconditam continere videri potest. Minoem tamen vulnerari nequiisse, non illunde constat. Sed expeditur locus, si cogites te in auctore versari, qui a proprietate verborum saepe recedit. Haud dubie immortalem fore Minoem, inter deos aliquando recipiendum heroem, declarare vult. Aliis huius loci partibus non deest elegantia sua.

275. Laudarunt viri docti ad h. l. illud ex Medea Ovidii: *Servare potui: perdere an possim, rogas?* ex hocque versu Ciris auctorem profecisse crediderunt. Antiquiorem auctoritatem Aristophanis Nub. 1179, Νῦν οὖν ὅπως σώσῃς μ', ἐπεὶ κἀπώλεσας commemorat Burmann. Sec. ad Anthol. T. I, p. 149; verum nec ex hoc nec ex illo versum hunc fluxisse arbitror. Est sententia, quae se sponte ingenio poëtae in tali rerum articulo offerre debuit.

280. *aperit ferrum quod veste latebat.* Aen. VI, 406, *aperit ramum qui veste latebat.*

286 sqq. Respicit fata filiae Britomartis, cuius amore Minos exarserat, quem illa fugiens a Dictynnaeo promontorio in mare se praecipitare malluerat. vid. Exc. ad v. 220, 228. Et semper propter te eundem aut olim

Aut amor insanae luctum portavit alumnae.
Tene ego tam longe capta atque avecta nequivi, 290
Tam grave servitium, tam duros passa labores,
Effugere, ut sistam exitium crudele meorum?
Iam iam nec nobis ea, quae senioribus, ullum
Copia vivendi vitae genus. Vt quid ego amens
Te erepta, o Britomarti, meae spes una salutis, 295
Te, Britomarti, diem potui producere vitae?
Atque utinam celeri ne tantum grata Dianae
Venatus esses virgo sectata virorum.
Cnossia neu Partho contendens spicula cornu
Dictaeas ageres ad gramina nota capellas: 300
Nunquam, tam obnixe fugiens Minois amores,
Praeceps aereis specula de montibus isses:
Vnde alii fugisse ferunt, et numina Aphaeae
Virginis adsignant: alii, quo notior esses,
Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam. 305
Sint haec vera velim: mihi certe, gnata, peristi.
Nunquam ego te summo volitantem in vertice montis
Hyrcanos inter comites agmenque ferarum
Conspiciam, nec te redeuntem amplexa tenebo.
Verum haec tum nobis gravia atque indigna fuere, 310

nata, Britomartis (te fugiendo), aut (nunc) amor alumnae Scyllae luctum mihi attulit.

290. *capta atque tam longe avecta.* Ex Creta igitur Carme captiva abducta Megara pervenisse putanda. Nec tamen hic Minoem se effugisse videt. — 293, 294. Iam nec in senio quidem mihi vita tolerabilis relinquitur! Sed verba sunt scabra.

297. Britomartis venatrix a Minoe conspecta, et, ut eius insidias fugeret, praeceps in mare delata cf. Var. Lect. et Exc. ad v. 220, ubi et de vss. 303 sqq. in quibus illa nomina *Aphaea* nymphae et *Dictynnae* accepisse narratur.

305. Alii Lunam tuo de nomine Dictynnam appellavere: id quod ponit tacite, Dictynnae nomen Britomarti fuisse inditum. At illa fuit Dictynna dicta a Dianae nomine; quae h. l. eadem cum Luna esse editur. Diversitas utique narrationis in hoc fuit, quod alii Dictynnam interpretabantur Dianam, alii Dianae nympham, conf. sup. ad v. 223.

310. *indigna*, intolerabilia, ut saepe

Tum, mea alumna, tui cum spes integra maneret;
Et vox ista meas nondum violaverat aures.
Tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit?
Tene, o sola meae vivendi caussa senectae?
Saepe tuo dulci nequidquam capta sopore, 315
Cum premeret natura, mori me velle negavi,
Vt tibi Corycio glomeracem flammea luto.
Quo nunc me (infelix) aut quae me numina servant?
An nescis, qua lege patris de vertice summo
Edita candentis praetexat purpura canos? 320
Quae tenui patriae spes sit suspensa capillo?
Si nescis, aliquam possum sperare salutem:
Inscia quandoquidem scelus es conata nefandum.
Sin est, quod metuo: per me, mea alumna, tuumque
Expertum multis miserae mihi rebus amorem, 325
Per me, et sacra precor per flumina Ilithyiae,
Ne tantum in facinus tam molli mente sequaris.
Non ego te incepto, fieri quod non pote, conor
Flectere, amore, neque est cum dis contendere nostrum:
Sed patris incolumi potiùs te nubere regno, 330
Atque aliquos tamen esse velis tibi, alumna, Penates.
Hoc unum, exitio docta atque experta, monebo.

alias. Evenerunt haec acerba filiae fata tum, cum te alumnam haberem. — *fuere*, evenerunt. Sed oratio scabra et vix sana. vid. V. L. Mox 312 *vox ista* de amore Nisi, et 314 *vivendi caussa meae senectae*, mihi seni.

315—317. Saepe Scylla infante in sinu dormiente, cum ipsa dolore animi victa vita se privare vellet, mortem distulisse se ait, ut antea viro nuptam eam videret. *capta*, delectata: an, et ipsa ad somnum invitata, sed nequicquam? *cum premeret natura*, senectus molestè gravaret. De *flammeo*, veste seu velo ac tegmine, quo novae nuptae nubebantur, eoque flavi coloris, nota sunt omnia. *luteum*, herba, cuius succo inficiuntur vestes. v. ad Tibull. I, 8, 52. *Corycium*, a Coryco Ciliciae monte, croco, cui similis luteus color est, celebrato. Sed *glomerare* mire dictum est pro texere: proprie est colligere fila, quae pro stamine texturae sint.

318. *infelix!* ἀτὰ μίσου, ut Scaliger monuit, sine regimine! ἀτιμοῦν. Quae numina, et quo, nunc me servant? Mox 320 *Edita*, nata, et 325 *Expertum* passive.

Quod si non alia poteris ratione parentem
Flectere: (sed poteris; quid enim non unica possis?)
Tunc potius tamen ipsa, pio cum iure licebit, 335
Cum facti caussam tempusque doloris habebis,
Tunc potius conata tua atque incepta referto.
Meque, deosque tibi comites, mea alumna, futuros
Polliceor: nihil est, quod texas ordine, longum.
His ubi sollicitos animi relevaverat aestus 340
Vocibus, et blanda pectus spe vicerat aegrum:
Paullatim tremebunda genis obducere vestem
Virginis, et placidam tenebris captare quietem,
Inverso bibulum restinguens lumen olivo,
Incipit, ad crebros insani pectoris ictus 345
Ferre manum, adsiduis mulcens praecordia palmis.
Noctem illam sic maesta super morientis alumnae
Frigidulos cubito subnixa pependit ocellos.
Postera lux ubi laeta diem mortalibus almum,
Et gelido veniens mani quatiebat ob Oeta; 350
Quem pavidae alternis fugitant optantque puellae:
Hesperium vitant, optant ardescere Solem:
Praeceptis paret virgo nutricis, et omnis
Vndique conquirit nubendi sedula caussas.
Tentantur patriae submissis vocibus aures, 355
Laudanturque bonae pacis bona; multus ineptae
Virginis insolito sermo novus errat in ore.

331. *quid enim non unica possis?* cum unica sis filia. — 335. *pio cum iure licebit*, si parens negaverit nuptias cum Minoe ineundas. *tempus doloris*, cum tempus dolendi habebis iustum, adeoque erit, quod doleas, negatis a patre nuptiis. *referto:* iterum consilium hoc extremum resecandi capilli patrii revoca, repete. — 338. *Meque deosque.* Comparat Scaliger Graeca; ὡς ἐμοῦ σὺν θεοῖς συλλιψομένη σοι, οὕτω ποιοῦ. — 339. *nihil est:* non res est, quae non nisi longo tempore et multo apparatu perfici possit: sed res est brevi tempore expedienda. Verum recte Iul. Sabinus in sententiam mutavit: nihil est longum, quod ipsa natura ordine texuit; at sic nunc interpunxi.

Nunc tremere instantis belli certamina dicit,
Communemque timere deum; nunc regis amicos;
(Namque ipso verita est orbari maesta parente) 360
Cum Iove communis qui quondam habuere nepotes;
Nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
Invenit, et divum terret formidine civis;
Nunc alia ex aliis, nec desunt, omnia quaerit.
Quin etiam castos ausa est conrumpere vates: 365
Vt, cum caesa pio cecidisset victima ferro,
Essent, qui generum Minoa auctoribus extis
Iungere, et ancipites suaderent tollere pugnas.
At nutrix patula conponens sulfura testa,
Narcissum, casiamque, herbas incendit olentis; 370
Terque novena ligat triplici diversa colore
Fila; ter in gremium mecum, inquit, despue virgo,
Despue ter, virgo: numero deus inpare gaudet.
Inde Iovi geminat magno Stygialia sacra,
Sacra nec Idaeis senibus, nec cognita Graiis; 375
Pergit, Amyclaeo spargens altaria thallo,

349—351. Descriptio orientis diei; quae an cum iudicio ornata sit, vid. Var. Lect. Solem *quaterè lumina* dixerat auctor Culicis v. 42. Paullo ante *frigidulos oculos* ex Catullo mutuatus est LXIII, 131.

359. *Communem deum*; belli fortunam. Alias dicimus Martem communem. Laudat Taubm. illud Annibalis Liv. XXX, 30, *Cum tuas vires, tum vim fortunae Martemque belli communem propone animo.* Sed et inf. in Catalect. XI, 50 *Communem belli nec timuisse deum.* Conf. Burm. Antholog. Lat. Tom. I, p. 299. De toto loco corrupto v. V. L.

369 sqq. Locus, qui sequitur de magicis sacris, ab anu factis, antiquis acceptior et suavior, quam nobis esse debuit; nec male tamen a poëta est tractatus, etsi aliorum poëtarum exemplo, nec forte satis accommodate ad h. l.; cum ea non ad amorem instillandum, sed ad Nisi parentis animum flectendum et, ut filiae cum hoste Minoë nuptias probaret, impellendum valere debeant. Vs. 370. *Narcissum, casiamque, herbas incendit olentes*; compositum ad illum Ecl. II, 11: *Allia serpillumque herbas contundit olentes.* Vs. 371. *Terque novena ligat triplici diversa colore Fila.* Novem fila triplicis coloris nectit ter, seu nodo facto, seu inter se implicita. Sumtum ex Ecl. VIII, 73: *Terna tibi haec primum triplici diversa colore Licia circumdo.* Inde etiam vs. sq. repetit; *numero deus impare gaudet.* Tum 376, 377

Regis Iolciacis animum defigere votis.
Verum, ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum,
Nec possunt homines, nec possunt flectere divi:
Tanta est in parvo fiducia crine cavendi: 380
Rursus ad inceptum sociam se adiungit alumnae;
Purpureumque parat rursus tondere capillum;
Cum longo quod iam captat succurrere amori:
Non minus illa tamen revehi, quod moenia crescant;
Gaudeat: et cineri patria est iucunda sepulto. 385
Ergo metu capiti Scylla est inimica paterno.
Tum coma Sidonio florens succiditur ostro.
Tum capitur Megara, et divum responsa probantur.
Tum suspensa novo ritu de navibus altis,
Per mare caeruleum trahitur Niseia virgo. 390

Amyclaeus thallus, θαλλός, ramus, termes olivae esse videri potest, quo aram aqua adspergit. nam Aen. VI, 230 in lustratione: *Spargens rore levi et ramo felicis olivae.* Itaque oliverum proventum in Laconica fuisse ex h. l. patet, quod Scaliger partim ex studio palaestrae, partim ex Statio, qui *Eurotam oliviferum* appellavit, firmari posse putabat. Verum palaestrae studium non statim olivae culturam infert; et in Statio lectio est ambigua: Theb. IV, 227; nam alii *oloriferum Eurotam* habent, quod verius esse arbitror; nam idem Eurotas arundinosus, δοναχότροφος, Theogn. 783, quales amnes amant olores; tum *olivifer* ad idem palaestrae studium inter Laconas referendum erat. Nec vero ad haec confugere necesse erat. De myrto accipiendum esse thallum Amyclaeum, ex carmine Catulli patet, quod toties expressum in Ciri. Nam v 89, *Quales Eurotae progignunt littora myrtus.* Alioqui Isuros ad Eurotam memoravit ipse Maro Ecl. VI, 83. *Iolciaca vota*, sunt devotiones Thessalicae.

383, 384, 385. Sententia esse debet: partim ut alumnae amori succurrat, partim quod in patriam sic se redituram et saltem tumulo in solo patrio habituram esse videt.

387 sqq. Potiora narrationis capita tantum verbo attingit: vid. ad pr. carm.

389. Mira Minois crudelitas, quod puellam navi alligat; cf. v. 416, 417; non adiicitur, an in prora, ubi parasemum erat: in quo forte fabulae potest origo ac causa latere: cum puella efficta esset, quae suspensa per mare trahi videri posset; Tzetza ad Lycophr. 648 κρεμασθεῖσα τῆς πρώρας τῆς ἐκείνου νηός etc. In diversa abit Apollodor. III, 14, 8 Minos τὴν κόρην τῆς πρύμνης τῶν ποδῶν ἐκδήσας, ὑποβρύχιον ἐποίησε. Etiam alios fabulam sic exponere, notavit Scaliger. Propert. III, 17, 26, *Pendet Cre-*

Conplures illam Nymphae mirantur in undis;
Miratur pater Oceanus, et candida Tethys,
Et cupidas secum rapiens Galatea sorores;
Illa etiam, iunctis magnum quae piscibus aequor
Et glauco bipedum curru metitur equorum, 395
Leucothee, parvusque dea cum matre Palaemon.
Illi etiam, alternas sortiti vivere luces,
Cara Iovis soboles, magnum Iovis incrementum,
Tyndaridae niveos mirantur virginis artus.
Has adeo voces, atque haec lamenta per auras 400
Fluctibus in mediis questu volvebat inani,
Ad coelum infelix ardentia lumina tollens,
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.
Supprimite o paullum turbati flamina venti,
Dum queror; et divos, quamquam nil testibus illis 405
Profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.
Vos ego, vos adeo, venti, testabor, et aurae,
Vos, matutina si qui de gente venitis,
Cernitis: Illa ego sum cognato sanguine vobis
Scylla; quod, ah, salva liceat te dicere Procne; 410
Illa ego sum Nisi pollentis filia quondam:

taea tracta puella rate: ubi cf. Intpp. Potuit et hoc subesse poëtae, qui primus finxit, animo, quod Scylla ob tantum facinus digna erat, cui *tellus pontusque negetur*, ut verbis Nasonis utar. Alii poëtae fabulam aliter tractavere: Navi eieciam in mare a Minoë, ad Scyllaeum Argolidis promontorium delatam mortuam acceperat Pausan. II, 34, pag. 192. At dolore furentem, cum se a Minoë relinqui videret, in mare se praecipitasse, et puppi abeuntis navis inhaesisse narrat Ovid. Met. VIII, 142 sq., ubi similes querelas Scyllae comparent studiosi cum loco, qui sequitur, non male elaborato a poëta: et in quo ille cum Catullo LXIII, 130 sqq. certasse videtur.

391. *Complures illam Nymphae mirantur*. Frequentatum poëtis phantasma: ut in Argonautarum historia. Proxime tamen Catullum respexisse videtur LXIII, 14, 15. In vss. 394, 395, 396 disertus locus de Ino et Melicerta.

404-458. Lamenta haec Scyllae non sunt a poëta tenuioris ingenii profecta; desideres modo severius iudicium in delectu rerum et sententiarum.

Certatim ex omni petiit quam Graecia regno,
Qua curvus terras amplectitur Hellespontus;
Illa ego sum, Minos, sacrato foedere coniunx
Dicta tibi: tamen haec, et si non adcipis, audis. 415
Vinctane tam magni tranabo gurgitis undas?
Vincta tot assiduas pendebo ex ordine luces?
Non equidem me alio possum contendere dignam
Supplicio: quod sic patriam carosque Penates
Hostibus inmitique addixi ignara tyranno. 420
Verum esto. Haec, Minos, illos scelerata putavi,
Si nostra ante aliquis nudasset foedera casus,
Facturos, quorum direptis moenibus urbis,
O ego crudelis, flamma delubra petivi:
Te vero victore, prius vel sidera cursus 425
Mutatura suos, quam te mihi talia captae
Facturum metui. Iam iam scelus omnia vincit.
Ten' ego plus patrio dilexi perdita regno?
Ten' ego? nec mirum, vultu decepta puella
Vt vidi, ut perii! ut me malus abstulit error! 430
Non equidem ex isto speravi corpore posse
Tale malum nasci: forma, vel sidere fallor.
Non me deliciis conmovit regia dives,

414, 415. *Illa ego sum, Minos, sacrato foedere coniux Dicta tibi.* Aut exciderunt multa, aut non satis praestruxit narrationem poëta. Intelligendum scilicet est, dato capillo Scyllam fidem a Minoë matrimonii iungendi accepisse. Ad pactionem eandem sunt *foedera* referenda vs. 422. Ceterum cum his Scyllae querelis cf. eas, quas Ovid. Met. VIII, 108 sqq. eius ore proferi, ut intelligas, in hoc ingenii lusum, in nostro poëta doloris acerbitatem ex naturae veritate.

418. Non equidem aliud quid merui quam tale supplicium — 421. *illos s. ... facturos, quorum:* Megarenses, si rescivissent proditionis consilia! Mox 431 *speravi* pro metui, putavi, ut saepe: conf. Aen. I, 543. IV, 419 non in animum venit, tantum scelus a viro tam formoso proficisci posse; forma ego misera decepta sum.

433. *Non me commovit:* ut absterrerer a prodenda patria. Loquitur enim de Nisi patris regia, et de bonis, quibus illa adhuc usa erat. — 435. *aequali corpore*, aetate, aequales, ὁμήλικες χάριτι, ut Scaliger illustrat.

Coralio fragili, ac electro lacrimoso;
Me non florentes aequali corpore Nymphae; 435
Non metus incensam potuit retinere deorum.
Omnia vicit amor: quid enim non vinceret ille?
Non mihi iam pingui sudabunt tempora myrrha,
Pronuba nec castos adcendet pinus odores,
Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro. 440
Magna queror; nec et illa quidem communis alumna
Omnibus iniecta tellus tumulabit arena.
Mene inter comites, ancillarumque catervas
Mene alias inter, famularum munere fungi,
Coniugis atque tuae, quaecumque erit illa, beatae 445
Non licuit gravidos penso devolvere fusos?
At belli saltem captivam lege necasses.
Iam fessae tandem fugiunt de corpore vires,
Et caput inflexa lentum cervice recumbit;
Marmorea adductisque labascunt brachia nodis. 450
Aequoreae pestes, inmania corpora Ponti,
Vndique conveniunt, et glauco in gurgite circum
Verbere caudarum atque oris minitantur hiatu.
Iam tandem casus hominum, iam respice, Minos.
Sit satis hoc, tantum solam vidisse malorum; 455

438-440. Ad nuptiarum sollennia referendum, quibus se nunc privatam conqueritur; sponsa perungitur: taedae lucent: purpureus torus sternitur: h. e. vestis purpurea in citrino lecto. Nam *Libys*, Libycus, *lectus*, ut *Libyeum pecten* sup. 179. eburneum vel lotinum vel citreum. Ante oculos autem habuit poëta Catull. LXIII, 43; 48, 49.

442. Comparat Scaliger Catull. Epithal. Thetid. 153 *neque iniecta tumulabor mortua terra*: et cum sqq. vss. ibidem versus 158 sqq. Scilicet cum se etiam tumulo privari dixisset, addit Scylla debuisse saltem tamquam captivam in Cretam abduci et in servitio coniugis Minois haberi. Mene non licuit famularum munere fungi? et fusos penso gravidos coniugis tuae devolvere? Imago servitutis poëtis frequentata: et Catullo eodem loco in Ariadnes querelis 160 sqq. cf. Mitsch. Lectiones in Catull. pag. 107.

455. Sit satis me unam omnium puellarum tantam miseriam experiri, h. nunquam aliam esse expertam maiora mala. 458. Non vulgarem magni ac generosi amoris sensum redhibet hic versus: Iniuriae culpam,

Vel fato fuerit nobis haec debita pestis,
Vel casu incepto, merita vel denique culpa.
Omnia nam potius, quam te laesisse, putabo.
Labitur interea revoluta ab littore classis,
Magna repentino sinuantur lintea Coro, 460
Flectitur in viridi remus sale, languida fessae
Virginis in cursu moritur querimonia longo.
Deserit angustis inclusum faucibus Isthmon,
Cypselidae magni florentia regna Corinthi;
Praeterit abruptas Scironis protinus arcis, 465
Infestumque suis dirae testudinis exit
Spelaeum, multoque cruentas hospite cautes.
Iamque adeo tutum longe Piraeea cernit,
Et notas secum, heu frustra, respectat Athenas.
Iam procul e fluctu Minoia respicit arva, 470
Florentisque videt iam Cycladas, hinc Strophadasque;
Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea,

etsi tam indigne ab amanta habita, tamen deprecatur et ab eo in quodvis aliud transfert: putabo omnia potius laesisse me, causam, cur infelix sim, fuisse, quam te laesisse me, h. tua fraude ac scelere hoc factum. Aliter Ariadne Catulli LXIII, 188 sqq., quae diras Theseo imprecatur. Mox v. 462 elegans descriptio vocis deficientis cum viribus.

463. Navigationis narratio laude sua non caret. Ex sinu Megarico inter ἄκρας, Minoam et Nisaeam, in altum evectus a dextra Isthmum et Corinthum, quam unum ex Cypseli stirpe tenebat, at propiore loco Scironides petras habet, subter quibus specus est, quam testudo inhabitabat, devorans hospites a Sirona in mare proiectos; est ea Testudo *infesta suis*, Megarensibus; nam Scylla loquitur. Vlterius provectus Athenas praeterit, tum, sinu Saronico relicto cursum tenet in medio Cycladum versus Cretam. Similes navigationes locorumque enumerationes sunt inprimis in Ovidii Metamorph. et Statii Achill. II pr. 469 *secum respectat*, h. respiciendo apud animum suum cogitat. Barthius iam comparavit ex Georg. I, 389 de cornice: *et sola in sicca secum spatiatur arena*; et ex Claudiano Epith. Pall. 47, *quid medio tecum modularis in aestu?* Scaliger *notas secum* per archaismum dictum volebat pro *sibi*. Elegans autem τὸ *respectat*, ut et alibi *respicere, aspectare*, ut Georg. III, 228. De reliquis vid. Var. Lect. 474. *Florentes Cycladas*, propter silvas longe conspicuas navigantibus. Sic Ovidius inter Cycladas *florentem Cythnon* Met. VII, 464, et noster poëta paullo post *viridem Donusam* dixit; quod etiam Aen. III, 125 me-

Linquitur ante alias longe gratissima Delos
Nereidum matri et Neptuno Aegaeo.
Prospicit incinctam spumanti litore Cythnon, 475
Marmoreamque Paron, viridemque adlapsa Donusam,
Aeginamque simul, sementiferamque Seriphum.
Fertur, et incertis iactatur ad omnia ventis:
Cymba velut, magnas sequitur cum parvula classis,
Afer et hiberno bacchatur in aequore turbo. 480
Donec tale decus formae vexavit, et aegros
Non tulit, et miseros mutavit virginis artus,
Caeruleo pollens coniunx Neptunia regno.
Sed tamen externam squamis vestire puellam;
Infidosque inter teneram committere piscis 485

moraverat, etsi ibi Serv. ad marmor viride respici alt. 476. *Marmoream Paron*, a marmorum fodinis, etiam Ovidius dixit Met. VII, 465, loco, quo eum ante oculos habuisse h. l. suspicor. *viridem Donusam*, iam Aen. III, 125 vidimus. Interea laboris huius taedium levare liceat alia observatione. In loco Aen. III, 125 Aeneas a Delo evectus iter faciens per Cycladas relinquit Naxum, Donusam, Olearon etc. Hoc loco prospicit Scylla Cythnum, Paron, Donusam. Situs adeo huius insulae ex his ipsis aliqua ratione aestimari potest; quandoquidem accuratio ratio non suppetit. Corruptelam itaque in Stephano Byz. in Δονουσία (quam antiquam satis esse Eustathii alter Ille locus ad Perieg. 530 declarat) etiam haec arguunt: Δονουσία, νῆσος μικρὰ Ῥόδου. Enimvero nimis longe ab ea abesse debuit, si Maro non turpiter errasse dicendus est. Sin Rhodiis eam paruisse dicere volebat, νῆσος τῶν Ῥοδίων dicturus fuisset; et quorsum hoc potissimum notandum veniebat in hac insula? Immo νῆσος μικρὰ Σποράδων, vel, ut alias amat Stephanus (v. c. in Γύαρος), νῆσος, μία τῶν Σποράδων. Quod ibid. subiicitur, in eam insulam a Baccho ex Naxo Ariadnen traductam, viciniam non minus arguit. Plinius IV, a. 23 Donusam inter Telon et Pathmon memoral, etsi ibi *acervatim ponere* se Sporadas ait. A Cellario alieno loco, infra Icariam, collocata est Donusa.

479, 480 Comparatur alligata navi Scylla cum minore navigio navi alligato. Vt sit: velut cymba parvula, cum sequitur magnas classes, et cum turbo Afer bacchatur in aequore; h. dum interea Africus procellas movet. Eandem comparationem Statius I Silv. 4, 120 sqq. adhibuit, ut iam alii notarunt. Paullo ante v. 474 *ad omnia* debet esse ad omnem motum, impulsum, venti.

484, 485, 486. Noluit mutare in piscem, nam ita a belluis et pristibus devorata fuisset, qui minoribus piscibus insidiantur. *externam puellam*, in externa corporis superficie

Non statuit : Nimium est avidum pecus Amphitrites.
Aereis potius sublimem sustulit alis,
Esset ut in terris facti de nomine Ciris,
Ciris Amyclaeo formosior ansere Ledae.
Ac velut in niveo tenerae cum primitus ovo 490
Effigies animantis et internodia membris
Inperfecta novo fluitant concreta calore :
Sic liquido Scyllae circumfusum aequore corpus
Semiferi incertis etiam nunc partibus artus
Vndique mutabant, atque undique mutabantur. 495
Oris honos primum, et multis optata labella,
Et patulae frontis species, concrescere in unum
Coepere, et gracili mentum producere rostro.
Tum, qua se medium capitis discrimen agebat,
Ecce repente, velut patrios imitatus honores, 500
Purpuream concussit apex in vertice cristam.
At mollis varios intexens pluma colores
Marmoreum volucri vestivit tegmine corpus,
Lentaque perpetuas fuderunt brachia pennas.
Inde alias partis, minioque infecta rubenti 505
Crura, nova macies obduxit squalida pelli,

teneram committere inter pisces : pro piscibus, seu relinquere inter belluas marinas; insolenter dictum; sc. metuens, ne ab iis devorarentur. *pecus Amphitrites* : antiqua poëtarum formula. Notum est Naevii, quod et Taubmann. laudat, *Lascivum Nerei fimum pecus*. add. Lucret. II, 342, 343, et inprimis notum illud Horatii : *Omne cum Proteus pecus egit altos Visere montes*. Mox 488 *in terris*, inter homines appellatur Ciris ἀπὸ τοῦ κείρειν, detonsa patris coma.

490 sqq. Totus locus de metamorphosi hac, et inprimis comparatio inchoatae mutationis Scyllae in alitem cum vitello ovi in pullum abeuntis, ex elegantissimis est, et miror, eam Nasoni, ingeniosissimo homini, non in mentem venisse. 491, 492. *internodia fluitant membris* pro vulgari internodia membrorum fluitant. 493. *liquido circumfusum aequore corpus* : nescio an arguter : sed malim non tam exemtum vinculis et mari natans quam potius, ut pullus in ovo liquore ambitur, sic humore seu nebula inclusum corpus, dum mutabatur, significari.

500. Est adeo Ciris avis cum crista purpurea, ad imitationem cincinni seu capilli purpurei patrii, quem

Et pedibus teneris ungues confixit acutos.
Et tamen hoc demum miserae succurrere pacto
Vix fuerat placida Neptuni coniuge dignum.
Nunquam illam posthac oculi videre suorum 510
Purpureas flavo retinentem vertice vittas;
Non thalamus Tyrio fragrans adcepit amomo,
Nullae illam sedes. Quid iam cum sedibus illi?
Quae simul ut sese cano de gurgite velox
Cum sonitu ad coelum stridentibus extulit alis, 515
Et multum late dispersit in aequore rorem;
Infelix virgo nequidquam a morte recepta
Incultum solis in rupibus exigit aevum,
Rupibus, et scopulis, et litoribus desertis.
Nec tamen hoc iterum poena sine: namque deum
Omnia qui imperio terrarum millia versat, (rex,
Conmotus talem ad superos volitare puellam,
Cum pater extinctus caeca sub nocte lateret,
Illi pro pietate sua (nam saepe tepenti
Sanguine taurorum supplex resperserat aras: 525
Saepe deum largo decorarat munere sedes)
Reddidit optatam mutato corpore vitam,
Fecit et in terris Haliaeetus ales ut esset.
Quippe aquilis semper gaudet deus ille coruscus.
Huic vero miserae, quoniam damnata deorum 530

Scylla resciderat. *volucre tegmen* est plumeum, et *perpetuae pennae*, quae totas alas, olim brachia, obducunt; et 507 *confixit ungues*, commisit, continua cute.

514 sqq. Elegans locus et sensibus rem subiicienis graphice, *Et multum late dispersit in aequore rorem*, ut solent aves madefactas alas concutere. *nequicquam recepta*, servata, a *morte*. Praestat, puto, hoc, quam ut mortem receperit, subierit; id quod factum non est; mutatur enim in avem. *aevum incultum*; vitam asperam et horridam.

520. Nunc Iupiter, indignatus, filia scelarata in avem mutata, parentem interea miserum apud inferos degere, revocavit eum in vitam et pariter avem fecit; sed Ciri infestam, tamquam ad poenam a filia exigendam.

530, 1, 2, quoniam damnata fuerat ob crimen *iudicio deorum* et ipsius

Iudicio gnatique et coniugis ante fuisset,
Infesti adposuitque odium crudele parentis.
Namque, ut in aetherio signorum munere praestans,
Vnum quem duplici stellarum sidere vidi,
Scorpius alternis clarum fugat Oriona: 535
Sic inter sese tristis Haliaeetus iras,
Et Ciris, memori servant ad saecula fato.
Quacumque illa levem fugiens secat aethera pennis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus: qua se fert Nisus ad auras, 540
Illa levem fugiens raptim secat aethera pennis.

Minois, gnati, h. e. nati deorum, et quidem *Iovis*, et *coniugis*, pro amato a Scylla, ad poenam ab ea expetendam additus est pater infestus haliaeetus factus.

533 sqq. Arguta etiam haec est comparatio. Mutuo se persequuntur fugiuntque ciris et haliaeetus aves, quemadmodum duo sidera Scorpius et Orion ortu et occasu se fugere se quique videntur. Quoties enim Orion occidit, altera ex parte Scorpius exoritur, ut ex sphaerae tractatione discere quisque potest. Idque etiam Aratus docet vss. 304, 306, 309 Versa res a priscis hominibus in fabulam, ut Orioni Scorpium immissum narrarent. cf. Hygin. Astron. II, 26: *Itaque constitutum, ut, cum Scorpius oriatur, Orion occidat*, et lib. III, 33: *hunc* (Orionem) *spectantem ad occasum et occidentem exorta Scorpionis posteriori parte*. Paullo diversa ratione ductum vidimus poëticum phantasma ab situ et ea specie, quam in sphaera celesti duo sidera oculis obiiciunt: quo modo Pleias Piscem fugere dicta Georg. IV, 237, quod mihi illo loco molestiam facere non debebat: est enim res satis frequens. Iterum alio modo de Vrsa Aratus effinxit illud: Ἡ τ' αὐτοῦ στρέφεται καὶ ῥ' Ὠρίωνα δοκεύει: nam eadem tantum linea ex adverso moventur et Vrsa et Orion.

P. VIRGILII MARONIS

CATALECTA

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIVM

IN CATALECTA

Maronem *Catalecta*, h. e. in numerum relata, conscripta, collecta carmina, κατάλεκτα ἔπη, vel *Catalecton*, scil. libellum, scripsisse, pervulgata res est, eaque credita non modo librariorum fide, qui Virgilii nomini plura adscripsere temere, quoniam ad calcem codicum Virgilii poëmatia modo haec modo illa, prout spatium, quod vacabat, caperet, appicta videbant; verum et Grammaticorum auctoritate, Pseudodonati in Vita Virgilii §. 28, et Pseudoservii ad Aen. I pr. Nam, neutrum locum ab antiquo aliquo Grammatico profectum esse, multa manifeste produnt; et, quam levis hominum fides sit, etiam hoc arguit, quod alia poëmatia Virgilio tribuunt, quae eius non esse liquido constat. Nam priore loco: *Poëticam puer auspicatus, in Balistam — Deinde Catalecton et Moretum, et Priapeia, et Epigrammata et Diras et Culicem, cum esset annorum quindecim.* Altero autem: *Scripsit autem septem sive octo libros hos: Cirinam, Aetnam, Culicem, Priapeia, Catalecton, Epigrammata, Copam, Diras.* Est tamen antiquior, eaque gravior, auctoritas Ausonii in Technopaegnio: *Dic quid significent catalecta Maronis?* Ergo iam saeculo IV tales Catalecton libelli extitere (vid. supra Prooem. in Culicem); *Epigramma Virgilii* (quod inf. Epigr. II est) memoratum iam est Quinctiliano Instit. Or. VIII, 3, 27, 28. Etsi ergo nomen serius accessit, antiqua tamen fama nonnulla saltem carmina brevia habita fuisse Virgiliana credere licet. An vero ex his, quae hic Virgilio tribui solent, carmen ullum sit vere ab Virgilio profectum, valde dubito: pignore tantum non contendere paratus, saltem iambos a liberali ingenio et indole honesta, quae in Marone fuit, proficisci haud potuisse: v. inf. ad Carmen VIII. Odio omnium ingenuorum et bonorum dignus est poëta, qui ad famam aliorum virulentis dictis laniandam sese componit. Non Musarum aut Phoebi, sed Erinnyum, afflatu talia carmina scribuntur.

In libris scriptis et prelo expressis antiquioribus subiiciuntur ea plerumque Priapais, (1) ideoque in aliis, in quibus post Cirin aut alio loco collocantur, adhaesere in fronte nonnulla ex Priapeis. Porro omnia haec poëmatia in iisdem vetustioribus continua scriptura, tamquam unicum carmen exarantur, et quidem foedis vitiis contaminatissima.

Cum Carmina haec suis iam locis Anthologiae Latinae Burmanni Secundi inserta essent, nolui actum agere et variam lectionem, seu potius corruptelas adscribere. Itaque ea tantum commemoravi, quae a viro doctissimo plerumque posthabita videbam, ut sententiam versuum accuratiore interpretatione constituerem: etsi hoc maiorem plerumque difficultatem habet, quam ex librariorum stuporibus ariolando aliquid exsculpere, quod non prorsus absurdum sit. Atque haec una res tolerabilem mihi operam reddere potuit, quam in hac operis parte posui; nam in his probris virulentis, criminibus, maledictis, quidnam sit, quod bonam mentem ingenui hominis delectare possit, equidem haud video; videant illi, quibus natura hoc dedit, ut ex aliorum probris ipsi crescere sibi videantur.

(1) De edd. v. Harles. Notit. script. Lat. To. II, pag. 276 sq. conf. sup. Prooem. in Culicem.

P. VIRGILII MARONIS

CATALECTA

I. Ad Tuccam

Delia, Tucca, tibi venit; sed saepe videre
Non licet: occulitur limine clausa viri.
Delia saepe tibi, non venit adhuc mihi: namque
Si occulitur, longe est, tangere quod nequeas.

1. *Delia, Tucca, tibi venit.* Extat Authol. Lat. lib. III, 250, editum iam ante in vet. Poët. Catalect. pag. 153 (ad calc. Petron. ed. Patisson.) et a Scaligero. Nec alia fides vel auctoritas est, qua Virgilio tribuitur. — *Delia* ex Scaligeri emendatione receptum est, cum legatur *de qua*, *T.* Idem Scaliger Epigramma hoc falsissimum et argutissimum appellat, et interpretationem subiicit, in qua tamen argutias illas vix expisceris; ut nec omnino inter meliorum censum carmen referam. Fugit nos causa et occasio; quam equidem suspicor fuisse hanc: Est servus aliquis vel libertus aut alius puellae perductor, qui eam venire nuntiat. Illa tamen, surgit quidem et exire domo tentat, sed clausae a marito fores exire vetant. Apud Tibull. I, 9, 43: *Saepe insperanti venit tibi munere nostro* (puella tua) *Et latuit clausas post adoperta fores;* ubi tamen latet puella pone fores per lusum. Nil igitur iuvat amatorem, quod sibi dictum accipit, illam venire. Suspicatur tamen illum ipsum hominem, forte ex conlibertis puellae, interea illius amore potitum: I, ergo, subiicit, et nuntia marito, eam rediisse. Ita excidisse videtur acumen in extremo versu: *cui rediit.* » *Delia, Tucca, tibi venit.* » (sunt perductoris verba: cui respondet Tucca): *sed saepe videre Non licet* (forte fuit: *Delia nocte tibi veniet; sed, Tucca, videre Non licet*); *occulitur limine clausa viri. Delia saepe tibi* (venit; nuntias saepe eam venisse; a te nuntiatur venisse), *non venit adhuc mihi* (nondum eam teneo amplexu); *namque Si occulitur: longe est, tangere quod nequeas. Venerit illa tibi.* (Fac nuntiari a te, eam venisse). *Sed iam mihi nuntius iste Quid prodest? illi dicito, cui rediit:* h. ei, cui eius reditus iucunditatem attulit; ei, qui eam tenuit. — In *saepe* corruptela latet, forta nominis, aut compellatio, forte repetitio vocis *Tucca: sed, Tucca, videre non licet.* Mox *Venerit* at emendabat Burmannus Sec., praestat: *venerit illa tibi;* quod paullo ante posui. In fine *illi*,

Venerit aut tibi; sed iam iam mihi nuntius iste 5
Quid prodest? illi dicito, quae rediit.

II. In C. Annivm Cimbrvm Rhetorem

Corinthiorum amator iste verborum,
Iste iste rhetor! Namque quatenus totus
Thucydides tyrannus Atticae febris,
Tau Gallicum spinae ipsemet male illisit,
Ista omnia, ista verba miscuit fratri. 5

cui rediit, ad quem rediit, dicito eam venisse ei, in cuius amplexus illa venit. In Cephalae Anthologia Misc. Lips. Vol. IX, pag. 476 epigramma est similis coloris: Αὔριον ἀθρήσω σε· τὸ δ' οὔποτε γίνεται ἡμῖν. — Ὀψομαι ἑσπερίη σε (ut pro ἑσπερίην emendatum est a Toupio Cur. noviss. in Suid. p. 12). Legitur illud nunc in Analectis To. III, p. 111. Iacobs To. III, p. 81. Similis color passim est in aliis poematibus, ut Anal. III, p. 158 Incert. XXXV. conf. To. II. Stratonis XLIII, p. 369. Nil tamen inde profeci ad carmen nostrum melius expediendum.

II. Celebre inter eruditos viros epigramma, a Quinctiliano servatum Inst. Or. VIII, 3, 28, qui expresse Virgilii esse ait; et inter *Maronis catalecta* illud refert Ausonius in Monosyllab. (Idyll. XII Techno paegnion: Grammaticomastix v. 5-7). Lepor, qui el inest, magna ex parte ad nostros sensus periit; nec sine longa disputatione accurata crisis aut interpretatio institui potest. Fecit otium nobis hac in re Burmannus Sec., qui hoc carmen Anthol. Lat. Tom. I, lib. II, 242 exhibuit commentariis et suis et aliorum instructum: super aliis ad interpretes Quinctiliani et Ausonii, tum ad Sam. Petit. Miscell. III, 9 remittit. Vt paucis defungamur: Scriptum est epigramma in C. Annium Cimbrum Rhetorem, qui fratrem veneno austulerat: idem malus Rhetor, qui aut, quod in Gallia natus et in Britannia forte artem professus erat, verba barbaro more et soloeco pronuntiabat, aut insolentia et barbara verba tamquam glossas affectabat (Quinctilianus tamen de vetustorum verborum affectatione agit eo loco, quo versus hos commemorat: ut omnis adhuc huius carminis interpretatio parum tuta mihi esse videatur). Dicit igitur poëta, his ipsis vel barbare pronuntiatis vel exoticis et barbaris verbis eum, tamquam veneno, fratrem necasse. De lectione, admodum in multis incerta, videndi sunt idem viri docti: addam Io. Schraderi coni. *Evandriorum* pro *Corinthiorum*. Vt tamen aliquid apponam, quod lectorem in sententia assequenda iuvare possit, haec addam. *Corinthia verba* (nam haec tenenda cum Burmanno statuo, donec verum repertum fuerit: natae sunt forte corruptelae ex vitiosa scriptura *Chorynthiorum*),

III. In Noctvinvm

Socer, beate nec tibi nec alteri,
Generque Noctuine, putidum caput,
Tuone nunc puella talis, heu tuo
Stupore; praessa rus abibit? Hei mihi!
Vt ille versus usquequaque pertinet: 5
Gener socerque, perdidistis omnia.

sunt mollia, fracta, calamistrata: a luxu Corinthiorum; at h. l. cum respectu venenorum Medeae. Alioqui vix multum inesset salis. *Thucydides tyrannus Atticae febris* esset, qui dominatur in frigore illo Atticismi affectati. Sed melior lectio: *Thucydides Britannus*. Versus quartus qui, ut legitur, palo transfixum, quod supplicii genus, declarat, debet nomina exhibere vel barbara vel affecta te aut barbare enuntiata. Amplectenda itaque hactenus aut Scaligeri lectio: *Taur Gallicum*, *min ipsum et al*, *ei illisit*: in eodem mortario venena illa satis nota: tauruum sanguinem, minum et allium, trivit, ut fratri misceret; ridicule igitur decurtabat ille, quoties declamabat, verba, *taur*, pro tauro, *min* pro minio, *al* pro allio; aut Petiti emendatio, qui Graeca substituit: *Tau Gallicum* (h. Gallorum ille pessimus), *μιν*, *ἰψὸν et ἅλ' ei intrivit*: ut haec e glossis obscuris petita sint vocabula, quae ille pro stellulis suis declamationibus graece habitis inserere solebat. Est autem *ἰψός* ex Thuriorum glossa, *κισσός*, hedera, *ἅλ* pro *ἅλς*, Cypriis pro vino dicta: *μιν* pro *αὐτόν* (hoc omnium minime probabiliter), ut adeo vino hedera nigra misto inebriatum sustulerit fratrem Cimber. Sed, ut paullo ante diximus, antiquata verba latere arbitramur, eiusmodi forte, quae propius ad sonum medicaminum accedebant.

III. Vid. Anthol. Lat. T. I, l. II Ep. 244. Quo iure hi et sequentes Iambi Virgilio tribuantur, non dicam; nisi forte pro firmamento hoc est, quod Marius Victorinus Virgilium in quodam epigrammate Iambico ter *Thalassio* repetisse narrat: id autem factum extr. carm. versu. Tribuuntur ei in antiquis catalectorum editionibus. Catullo tamen Pruterius, Calvo, idque magis sagaciter, Vossius tribuit. vid. Burmann. l. c. Ceterum fugit nos etiam huius epigrammatis causa et occasio, adeoque etiam eius lepos et acumen. Nisi forte hoc fuit: Noctuinus ducit Atilii filiam, hominis vinolenti, qui bona sua omnia consumserat, quemque gener secum habiturus erat: cum exitio adeo et suo et novae nuptae. Certe in Noctuinum et ipsum, putidum caput, odiosum hominem, videtur aliquid inclementius dicere velle.

4. *pressa*; oppressa, coacta, *rus abibit*, in rus abducetur, forte quod maritus soceri vinolentia aere alieno obrutus in urbe durare nequit.

5. *ille versus*; ex noto epigr. Catulli XXVII in Caesarem, sed alio sensu: nunc uterque bona sua abligurisse dicuntur.

IV. In Eundem

Superbe Noctuine, putidum caput,
Datur tibi puella, quam petis, datur;
Datur, superbe Noctuine, quam petis.
Sed, o superbe Noctuine, ne vides
Duas habere filias Atilium, 5
Duas, et hanc et alteram, tibi dari.
Adeste nunc, adeste, ducit, ut decet,
Superbus, ecce, Noctuinus herneam.
Thalassio! Thalassio! Thalassio!

V. In Lvcivm

Iacere me, quod alta non possim, putas,
Vt ante, vectari freta;
Nec ferre durum frigus, aut aestum pati,
Neque arma victoris sequi.
Valent, valent mihi ira et antiquus furor,
Et lingua, qua adsim tibi.

IV. Coniungit hoc cum antecedente Fruterius; vix bene. Collocandum quoque existimo ante superius carmen.

5. Lusus videtur in hoc latere; quod *hernea*, vel *hirnea*, quae vasis potorii genus est, pro ipso patre vinolento ponitur, et genero pro altero coniuge et filia Atilii assignatur. Nam, ne ipsam coniugem bibacem fuisse credamus, vetat superius epigramma. *Herniam* autem legere ac herniosum socerum intelligere si velis, acumen frustra quaeras.

V. Catullo potius quam Virgilio dignum carmen, Archilochi metro et felle exaratum, et genuinum licentiae Iambicae exemplum, in Lucium quendam cinaedum, qui eum opprobrio lacessiverat, quod attenuato per Venerem et libidinem corpore fractisque viribus militare amplius non posset (hoc enim est, *iacere*) poëta. Hoc amolitur à se poëta, recriminando pueritiae impudicitiam, moxque abligurito patrimonio egestatem ac sordes. Extat in Anthol. Lat. Lib. II Epigr. 246, ad quam lectores remittimus, qui lautiores dapes desiderant: nos in coena admodum nauseosa, apponemus tantum, quod satis sit, ne *fame genuini crepent*; nam ingenuae menti talia se probare nequeunt.

2. *vectari freta*; ut ire, currere mare, pro per mare.

6. *qua adsim tibi*. Versui fulcrum deest. Optime Oudendorpius: *qua*

Et prostitutae turpe contubernium
  Sororis. O quid me incitas?
Quid, impudice, et improbande Caesari?
  Sed furta dicantur tua, 10
Et heluato sera patrimonio
  In fratre parsimonia;
Vel acta puero cum viris convivia,
  Vdaeque per somnum nates;
Et inscio repente clamatum super, 15
  Thalassio, Thalassio.
Quid palluisti, femina? an ioci dolent?
  An facta cognoscis tua?
Non me vocabis pulcra per Cotyttia
  Ad feriatos fascinos: 20
Nec dein movere lumbos in crocotulam
  Prensis videbo altaribus,
Flavum prope Thybrim et olentis nauticum
  Vocare: ubi adpulsae rates

iam adsim tibi. Adesse, cum noliope infesti et hostilis animi; ut alias *addi*, *apponi*. conf. ad Cirin 532.

7. Novam versus ordiitur sententiam: experitur scilicet nunc poëta, quid furor al lingua maledica valeat. Itaque *Ei* cum Scriverio, vel *Hei*, legendum.

10. *Si* legendum cum eodem. *Quid? si furta dicentur tua?*

15. Impurus homo muliebria passus tamquam pro nupta habitus, ei sollenne illud acclamaretur. Hinc idem mox appellatus *femina*.

19. Noles me pergere et exprobrare foeda adolescentiae flagitia. Hoc extulit: *non me vocabis — nec videbo te movere* — et *vocare*. *neque* (27) *duces* me *in culinam*. in quibus propudium illud olim versatum erat. In sacris Cotyttiis (erant ea ex initiis a Thracibus acceptis. vid. Strabo X, p. 721 B., qui classicus locus) Veneri ab impudicis hominibus habitis pompa fascinos gestatos esse, probabile fit: ergo *feriatus* pro festus, dictum videtur.

21, 22. Scaliger praeclare emendavit: *alaribus*, ut πτερύγια sint alae vestis crocotae, quas ille muliebriter vestitus et muliebriter saltans, adducit, ne saltantem impediant. *in crocotula* porro lenior est medicina, quam ea, quam Scaliger adhibet toto versu transposito: *Movere lumbos nec dein, crocotulae Prensis videbo alaribus?*

24. Legendum cum Oudendorpio, Burmanno quoque suadente, *Flavum prope et Thybrim te olentes nauticum*

Stant in vadis coeno retentae sordido, 25
Macraque luctantes aqua.
Neque in culinam, et uncta compitalia,
Dapesque duces sordidas:
Quibus repletus ut salivosis aquis,
Obesam ad uxorem redis, 30
Et aestuantes docte solvis pantices,
Os usque lambis saviis.
Nunc laede, nunc lacesse, si quidquam vales!
Et nomen adscribo tuum.
Cinaede Luci, an te reliquerunt opes? 35
Fameque genuini crepant?
Videbo habentem praeter ignavos nihil
Fratres et iratum Iovem,

vocare? ut *olentes nauticum* sint nautae, quos impurissimus homo praestolatur, ubi appulerint, ut eorum libidini serviat (*probe* est vitium edit. Scalig. pro *prope*).

27. Exprobrat famam et egestatem, qua coactus adit *culinas*, h. loca in suburbiis, in quibus inopum funera et epulae funebres habebantur: tum *compita*, in quibus Laribus Compitalibus et quidem ipso Compitalium die necesse est apponi solitas fuisse epulas, quas pauperes mox auferre solebant. Rem tamen aliunde declaratam nondum vidi. Factum itaque idem quod in coena Hecates. v. 28 *duces* dedit Burmann. pro *ducis*. nec duces me in culinas? h. e. non ego videbo te adeuntem.

29. *Salivosum* Scaliger ait esse quicquid gustum reficit: Recte, sed quid porro *salivatis aquis* facimus? Nisi corruptela in *aquis* latet, ut forte: *ut salivosis apris*, salivam moventibus, scriptum fuerit: accipias *aquam salivosam* de ipsa saliva. Repletus iis epulis ut (quomodo!) redis saliva etiamnum ex recordatione affluente! Verum totum locum parum expedio, nec expedire refert.

31. *pantices* de fartis seu farciminibus accipiunt Scaliger et hinc alii; nec male, cum *aestuantes* appellentur: ut farciminia distenta rumpi videantur. Proprie pantices sunt intestina, quibus ad edulia farta uti solent. Sed quid: *docte solvis?* Toup. ad Suid in σιρνιάζειν Tom. III, p. 134. Opp. Vol. II, p. 168. ad obscenitatem refert nescio quam; nec intelligo quid tunc sit, *solvis pantices?* an de *obesa uxore?*

32. Legendum haud dubie, cum Burmanno secundum Colvium ad Apulei. *Olusque lambis suaviis*, h. labiis.

35. Pro *an* fuisse suspicor *en*, et sine interrogatione lego.

37. Videbo te habere nihil praeter fratres ignavos — et patruum. — 39.

Scissumque ventrem, et herniosi patrui
Pedes inedia turgidos. 40

VI. Ad Venerem

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus
O Paphon, o sedes quae colis Idalias,
Troius Aeneas Romana per oppida digno
Iam tandem ut tecum carmine vectus eat:
Non ego ture modo, aut picta tua templa tabella 5
Ornabo, et puris serta feram manibus:
Corniger hos aries humilis, et maxima taurus
Victima sacratos tinguet honore focos:
Marmoreusque tibi, dea, versicoloribus alis,
In morem picta stabit Amor pharetra. 10
Adsis, o Cytherea! tuus te Caesar Olympo,
Et Surrentini litoris ora, vocat.

scissum ventrem, podicem, *ἐπ' αἰσχρῷ* de eunuchis. — 40. γουνοπαχὴς Hesiodi Scut. 265, 266. Conf. Ovid. Met. VIII, 807, 808, pedibus ex atrophia tumentibus.

VI. Dulcissimum poëmation: quod iam pro titulo exhibuimus in Tom. I, ad calcem Carminum in Virgilium. Est votum pro suscepto Aeneidis opere Veneri nuncupatum, seu, ut Scaliger ex coniectura ponit, suspensum pro templo Veneris Surrentinae. Extat in Anthol. Lat. lib. I ep. 63 cum copiosa virorum doctorum illustratione: quam adeat qui volet.

1. Si mihi contigerit Aeneidem absolvere: non modo ture et tabula votiva et sertis pietatem testatam faciam, verum sacro solleni facto et statua Cupidinis posita. — 2, 4. Splendida rei species: inveeta Venus cum Aenea, tamquam dea curru, per Italiam tamquam triumpho, ob Aeneidem absolutam.

5. *pacta* ediderat Heins. loco cit., quoniam *picta* redit v. 10.

7. *hos humiles focos* iungendum, et cum Heinsio legendum *sacrato*. Nisi cum Burmanno emendare placet: *Corniger haud aries humilis, sed maxima taurus Victima:* quae praefero.

9, 10. Habemus igitur et hic marmoreum signum coloribus additis, non tam in *alis versicoloribus*, quae poëtice forte eo epitheto ornari poterant, sed in *picta pharetra*. Noli itaque mirari Dianam marmoream cothurnis puniceis Eclog. VII, 30, 31, nec aegre ferre, me de Maronis indicio et gustu sculpturae ac picturae dubitasse ad lib. VIII Aen.

11, 12. *tuus te Caesar Olympo — vocat:* non, puto, Iulius Caesar, Divus: ut is caelo receptus Veneri

VII. RELICTIS ALIIS STVDIIS PHILOSOPHIAM EPICVREAM AMPLECTITVR

Ite hinc, inanes rhetorum manipli,
Inflata rore non Achaico turba,
Et vos, Sile, Albuti, Arquitique, Varroque,
Scholasticorum natio madens pingui;

supplicet: sanctorum more, qui in caelo degunt. Sed Caesar Augustus ipse invocat Venerem in Olympo degentem. Quatenus autem *Surrentini littoris ora* pro Aeneide vota faciat, illustratum a viris doctis videre vellem. Villam Virgilium non longe a Nola in agro Campano habuisse, alio loco (in Donati Vita Virgilii s. 24) vidimus; littus igitur illud ad Craterem seu Sinum Campanum per promontorium Surrentinum, ad quod ea ora protenditur, declaravit. Potuit quoque in littore Surrentino Veneris fanum esse; et habebat forte in eadem ora praedium is, qui carmen hoc scripsit; facit enim ultimum hoc distichum, cum Caesar ipse et ora Campaniae pro Aeneide feliciter absolvenda vota facere dicuntur, ut potius *ab amico aliquo Maronis*, quam ab ipso poëta, profectum illud iudicem.

VII. Saepius editi et hi Scazontes extant in Anthol. Lat. Tom. I, lib. II, ep. 243, ubi vid. Burm. Comparandum est ex parte initium Ciris.

1. Curtior in fine versus est syllaba, et iam suppletus a viris doctis, — *manipli*, *ite:* vel *ite hinc*.

2. *Ros Achaicus*, ut *Ceeropius ros*, de eloquentia; seu rorem, quo cicadae pascuntur, seu, quod malim, mel Atticum respici dixeris. *Achaicus* omnino pro Graeco, et Graecanica eloquentia. *turba* in fine dudum emendatum pro *verba* a viris doctis et recte receptum est a Burmanno; turba rhetorum *inflata rore*, nequiter, ut alias, repleta, satiata, turgens, ubi de cibo vel potu agitur; turba rhetorum falso eloquentiam Atticam lactantium.

3. Versus varie tentatus. vid. Burmann. l. c. Vossiana emendatio: *Et vos, Aelique Tarquitique Varroque*, scriptura revocata ad nota nomina se commendans, metro repugnat in *Aeli*, ut bene monuit Io. Schrader. praef. Emendat. pag. XXXIV. Si de priore syllaba in *Stilo* constaret, haberet hoc locum. Nec vero hi quoque versus de rhetoribus accipi possunt: quis enim Varronem inter rhetores relatum audivit? nec Scholastici h. l. declamatores esse possunt: sed Grammaticos memorare nunc videtur, homines in sermonis ratione et antiquitate illustranda occupatos. Ex eo genere Varro fuit, eiusque praeceptor L. Aelius Stilo (v. Gell. I, 18. XVI, 8), Varro autem senex Virgilii iuventam attigit: mortuus enim est V. C. 726, Virgilius a. XLIII agebat. L. Tarquitius libro de disciplina Etrusca et Ostentario clarui. Videtur idem verba eius disciplinae explicuisse aut alias Grammaticae partes attigisse.

4. Si Virgilii esset hoc vero poe-

Ite hinc, inanis cymbalon iuventutis;
Tuque, o mearum cura, Sexte, curarum,
Vale, Sabine; iam valete formosi.
Nos ad beatos vela mittimus portus,
Magni petentes docta dicta Syronis,
Vitamque ab omni vindicabimus cura.
Ite hinc, Camenae; vos quoque limite saevae,
Dulces Camenae; nam fatebimur verum,
Dulces fuistis. Et tamen meas chartas
Revisitote; sed pudenter, et raro.

mation, antiquissima forte esset vocis, *Scholasticorum*, auctoritas. *madens pingui*. Dictum τὸ *pingue*, pro adipe, omento, adeoque de stupore ingenii. *madere* autem pro obductum esse, adeoque, perfusum, imbutum. Vt sit: et vos o grammatici acumen falso iactantes.

5. Notum est nomen Apioni Grammatico a Tiberio Caesare inditum, cum eum *cymbalum mundi* appellaret, quod ad iuvenum aures loquaciter et inaniter streperet. Itaque *inanis iuventutis* vix bene legitur; sed aut *inane cymbalon*, aut cum Burmanno, *Ite hinc*, *inanes*, corrigendum. Ait igitur omnino, se rhetores et grammaticos valere iubere.

6. Heinsius castigavit feliciter: *Tuque, o mearum cura, Sexte, Musarum*. Io. Schrader. *chartarum*. Quis hic Sext. Sabinus fuerit, nunc ignoratur.

7. *formosi*. Si verum esset, in puerorum amorem proniorem fuisse Maronem, lectio non abhorrens foret Burmann. conj. *famosi*, *fumosi*.

8. *Nos ad beatos vela mittimus portus*. Non ut Athenas naviget: sed ut ad philosophiam se conferre dicat, quae sapienti pro portu est et securitatem tranquillitatemque affert. Audivit autem Maro Syronem Romae. v. Phocae carmen v. 63 inter Carmina in Virgilium. Est autem *vela mittere* h. l. quod sollennius tendere, pandere. Ex νῆα στέλλειν, πέμπειν, dictum *mittere navem*, et nunc *vela*, putabimus? Sane et Ovid. ex P. IV, 14, 9: *In medias Syrtes, mediam mea vela Charybdin Mittites praesenti dum carcamus humo*.

9. *Scironis*. Immo vero *Syronis*, vid. sup. Tom. I Vita Virgil. p. 79.

11. Corruptus versus. Variis tentatas medelas vide ap. Burmann. l. c., quarum nulla satis facit. Antiqua scriptura: *Ite hinc Camoenae vos limite sene* vel *limite seve*, vel *saevae*, et expletum *nam nos quoque*, vel *vos quoque*. Latet, suspicor, exquisitius Musarum epitheton, et in *seve*, *divae*. Ita ad ductum litterarum foret: *Ite hinc Camenae, voce mellita divae; Dulces Camenae*.

VIII. De Sabino Parodia Catulliana

Sabinus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse mulio celerrimus;

VIII. Exhibet et hoc post Scalig. et alios Ant. Lat. T. I, l. II, epigr. 430 *De Sabino*. Immo vero in *P. Ventidium Bassum*, hominem vel ex Cicerone notum, infimo loco natum, et ad summum dignitatis et fortunae fastigium evectum: nam Picens, genere humili, puer cum matre captiva ante Pompeii Strabonis triumphantis currum ductum erat; cum adolevisset, quaestum sibi aegre paravit, ac sordide invenit *comparandis mulis ac vehiculis, quae magistratibus, qui sortiti provincias forent, praebenda publicè conduxisset; in isto quaestu notus esse coepit C. Caesari, et cum eo profectus est in Gallias*: huic cum commeatus aliarumque necessitatum bellicarum curam egisset et pro eo, quem nos *bellicae rei commissarium* (novimus hoc hominum genus provinciis exitiosum) appellare solemus, fuisset, mox in amicitiam Caesaris, inde in amplissimum ordinem pervenit, Tribunus pl., Praetor, tandem Pontifex, Consul quoque a. V. C. 711 creatus est. Idem Syriam regendam accepit et de Parthis primus omnium triumphavit. Narrat haec et alia Gell. XV, 4. adde Plin. VII, sect. 44. Bellis civilibus cum ad Antonii partes transiisset, multorum sale fuit perfrictus. Celebratum in eum est epigramma: *Concurrite omnes augures, aruspices: Portentum inauditum conflatum est recens: Nam mules qui fricabat, Consul factus est.*

Virulentum hoc alterum in eum hominem epigrammia an a Marone profectum sit, graviorem auctorem, quam eum, qui Cataiecta collegit, non habemus. Mihi quidem res est prorsus improbabilis, hominem ad generosos sensus et epicam gravitatem assurgentem, ingenio tam liberali, moribus candidis et ingenua indole a natura instructum, tantam infamiam aliis inurere, et, conspurcando alios probris, sui ipsius vitae integritatem et humanitatem suspectam facere: qua si quis vel leviter imbutam habet mentem, abhorret ab ista truculentia et atrocitate. Improbos odit optimus quisque; non exercet in eos carnificinam. Epigramma Catulli in Phaselum (epigr. IV), quod comparent studiosi necesse est, parodia expressum esse, obvia res est. Interpretes, acumen horum Iambornm in singulis versibus illustrare contenti, de summa carminis nil monuerunt. Scilicet solebant Consules pro aede Castoris sedere: ita *sedens pro aede Castoris* Antonius Phil. III, 14; nec mirum, cum in eadem aede saepe Senatus haberetur Verr. I, 49 extr. At ante eandem aedem multae erant statuae: vide v. c. Cic. Phil VI, 5. Fingit igitur apud animum poëta, Ventidium, et quidem Consulem, ut ex vss. 23, 24, 25 intelligas, in sella curuli pro Castoris aede sedentem, tamquam statuam esse dedicatam titulo hoc apposito. Quod Sabinum appellat, potest cum aliis de causis factum esse, tum quod Picentes Sabinis vicini sunt.

2. *Ait fuisse*: tamquam pro titulo statuae haec sunt perscripta.

Neque ullius volantis impetum cisi
Nequisse praetervire: sive Mantuam
Opus foret volare, sive Brixiam. 5
Neque hoc negat Tryphonis aemuli domus
Negare nobilem, insulamve caeruli:
Vbi iste, post Sabinus, ante Quinctio
Bidente dicit adtondisse forfice
Comata colla, nequa sordidum, iugo 10
Premente, dura volnus ederet iuba.
Cremona frigida, et lutosa Gallia,
Tibi haec fuisse, et esse, cognitissima
Ait Sabinus; ultima ex origine
Tua stetisse dicit in voragine, 15
Tua in palude deposuisse sarcinas,
Et inde tot per orbitosa millia

3. *Neque ullius volantis impetum cisi Nequisse praeterire*: nullius, licet celerrimi cisii, cursum potuisse praeterire vel superare cisium muliones huius. *Cisium* genus vehiculi levioris binis rotis instructi: vid. Burm. ad h. l. *neque nequisse* pro non potuisse, ut interdum fit Graeco more.

6, 7. Legendum cum Is. Vossio: *Et hoc nec aut Tryphonis aemuli domum Negare* (scil. ait) *nobilem, insulamve Caeruli*. Tryphon et Caerulus muliones: alter hic custos insularius, h. insulae, συνοικίας, in aliqua urbe et aedificiorum locandorum curam habens.

8 sqq. Submulionem eum ante fuisse ait Quinctii aliculus. Heinsius conj. *equitio*: quod alienum ab h. l. est: non de equorum armentis, sed de mulis rhedariis hic agitur. Pro *forcipe*, quod erat, *forfice* est repositum: qua mularum iuba in cervice attondetur, ne iugi attritu illa exulceretur; at *forcipe* prehenditur ferrum. In *Attondisse* media metro repugnat: igitur legendum *attodisse*. Mox v. 11 pro *dura*, *adusta* Heinsius conj.; nec hoc magis accommodate; non enim iuba, sed collum aduritur attritu iubae.

13, 14. *Tibi haec fuisse et esse cognitissima, Ait Sabinus, ultima ex origine*, Ita distinguunt alii. Altera ratio firmatur exemplo Catulli, quod sequutus est v. 14, 15. ut sit, inde a natalibus, a puero h. l. Sunt autem illa appellandi casu dicta: *Tibi*, o *Cremona* etc.

16. *deposuisse*, aut contrahenda est media, aut leg. *deposisse* ex *deposivisse*. Tum *tua in palude*, paludosis locis.

17 sqq. Vulgo: *Iugum tulisse*: *laeva sive dextera, Stringere mulas, sive utrumque coeperat*. Quomodo alii, etiam qui emendarunt, intellexerint locum, dicere non habeo. Sententia videtur esse haec: quoties altera vel utrique mula defecerat, demotum iis

VIII. De Sabino Parodia Catulliana

Sabinus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse mulio celerrimus;

VIII. Exhibet et hoc post Scalig. et alios Ant. Lat. T. I, l. II, epigr. 430 *De Sabino*. Immo vero in *P. Ventidium Bassum*, hominem vel ex Cicerone notum, infimo loco natum, et ad summum dignitatis et fortunae fastigium evectum: nam Picens, genere humili, puer cum matre captiva ante Pompeii Strabonis triumphantis currum ductum erat; cum adolevisset, quaestum sibi aegre paravit, ac sordide invenit *comparandis mulis ac vehiculis, quae magistratibus, qui sortiti provincias forent, praebenda publicè conduxisset; in isto quaestu notus esse coepit C. Caesari, et cum eo profectus est in Gallias*: hinc cum commeatus aliarumque necessitatum bellicarum curam egisset et pro eo, quem nos *bellicae rei commissarium* (novimus hoc hominum genus provinciis exitiosum) appellare solemus, fuisset, mox in amicitiam Caesaris, inde in amplissimum ordinem pervenit, Tribunus pl., Praetor, tandem Pontifex, Consul quoque a. V. C. 711 creatus est. Idem Syriam regendam accepit et de Parthis primus omnium triumphavit. Narrat haec et alia Gell. XV, 4, adde Plin. VII, sect. 44. Bellis civilibus cum ad Antonii partes transiisset, multorum ade fuit perfrictus. Celebratum in eum est epigramma: *Concurrite omnes augures, aruspices: Portentum insolitum conflatum est recens: Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.*

Virulentum hoc alterum in eum hominem epigramma an a Marone profectum sit, graviorem auctorem, quam eum, qui Catalecta collegit, non habemus. Mihi quidem res est prorsus improbabilis, hominem ad generosos sensus et epicam gravitatem assurgentem, ingenio tam liberali, moribus candidis et ingenua indole a natura instructum, tantam infamiam aliis inurere, et, conspurcando alios probris, sui ipsius vitae integritatem et humanitatem suspectam facere: qua si quis vel leviter imbutam habet mentem, abhorret ab ista truculentia et atrocitate. Improbos odit optimus quisque; non exercet in eos carnificinam. Epigramma Catulli in Phaselum (epigr. IV), quod comparent studiosi necesse est, parodia expressum esse, obvia res est. Interpretes, acumen horum lamborum in singulis versibus illustrare contenti, de summa carminis nil monuerunt. Scilicet solebant Consules pro aede Castoris sedere: ita *sedens pro aede Castoris* Antonius Phil. III, 14; nec mirum, cum in eadem aede saepe Senatus haberetur Verr. I, 49 extr. At ante eandem aedem multae erant statuae: vide v. c. Cic. Phil. VI, 5. Fingit igitur apud animum poëta, Ventidium, et quidem Consulem, ut ex vss. 23, 24, 25 intelligas, in sella curuli pro Castoris aede sedentem, tamquam statuam esse dedicatam titulo hoc apposito. Quod Sabinum appellat, potest cum aliis de causis factum esse, tum quod Picentes Sabinis vicini sunt.

2. *Ait fuisse*: tamquam pro titulo statuae haec sunt perscripta.

Neque ullius volantis impetum cisi
Nequisse praetenire: sive Mantuam
Opus foret volare, sive Brixiam. 5
Neque hoc negat Tryphonis aemuli domus
Negare nobilem, insulamve caeruli:
Vbi iste, post Sabinus, ante Quinctio
Bidente dicit adtondisse forfice
Comata colla, nequa sordidum, iugo 10
Premente, dura volnus ederet iuba.
Cremona frigida, et lutosa Gallia,
Tibi haec fuisse, et esse, cognitissima
Ait Sabinus; ultima ex origine
Tua stetisse dicit in voragine, 15
Tua in palude deposuisse sarcinas,
Et inde tot per orbitosa millia

3. *Neque ullius volantis impetum cisi Nequisse praeterire*: nullius, licet celerrimi cisii, cursum potuisse praeterire, vel superare cisium mulionis huius. *Cisium* genus vehiculi levioris binis rotis instructi: vid. Burm. ad h. l. *neque nequisse* pro non potuisse, ut interdum fit. Graeco more.

6, 7. Legendum cum Is. Vossio: *Et hoc nec aut Tryphonis aemuli domum Negare* (scil. ait) *nobilem, insulamve Caeruli*. Tryphon et Caerulus muliones: alter hic custos insularius, h. insulae, συνοικίας; in aliqua urbe et aedificiorum locandorum curam habens.

8 sqq. Submulionem eum ante fuisse ait Quinctii alicuius. Heinsius conj. *equitio*: quod alienum ab h. l. est: non de equorum armentis, sed de mulis rhedariis hic agitur. Pro *forcipe*, quod erat, *forfice* est repositum: qua mularum iuba in cervice attondetur, ne iugi attritu illa exulceretur; at *forcipe* prehenditur ferrum. In *Attondisse* media metro repugnat: igitur legendum *attodisse*. Mox v. 11 pro *dura*, *adusta* Heinsius conj.; nec hoc magis accommodate; non enim iuba, sed collum aduritur attritu iubae.

13, 14. *Tibi haec fuisse et esse cognitissima, Ait Sabinus, ultima ex origine*. Ita distinguunt alii. Altera ratio firmatur exemplo Catulli, quod sequutus est v. 14, 15. ut sit, inde a natalibus, a puero h. l. Sunt autem illa appellandi casu dicta: *Tibi, o Cremona* etc.

16. *deposuisse*, aut contrahenda est media, aut leg. *deposuisse* ex *depositisse*. Tum *tua in palude*, paludosis locis.

17 sqq. Vulgo: *Iugum fuisse: laeva sive dextera. Stringere mulas, sive utrumque cooperat*. Quomodo alii, etiam qui emendarunt, intellexerint locum, dicere non habeo. Sententia videtur esse haec: quoties altera vel utraque mula defecerat, demtum iis

Iugum tulisse: laeva, sive dextera,
Strigare mulas, sive utrimque coeperat.
Neque ulla vota semitalibus dois 20
Sibi esse facta, propter hoc novissimum,
Paterna lora, proximumque pectinem.
Sed haec prius fuere; nunc eburnea
Sedetque sede, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, et Gemelle Castoris. 25

IX. Ad Varium

Scilicet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam:
Disperream, nisi me perdidit iste putus.
Sin autem praecepta vetant me dicere: sane,
Non dicam. Sed me perdidit iste puer.

iugum per multa millia mulionem portasse ex humeris suis. Acerbitas igitur et in hoc, quod mulas male curatas eum egisse narrat. *Strigare* pro *stringere*, quod editur, esse legendum, manifestum est, idque Scaliger docuit, et dudum in vett. edd., ut Ven. 1486, expressum vidimus. Accipiendum tamen hic non tam pro interquiescere, sed omnino prae macie vel inedia deficere viribus, ut rhedae ducendae impares bigae sint. Nunc autem nec minus manifestum est, etiam reliqua sic constituenda esse: *laeva sive dextera Strigare mula, sive utraque coeperat*. Quod media in *utraque* producitur, aliis, etsi seriorum poëtarum, exemplis idem edoctos non male habebit. Si cui tamen intolerabile hoc videatur, leget *utrinque*, vel cum viro docto apud Burm. *sive utraeque coeperant*.

20, 21, 22. Tam feliciter omnia mulioni cessisse sit, ut ne vota quidem dis vialibus, ἐνοδίοις, unquam suscipere necesse haberet, nec ullum susciperet, praeter hoc novissimum, quo, arte mulionica deposita, eius artis instrumenta, habenas et pectinem, ex more dedicavit. Sole clarius, leg. *praeter hoc n.*, tum arridet Heinsii conj. *buxeumque pectinem*: inprimis cum *eburnea* sequantur. Nunc *proximum* int. iuxta lora suspensum, eodem pariete.

23. *eburnea sede*; curuli.

25. Igitur Dioscuris fingitur dedicata statua: Consul Ventidius sedens pro aede Castoris.

IX. Vid. Anth. Lat. l. III, CCXLVIII. Edidit primus Scaliger.

2. *putus* vel *pusus*, pro puero, unde *pusio*; prima syllaba longa; qua ex re, quod *putus* in metri rationem peccat, tota carminis in pusionem argutia pendet: sic quoque Burmann. iudicabat.

3. *Sin autem*. Micor nemlitem maluisse! *Sin autis praecepta*.

X. Ad Villam Scironis

Villula, quae Syronis eras, et pauper agelle,
Verum illi domino tu quoque divitiae:
Me tibi, et hos una mecum, et quos semper amavi,
Si quid de patria tristius audiero,
Commendo, in primisque patrem. Tu nunc eris illi,
Mantua quod fuerat, quodque Cremona prius.

XI. Ad M. Valerium Messalam

Pauca mihi, niveo sed non incognita Phoebo,
Pauca mihi doctae, dicite, Pegasides.

X. 1. *Scironis.* Immo vero *Syronis*, Epicuri philosophi, de quo modo Epigr. VII vidimus. Inter belli civilis calamitates et metus, consanguineos suos, inque his patrem, in Syronis villa, tamquam in tuto loco, aut perfugio, collocasse videtur. Suspicari utique licet, quod Scaliger facit, scriptum carmen, cum ex agro Mantuano assignato militibus Romam discederet. Extat quoque in Anth. Burmann. lib. III, epigr. CCXLIX. In vss. 2 *tum quoque* bene emend. Io. Schrader.

XI. Vid. Anthol. Lat. l. II, epigr. CXXII. cf. Harles brev. Notit. p. 254. Messalam victor carmine celebrat, tamquam victorem; 1-6. et poëtam summum — 12. recitat carminum eius argumenta: fuere ea bucolica — 20. in amicam — 40. Celebrat laudes bellicas Messalarum — 54. Sed iis laudibus non parem esse se canendis fatetur. Virgilio attributum est a Pithoeo, hinc a Scaligero et aliis. Virgilio tamen non temere adscribendum esse, censebat Burmann. Sec. Dubitavi aliquando (ad lib. IV, 1. Tibull. p. 177 ed. tert. p. 192 Obss.), an omnino a vetere aliquo poëta hoc carmen profectum esset. Sed ad seriora tempora vix retrahi potest tantus orationis cultus. Nunc toto carmine diligentius excusso Augustei saeculi fetum agnoscere mihi videor etiam in toto eius colore et habitu. Deprehenditur enim in plerisque his poëmasin istius aetatis sermo Romanus ad dignitatem et ornatum verborum numerosque poëticos egregie comparatus: et in tota carminis summa, inque argumento ea, qua par est, copia et lumine orationis orationis explicando et feliciter disponendo, eiusque membris commode iungendis et perpetuo quasi vinculo comprehendendis, porro in delectu rerum vel sententiarum, quae carmine feliciter tractari possint, magna cernitur imperitia. Haec eadem in hac elegia occurrunt, in qua summum orationis cultum et ornatum merito mireris, iudicium et subtilitatem in carminis summa eiusque partibus constituendis facile desideres. Licet enim dicas, excidisse videri nonnulla et lacunis carmen hiare: tamen illud,

Victor adest, magni magnum decus ecce triumphi.
Victor, qua terrae, quaque patent maria;
Horrida barbaricae portans insignia pugnae, 5
Magnus ut Oenides, utque superbus Eryx;
Nec minus idcirco nostros expromere cantus
Maximus, et sanctos dignus inire choros.
Hoc itaque insuetis iactor magis, optime, curis:
Quid de te possim scribere, quidve tibi. 10
Namque, fatebor enim, quae maxima deterrendi
Debuit, hortandi maxima causa fuit.

quod vs. 21 de puella cum heroinis comparanda sequitur, ieiunum est per se et ad fastidium extremum protractum. Messalae inscriptum esse carmen ex vs. 40 patet. Verum, an ad M. Valerium Messalam illud scriptum sit, dubitavi aliquando, quod Messalae istius facta ac bella non attingat ea, quae ex historia nota sunt. Sed primum non occurrit ex Messalarum stirpe alius, ad quem haec opportunius referri possint, quae in carmine memorantur; poëticen autem M. Messalam attigisse et poëtas amasse satis constat; tandem omnis difficultas tollitur, si ad Messalam iuvenem haec scripta statuas, cum ille, postquam stipendia variis in bellis merverat, in Africa imprimis, Hispania et Lusitania (vss. 41 sqq. 51-54), aut in alterius triumpho inter primos duces laureatos incessisset, aut ipse ex Parthinis triumphasset: quod ei a V. C. 715 (v. Vita Virgilii p. ann. dig. h. a.) adeoque non nisi viginti vel quod excurrebat annos nato, contigit. Itaque de Aquitanico triumpho, in quem Tibulli I, El. VII scripta est nullo modo hic cogitari potest. Ab his omnibus, ut solebat, dissensit et in contraria ivit doctiss. Wernsdorf, qui in Poët. Lat. min., T. III iterum hoc carmen retractavit.

1. Quae pulcer Apollo cognoscere, quibus adesse non refugiat.

3. *magni triumphi*. Dalmatici: ut quidem arbitror. v. paullo ante. *decus triumphi*, is, qui in pompa triumphali omnium maxime conspicuus est. Posset dici de eo, qui secundum triumphatorem maxima rerum gestarum laude inclaruit: sed nullus per hos annos triumphus occurrit, cui Messala interesse potuerit. — 4. *Victor qua t.* simpl. terra marique victor.

6. *Oenides*. Ita N. Heinsius edidit: cum antea legeretur: *Aeneides*, *Aenides*. Voss. cod. *Eonides*. Quomodo Diomedes ad triumphalem pompam declarandam aptus sit, non magis intelligo, quam unde *Eryx* huc veniat: quem hoc unum nobilitavit, quod, cum hospites caestu provocaret, ab Hercule occisus est. Pro Oenide *Alcides* bene substitui posset, quem in simili laude Virgilius nominabat Aen. VI, 802 sqq., sed cum Baccho: *Nec vero Alcides tantum t.*

7, 8. Nec minus idem maximus poëta. Et in hac laude nunc moratur in seqq. Hoc magis itaque insolito more sollicitus sum, quid ipse ad te

Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
Carmina cum lingua, tum sale Cecropio.
Carmina, quae Pylium, saeclis adcepta futuris, 15
Carmina, quae Pylium vincere digna senem.
Molliter hic viridi patulae sub tegmine quercus
Moeris pastores et Meliboeus erant;
Dulcia iactantes alterno carmina versu,
Qualia Trinacriae doctus amant iuvenis. 20
Certatim ornabant omnes Heroida divi:
Certatim divae munere quaeque suo.
Felicem ante alias tanto scriptore puellam!
Altera non fama dixerit esse prior.

scribam. Fateor enim hoc, quod me dehortari debebat, si cogitarem, me ad tam magnum poëtam scribere, hoc ipsum me multo magis excitare, ut scribam.

13. *Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas*, descripta a me sunt. Is enim illo tempore mos erat, ut studiosi carmina, quae in publicum exibant, in suos pugillares referrent. cf. Burmann. h. l.

14. *Carmina cum lingua tum sale Cecropio*. Quae sint *carmina sale Cecropio*, facile est ad intelligendum; sed quid sunt *carmina lingua*? Scilicet erit repetendum: *lingua Cecropia*. Ita vero Graeca carmina exarat noster poëta? Haud dubie Attica elegantia et Attico lepore imbutos versus declarare vult. Forte sic praestat legere: *Carmina cum lingua, tum sale. Cecropia*, h. quae sint Attica, Atticis similia, cum oratione, tum lepore.

15. *Pylium* his otiose repeti, vidit N. Heinsius et emendavit: *Carmine quae Peliam*; vel *Carmina quae Phrygium*; alterum hoc merito praefert Burmann., quem vide; ut sit Tithonus vel Priamus. In ms. Helmst. hic versus deerat.

17. Quae sequuntur usque ad vs. 40 tractata esse necesse est in aliquo Messalae carmine, et quidem bucolici generis. Sed vereor, ut vs. 17–20 a poëta nostro, nec potius ab alio viro docto, qui hiatum explere voluerit, profecta sint. Absunt quoque, quod Burmannum non fugit, ab edit. Ald. 1517. *Molliter hic erant* vix Latine dictum est. Vs. 20 *Trinacriae iuvenis*, qui non magis dici potest, emendatus est a Broukhusio: *Trinacria iuvenis*, Theocritus, ὁ ἐκ Τριναχρίας, cf. Burmann.

21. Post ea, quae intercidisse videntur, ad amasium Messalae, carminibus eius celebratam, progreditur. Sulpicia illa fuit, Servii filia. v. Tibull. nostrum in Vita et ad lib. IV, El. 2. In fine versus — *omnes heroida divi* legendum esse, manifestum est; non *divae*. Monitum quoque a viris doctis. vid. Burmann.

24. Erat: *alter non famam dixerit ipse prior*. Varie tentatus versus. Sententia in aprico est: Non aliam puel-

Non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset, 25
Quae volucrem cursu vicerat Hippomenem;
Candida cycneo non edita Tyndaris ovo;
Non supero fulgens Cassiopea polo;
Non defensa diu volucrum certamine equorum.
Optabant Graiae quam sibi quaeque manus; 30
Saepe animam generi pro qua pater inpius hausit;
Saepe rubro Eleis sanguine fluxit humus;
Regia non Semele, non Inachis Acrisione,
Inmitti exspectant fulmine, et imbre, Iovem:
Cuius et ob raptum pulsi liquere Penates 35
Tarquinii patrios, filius atque pater;
Illo, quo primum dominatus Roma superbos
Mutavit placidis tempore Consulibus.
Multa, neque inmeritis, donavit praemia alumnis;
Praemia Messalis maxima Poplicolis. 40
Nam quid ego inmensi memorem studia ista laboris?
Horrida quid durae tempora militiae?

am fama priorem esse. Proxime ad corruptam lectionem accedit Munkeri emendatio: *Altera non fama dixerit esse prior*: per graecismum. Simplicitate quoque se commendat, quod raro fieri solet, Salmasii coniectura: *Altera nam fama vix erit estque prior*; nisi quod *estuè* malim.

25, 26. Atalanta, quae vicisset et cursu superatura fuisset Hippomenem, nisi pomo aureo in fraudem adducta fuisset.

29—32. De Hippodamia, Oenomai filia, qui rex Elidis erat; unde *Eleidem terram* vs. 32 dixit; tandem a Pelope curuli certamine superatus. — *defensa* vs. 29 quid sibi velit, non dixerunt viri docti; an quatenus certaminis lex intercedebat, ne proci eam coniugem ferrent; an fuit *detenta?* detinebatur enim certamine, quo minus proci ea potirentur. Mox *Graiae manus*, iuvenes proci. 31. — *generi*, h. l. pro proco, ut saepe, vid. Burmann.

34. *exspectant*. Adversatur hoc orationis decursui. Esse debebat *expectantes*. Nec *expectans* satis accommodatum. Itaque praefero Scaligeri emendationem *expertae*; ut sit: Semele et Danae, *expertae*, *Iovem fulmine et imbre immitti* ἐνεκλήπτεσθαι, *descendere*, *venire*.

35. *Cuius et ob*, h. et illa non prior fama est, cuius etc. Infrequens Lucretiae memoria in Romanis poëtis, et propterea locus notabilis.

39. Roma multos honores in Messalas contulit.

41. *Iam quid ego*, cum Burmanno

Castra foro solitos, urbi praeponere castra,
Tam procul hoc nato, tam procul hac patria?
Inmoderata pati nunc frigora, nuncque calores? 45
Stertere vel dura posse super silice?
Saepe trucem adverso perlabi sidere Pontum?
Saepe mare audendo vincere, saepe hiemem?
Saepe etiam densos inmittere corpus in hostes;
Communem belli nec timuisse deum? 50
Nunc celeres Afros, perituraque millia gentis,
Aurea nunc rapidi flumina adire Tagi?
Nunc aliam ex alia bellando quaerere gentem?
Vincere et Oceani finibus ulterius?
Non nostrum est, inquam, tantas adtingere laudes; 55
Quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est.
Ipsa, haec ipsa ferent rerum monumenta per orbem;

legendum; qui comparat Tibull. IV, 1, 82 sq. Transit autem ad gentis Valeriae virtutes bellicas praedicandas; in ea gente Messalae haud minimam laudum partem qui ferrent digni erant.

44. Corruptus versus. Variae medelae apud Burmann. memorantur. *Tam procul hoc natos* scil. solo, vel *Tam procul hinc* Scaliger, *Tam procul agnatis* Salmasius, *Tam procul a nato* Franciscus coniecit; neuter satis commode. In altero membro uterque: *tam procul a patria*. In priore autem ne illud quidem satis faciat, si *Tam procul a natis* legamus. Forte scriptum fuit: *Tam procul, orbe alio: tam procul a patria. Orbem* ita dici vulgatum est: sic *orbis diversus, ultimus, longinquus* et al.

48. Legebatur: *Saepe audendo mare*. Cum Burmanno Broukhusianam illam, facilem et obviam, emendationem amplexus sum: *Saepe mare audendo*. Cum ex uno tantum alterove Codice, qui superest, provenerint haec carmina, mirum non est, vitia vel manifesta editiones constanter obsidere.

50. *Communem belli deum*. cf. Burmann. et sup. Ciris v. 359.

51. *perituraque millia gentis*. Saltem apposite legendum *p. millia gentes*. Verum et hoc scabrum est. Sic quidem in Anth. l. I, ep. 107 Memnon *Producit gentis millia tetra suae*. Oudendorp. conj. *periturae que ultima gentis*. Amplecterer, quo libri ducunt (etiam ms. Helmstad. *periurem*), *periurae*; sed reliqua parum placent. Excidit, suspicor, nomen gentis: v. c. *perituraque millia*, *Mauros* vel *Iberos*. Nam in bello inter Caesarem et Pompeium Messala loca illa adiisse videtur.

55. *Non nostrum est, unquam* bene emendat Burm. *Non nostrum tantas inquam est*, ms. Helmst.

57. *Ipsa, haec ipsa ferent*, sc. laudes illas; alias una ex emendationibus ibi-

Ipsa sibi egregium facta decus parient.
Nos ea, quae tecum finxerunt carmina divi,
Cynthius, et Musae, Bacchus, et Aglaje. 60
* Si laudes adspirem, humili sed adire Camena; *
Si patrio Graios carmine adire sales
Possumus: optatis plus iam procedimus ipsis.
Hoc satis est, pingui nil mihi cum populo.

XII. In Pompeium Magnum vel in Mithridatem

Adspice, quem valido subnixum gloria regno
Altius et coeli sedibus extulerat,

dem allatis amplectenda: seu Salmasii: *Ipsa haec se ipsa ferent*, seu Heinsii: *Ipsa hunc*, vel *Sese haec ipsa ferent*, seu Oudendorpii: *Sed te haec ipsa ferent*, seu: *Ipsa haec te, ipsa ferent*.

59—61. Non una haec laborant corruptela. Priora transpositione sanare annixus est Burmannus. Equidem v. 60, 61 eiiciam: etsi etiam in 62 insolens est *adire laudes* alterius, assurgere velle ad eas, aemulari. *Graii sales* videntur esse de *Ceropio sale* v. 14, Attico lepore accipiendi, qui Messalae versibus latinis inerat. Sed sine libris frustra aliquid certae et exploratae opis expectatur. Apponam tantum varietatem lectionis ex Ald. pr. (et aliis vett., ut Ven. 1486) *Si laudem adspirem, humiles sed adire Sirenas*. Varie hoc tentant viri docti apud Burm. Docte, etsi vix vere, refinxit Scaliger: *Si laudem Musae humilis, si Doridas heroinas*, h. Hesiodum et μεγάλας ἠοίας. *adire* pro attingere. In ms. Helmst. legebatur: *Si laudem adspirarem, humilis sed audire cyrenas*. Werndorf. in Excurs. ad h. v. multum operae posuit in aliquo loci constituendi ratione expulanda, et legit: *Si laudem adspirante, humili sed adire Camena Possumus*.

XII. Disertum carmen, apertum planumque, sententiis verbisque gravibus. Anthol. Lat. lib. II, 123, p. 301. Sed, in quem scriptum illud sit, liquido non constat: etsi vix assequi licet, quo modo tantae rerum conversionis, quae hoc carmine narratur, auctor obscurus esse possit. Si ea colligas, quae de magno hoc viro, de fortunae fastigio dejecto, memorantur: nemo in historia Romana, sive ante sive post Virgilium occurrit, cui satis ea conveniant. *Pompeius Magnus* statim lectoris animo occurrit: in quo fortunae vicissitudo et inconstantia etiam a poëtis notari solet, v. c. Petron. 123, et multis epigrammatibus in Anthol. Lat. l. II, 25 sqq., sed in eum parum proprie dici potest illud, quod e *patria pulsus in exilium* est. Dicendum igitur, scriptum esse

Terrarum hic bello magnum concusserat orbem;
Hic reges Asiae fregerat et populos.
Hic grave servitium tibi, iam tibi, Roma, ferebat;
Cetera namque viri cuspide conciderant;
Cum subito in medio rerum certamine praeceps
Conruit, e patria pulsus in exilium.
Tale deae numen, tali mortalia nutu
Fallax momento temporis hora dedit.

XIII. Ad Antonium Musam

Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae,
Tangere quas terras, quosque videre homines:

carmen illo temporis intervallo, quo Pharsalia fugatus Aegyptum petierat, nondum de eius caede constabat: alioqui multo magis haec commemoranda veniebat. Quod *valida subiisset regno*, quod *servitium Romae* parasse dicitur, non minus male me habent. Alter, in quem facile incidas et Scaliger quoque incidit, *Mithridates est*, Ponti rex, in quem omnia egregie conveniunt, praeter illud *e patria*; debebat enim potius *e regno* pulsus in exilium dici. Debuit ergo Romano more dictum esse *e patria* pro ex regno. De Mithridate intelligendum esse, nuper iterum pronuntiavit Ruhnk. ad Velleï. II, 18, 3, sed quomodo is *e patria pulsus in exilium* dici possit, non docuit. Argumentum addit e Cic. pro Murena 15 sumtum esse: unde etiam singulorum petenda sit explicatio. Sane ibi breviter exponuntur res Mithridatis regis: sententiarum poëtae vestigia ac semina non video. Ad *Alexandrum* M. retulit Oudendorpius, ut e Burmanno disco: quod parum commode fieri videtur.

2 *Terrore hic belli* eleganter emendat Ruhnken. l. c. nec tamen necesse. Pro *magnum Magnus* conj. Burmann., ut sit Pompeius. In v. 2 malim: *Altius heu e*.

4. *fregerat, hic populos* Cod. Voss. et ed. Ven. apud Burmann.

5. *Hic grave servitium iamiam tibi* Voss. Cod. apud eundem.

9, 10. Distichon viros doctos non videtur moratum esse; equidem non satis expedio. Quid enim est: *dare mortalia?* Forte: *Tale deae numen: pessum mortalia nutu — dedit*: ut sit, pessum dare solet hora mortalia, Ruhnken. *Hora premit* legebat l. c.

XIII. Antonii Musae, medici Augusti, nomen non obscurum est vel ex Sueton. Aug. 59 v. al. apud Burm., qui hoc poëmatium Antiol. Lat. inseruit lib. II, ep. 124. Nunc ex hoc poematio, quod non alio, quam eo auctore, qui catalecta collegit, Virgilii esse fertur, hoc discimus, fuisse eum poëtae amicissimum, omnibusque ingenii dotibus et artibus politissimum hominem. Haec etsi admittas, artem

Dispeream, si te fuerit mihi carior alter.
Alter enim quis te dulcior esse potest?
Cui Venus ante alios, divi, divumque sorores, 5
Cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona;
Cuncta, quibus gaudet Phoebus, chorus ipseque
Doctior o quis te, Musa, fuisse potest? (Phoebi;
O quis te in terris loquitur iucundior uno?
Clio nam certe candida non loquitur. 10
Quare illud satis est, si te permittis amari;
Non, contra ut sit amor mutuus inde mihi.

XIV. In Octavii mortem

Quis deus, Octavi, te nobis abstulit? an, quae
Dicunt, an, nimio pocula dura mero?
Vobis si culpa est bilis: sua quemque sequuntur
Fata; quod inmeriti crimen habent cyathi?

tamen medicam in ceteris laudibus vix omittere potuisset auctor carminis. Ad rhetorem Musam, qui a Seneca in Controversiis aliquot locis memoratur, cum vico docto referre malim.

7. *Phoebi chorus ipseque* Phoebus; refingebat Scaliger. cum aliis.

10. *Clio tam certe* emendavit Casaub.

XIV. Vid. in Anth. Lat. l. II, Ep. 65. Claudit hoc epigramma agmen catalectorum, quae Maroni vulgo tribuuntur. Quis hic Octavius sit, ignorari, eo magis miratione facit, quod scriptis multis inclaruisse et historiam Romanam aggressus esse narratur v. 5, 6. Eum iuvenem ante patrem v. 7, 8 inter pocula, cum excanduisset, repente mortuum esse ita, ut de causa mortis dubitatio esset, a poeta discimus, qui causam in iracundiam a mero avertere allaborat.

2. *pocula dura* vix bene dicuntur; melius *dira* cum Oudendorpio, vel *ducta* cum Heinsio legas.

3. *Vobis si culpa est bilis.* Laborat caput versus. Cod. Voss. *Vobiscum si est culpabili.* Heins. *Vobis sic culpa est bilis* vel *Haud necis in culpa est bilis.* In promtu est multa comminiscì: *An magis in culpa est bilis?* vel *Fervida an in c. An tumida in c.* Forte nihil horum; sed: *Non culpa est illis; sua q.* sed quis ullum praestet? Simplicitate ingeniose se commendat Iacobs nostri conj. *Mortis si culpa est bilis;* Animadverss. p. 318.

Scripta quidem tua nos multum mirabimur, et te 5
Raptum, et Romanam flebimus historiam.
Sed tu nullus eris. Perversi, dicite, Manes,
Hunc superesse patri quae fuit invidia?

XV. P. Virgilii Maronis

Fragmenta ex Epistola, quam ad Augustum Caesarem super Aeneide sua scripsit.

Ego vero frequentes a te literas accipio. *Et infra:* De Aenea quidem meo, si, me Hercules, iam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tantum inchoata res est; ut paene vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar: cum praesertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus, multoque potiora, inpertiar.

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS

COPA

Digitized by Google

PROOEMIVM

IN COPAM.

Superiora carmina ex Heinsiana et Burmanniana recensione repetivimus. Ex ceteris Virgilio perperam vulgo tributis carminibus, quae Burmannus Secundus in Anthologia Latina nuper iterum excudenda curavit et multis eruditionis copiis illustravit, duo adhuc subiungere placet, *Copam* et *Moretum*: quorum hoc prorsus ab eo praetermissum, illud interpretationis adhuc luce aliqua egere visum est, dignum certe, quod hic repeteretur, cum ex elegantissimis poëmatiis sit.

In *anum propolam* scriptum esse carmen vulgo aiunt. Ita vero omnis eius suavitas sublata et ad veram interpretationem via praeclusa videri debet. Immo vero *invitatio* est *ad compotationem et hilariter exigendum diem in taberna cauponaria*; cuius generis fuere olim plures, ut etiam nunc sunt, extra urbem, ad Tiberim et ad littus maris. Ad eas tabernas non modo sordida et nautica plebs confluebat: verum erant aliae, quas lautiores et elegantiores homines adirent.

Quod *Copa* carmen inscriptum est, id a prima eius voce fluxit. *Copa*, *caupa*, *cupa*, mulier est cauponia, ut copiose Scaliger docuit. Nec tamen h. l. eam, quae cauponam ipsa exercet, intelligere necesse est, sed simpliciter mulierem, quae in caupona vel taberna artem exercet. Est enim h. l. crotalistria, h. e. saltatrix cum crotalis, e gente Syrorum; cuius generis feminae, tibicinae, citharistriae vel fidicinae in his tabernis haberi solebant. Notae illae *Ambubaiarum* nomine sunt ex Horatio et Suetonio. Nec vero cum Scaligero de vetula cogitandum, quia mitrata esse narratur v. 1, cum etiam puellas et iuvenculas mitra, seu fascia ac diademate, interdum cum reticulo, comprehensam et involutam comam habuisse satis constet.

Carmen Virgilio vulgo tribuunt codices, qui minora poëmatia continent, etiam Grammaticus is, qui Servio in fronte Aeneidis suos attexuit pannos, tum gravior ceteris auctor Sosipater Ca-

risius I Instit. Gramm. pag. 47 Putsch., ubi: *cupo*, *cuponis*, inquit, *ut fullo*, *fullonis*, *quamvis Virgilius librum suum Cupam inscripserit*. Vereor tamen, ne hoc ipsum serioris interpolatoris iudicium sit, a re et loco satis alienum. Prisciani ab aliis auctoritatem perperam laudari, Burmannus docuit l. c. Nuper doctiss. vir, Wernsdorf, hoc ipsum carmen repetiit in Poët. minor. T. II ad calcem *Septimii Sereni* fragmentorum, quem huius ipsius carminis auctorem esse malit. Adeant eum, qui plura ad illustranda verba carminis desiderant.

Ceterum elegi hi non modo orationis Romanae elegantia, sed etiam toto carminis habitu cultuque, non vulgares sunt nec contemnendi poëtae lusus. Etsi enim, maiore ex parte, earum rerum, quae ad hilaritatem iuvitare possunt, enumeratione absolvuntur: res tamen sunt iucundae et ad animum sensumque gratae. Auctumnali autem die institutam compotationem cogitare necesse est. cf. v. 11.

P. VIRGILII MARONIS

COPA

Copa Syrisca, caput Graia redimita mitella,
Crispum sub crotalo docta movere latus,
Ebria sumosa saltat lasciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

1. *Syrisca.* Scaliger Comparat *Syriscum* Martiali et Ausonio dictum, et *Threiscum* Θρηΐσκον apud Iulium Capitolinum. Alia memorat Salmas. ad e. l. Sed nullum exemplum ex meliore aevo allatum vidi; nisi quod ex Columella succurrit lib. X, 418, ubi ficum *Scissam Libyscam* constanter libri tenent. Attamen et ibi *Libyssam* unice verum iudicabat Gesnerus. Nec h. l. aliter legendum arbitror quam: *Copa Syrissa*, ut Threissa, Cilissa et al. Nulla autem alia huius et sqq. sententia est, quam haec: omnia in taberna instructa esse ad diem hilariter et suaviter exigendum. Ecce iam saltat crotalistria, et sic porro. *Caupona Syra* e Lucilio apud Priscian VI, pag. 684 occurrit. *Graia redimita metella*; fuit ergo Graecanici alicuius ritus ornamentum hoc: genus fasciae, quo capilli colligerentur. Talem crotalistriam mitratam in monumentis passim videre memini: unum et alterum exemplum est in picturis Herculanensibus. Nec diversi generis sunt tibicinae, fidicinae, psaltriae. Horat. I, Epp. 14, 25, *meretrix tibicina, cuius Ad strepitum salias terrae gravis*: ad villicum. Accommodate dictum *crispum latus movere*, crispare, de molli ac celeri flexu et motu. Quid in Syrorum institutis, religiosis forte, fuerit, quod feminas crotalistrias fingeret, ita ut in Italia quoque quaestum inde facerent, non reperio. Nomen quidem Syrorum late patuit. Potuere quoque Iudaeae feminae sub eo nomine comprehendi.

3. *fumosa taberna.* In promtu est coniicere *fumosa*: nec parum mihi arridere fateor; sic quoque ms. Helmstad. exhibuisse video. Praefert tamen Burmann. vulgatum: melius enim convenire illud crotalistriae lasciva at infami.

4. Crotalistria describitur. *Calami* sunt ipsa crotala, h. virgulae, alias aereae, sed nunc ex arundine scissa, quas illa inter saltandum concutit cum manus gesticulatione: qua, dum virgularum, quas inedias digitis tenet,

Quid iuvat aestivo defessum pulvere abesse, 5
Quam potius bibulo decubuisse toro?
Sunt cupae, calices, cyathi, rosa, tibia, chordae,
Et trichila umbriferis frigida arundinibus.
Est et Maenalio quae garrit dulce sub antro
Rustica pastoris fistula more sonans. 10
Est et vappa, cado nuper diffusa picato.
Est strepitans rauco murmure rivus aquae.

pars inferior versus brachia compleditur, *ad cubitum exaudere calamos* h. l. dicitur.

5. Meo quidem iudicio, a quo si quis dissentiat, aequo animo feram, non Copae verba, quod vulgo credi video, sed poëtae, sunt: ex persona poëtae huiusmodi hortatus ad vitam exhilarandam multo plus suavitatis et auctoritatis habent, quam ex ore meretriculae; a cuius persona pleraque aliena sunt; poëta pergit in eo, quod versus est. *aestivo defessum pulvere abesse* dictum pro *aestivo pulvere*, labore, defatigatum, viribus exhaustum *desidere domi*, nec se conferre in viam ad tabernam. Ad exercitationem campestrem revocat unice Scaliger. Malim a peregrinatione, mercaturae studio, et similibus petere usum voū *abesse*: fere, ut Tibull. I, 1 *Nec semper longae deditus esse viae*, ubi ex h. l. ariolari possis: *Nec semper longa fessus abesse via*. Tum, ut nunc interpungitur, intelligendum est: *Quid iuvat — abesse potius quam*. Nisi placet cum Barthio distinguere: *Quid iuvat — abesse? Quam potius, — toro!* scil. iuvat. *bibulum torum* vocat, Scaliger ait, in quo plurimum biberetur. Durum vero hoc. Accipio de cespite vel gramine aqua irrigato, ut laetum virescat. Poterat alio epitheto ornare: ut *fragilem*, *tenerum*, *siccum* cespitem dicunt alii poëtae. Nunc hoc maluit, nec inscite.

7. *Cupae* vel *Copae* sunt in cella vinaria vasa maiora. At lectionis varietas viris doctis emendandi facultatem attulit. Scaliger legit: *Sunt topia et calybae*: quae calicum genera sunt. Heinsius autem: *Sunt obba et calices*. Cui accuratius haec cognoscere libet, ei adeundi sunt Intpp. ad h. l.

8. *Trichila* vel *trichilum* pergula est ex vitibus aliave arbore pedamentis et lugis firmata, implicitis frondibus concamerata vel arcuata ad umbram faciendam, notiore voce *hypampelos* dicta. v. Viros doctos ad h. l. et Columell. X, 378. Similem compotationem sub umbraculo describi in Propert. IV, 8, 35 sqq. notavit Burmannus. Male in *triclinia* inciderunt nonnulli; etsi sic quoque Pompon. Sab. *triclina* pro triclinia. Etiam ms. Helmstad. *triclina umbrosis*.

9. *Et et Maenalio* alii, et recte, *sonat*.

10. *pastoris more*: immo *in ore*.

11. *defusa* duo codd., variatione perpetua: v. c. Lucret. IV, 88. et id maluit viri docti: nam agitur de vino e cado, maiore vase, in minus defuso; non de vino in plura minora vasa diffuso.

12 *Et strepitans* legendum cum al

Sunt etiam croceo violae de flore corollae;
  Sertaque purpurea lutea mista rosa;
Et quae virgineo libata Achelois ab amne 15
  Lilia vimineis adtulit in calathis.
Sunt et caseoli, quos iuncea fiscina sicoat,
  Sunt autumnali cerea pruna die;
Castaneaeque nuces, et suave rubentia mala.
  Est hic munda Ceres; est Amor; est Bromius. 20
Sunt et mora cruenta, et lentis uva racemis.
  Est pendens iunco caeruleus cucumis.
Est tugurI custos armatus falce saligna;
  Sed non et vasto est inguine terribilis.
Huc Calybita veni: fessus iam sudat asellus: 25

edd. *strepitans* in *crepitans*, *crepidant*, mutant viri docti, iidem hoc in illud mutaturi, si alterum reperissent: huiusmodi correctiones dudum ex re critica sublatae et explosae esse debebant; sunt enim nec magis ingeniosae quam non fructuosae.

13. *Sunt et Cecropio iunctae de flore corollae* tres codd. Vnde Burmann. non indocte coniicit: *Corycio iunctae de flore*, vel *Corycioque croco violae de flore corollae*. Mox v. 14 *rosam* in auctumno adeoque certi generis, serioris proventus, narrari necesse est.

15, 16. Suavissimum distichon: Cernis nympham calatho afferentem potantibus lilia. Ecl. II, 46 sqq. Nymphae et Naiades formoso puero flores ferunt; sic h. l. Nympha Achelois, h. fontana, amnicola, ut unam ex Naiadibus significet. *Acheloum* de aqua dici poëtis non infrequens. — *libata ab amne*, humefacta, viola in ripa florens, quam adeo alluit unda. Miror Heinsii acumen, *libata ab ore* legentis, *virgineum amnem* suaviter dixit purum, pellucidum. Comparat *fontes ingenuos* Lucretii I, 231 Wakefield. Nec ad Virginem aquam, quae Romae fuit, recurram.

17. *scirpea* Leid. et ed. Iunt., et *sirpea fiscina* Ald., doctius utique; ut *iuncea* pro interpretamento sit.

22. *Et pendens* melius alii; et porro ms. Helmstad. *Et pendet*. Tum *iunco* pendet cucumis, quo alligatur stipiti, vel pedatur.

23. *Et tugurI* etiam h. l. alli melius. Sed totum distichon alienum ab h. l. et allunde illatum: quod ordo sententiarum et loci ratio satis docet.

25. *Huc Alibida veni*. Silenum interpretabantur: qui tamen a loco et re alienus esse videtur, quando quidem hic in vera vita versatur poëta. *Asivida* pro asinivehida ex Plauto huc inferre voluere, Heins. Scalig. et Gesner. de Silenis T. IV Commentatt. p. 45. Turnebi (Adverss. XIII, 22) lectio: *Huc ad liba veni*, facilitate se commendat; sed parum ad sensum facit. *Calybita* e codd., quibus Helmstad. adde, iam probarunt

Parce illi; vestrum delicium est asinus.
Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae.
Nunc etiam in gelida sede lacerta latet.
Si sapis, aestivo recubans te prolue vitro;
Seu vis crystallo ferre novos calices. 30
Eia age pampinea fessus requiesce sub umbra;
Et gravidum roseo nocte caput strophio;
Candida formosae decerpes ora puellae.
Ah! pereat, cui sunt prisca supercilia!

Salmasius, qui videndus ad Hist. Aug. p. 491, et alii, intelligentes Gallum matris deum vel deae Syriae sacra circumvehentem; hunc eundem esse puta agyrtam, qui adeo plebeculam praestigiis suis tripudiisque inter cymbalorum tympanorumque strepitum delectat. cf. Apulei. lib. VII. Occurrunt et hi homines passim in anaglyphis antiquis: v. c. *Cayl. Recueil* T. I, tab. 29. Calybe, ναΐσκος, templum vel sacrarium deae simulacrum recipiens. Substituunt καλύβην deae Κυβέλη viri docti in epigrammate Thyilli Anal. II, p. 277. VI. Porro autem legend. *venit*: quod et codex unus offert. Etiam agyrta huc venit, asello suo insidens. Tum suaviter subiicitur illud: *Parce illi* etc. nec tamen eum nimium ad cursum accelerandum flagris incita; contubernale vobis, Galli, pecus est.

26. *Vestae delicium*, Is. Vossii elegantissimam coniecturam amplectitur quóque Burmann. cf. Ovid. Fast. VI, 319 sqq. Vestam et Cybelen permutari, in eodem loco obvium est. Nec absurde tamen Gallorum delicium habetur asinus, cum tacita libidinis exprobratione. Laudant Intpp. commode Phaedr. III, 20, 8.

28. *Nunc vere*, vel *vero*, in libb., unde Heins. conj. *Nunc verna in gelida sepe lacerta latet*. Burmann. vero *Nunc viridis gelida sepe l. l.* Immo lege: *Nunc varid in gelida sepe lacerta latet*. et hoc nunc video diserte exhibere ms. Helmstad.

29. Vt multa alia in h. l. e Propertio petita esse, docuere viri docti, sic hoc, ex lib. IV, 8, 37, *Lygdamus ad cyathos, vitrique aestiva supellex*. Mox *Seu vis ferre* pro, seu mavis afferre, adhibere, *calices crystallo*, e crystallo factos; vel ut *calices* sint pro vinis dicti. Nisi ulcus latet: *Seu vis, crystallo verte novos calices*. Notum ex Marone: *Indulgent vino et vertunt crateras ahenos*. In ms. Helmstad. *cristalli*. Sic usitatius *crystalli calices*.

32. *strophium* pro vitta seu fascia, cui innectuntur flores, adeoque pro sertu.

33. *decerpens* duo codd., sicque Helmstad. ms. *Formosum teneras decerpens*; alii cum edd. ant. *Formosus teneras decerpens*: hoc revocavit Wernsdorf.

34. *prisca*, qualia fuere priscorum hominum, severa, tristia, adducta, ut adeo bene lectionem hanc lueatur Burmann. adversus virorum doctorum commenta, et Leidensis codicis

Quid cineri ingrato servas bene olentia serta? 35
Anne coronato vis lapide ista legi?
Pone merum et talos. Pereant, qui crastina curant!
Mors aurem vellens: vivite, ait, venio.

lectionem: *crispa supercilia*. Ms. Helmstad. *Ah pereant, quibus haec prisca f.*

35. *cineri ingrato* ex Aen. VI, 212, cui nullus rei sensus est.

36. *legi* iam emendarunt et edidérunt viri docti, pro *tegi*. Lapis sepulcralis coronis ornatus nota res est. In eo legi serta, sane parum opportunum: Magis tamen si illa *lapidi* legantur, ut sit dativus cui.

P. VIRGILII MARONIS
MORETVM

Digitized by Google

PROOEMIVM

IN MORETVM.

Est hoc ex eo carminum genere, cuius nobis paucissima ex antiquitate exempla relicta sunt: argumento ex vita privata et tenui hominum humili loco natorum petito. Licet id ad bucolicum genus referre aut pro Idyllio habere, quandoquidem eo nomine unum et alterum apud Teocritum habetur. Faciunt viri docti carminis summam, *moretum*, h. edulii rustici genus, ex allio, apio, ruta, coriandro, bulbo, additis caseo, oleo et aceto, comparatum, quod Simulus conficit. Nec male ea res, arbitror, Idyllii huiusmodi argumentum constituat: repraesentata oculis animisque particula aliqua vitae rusticae. Sed, quantum equidem assequor, latius patet Idyllii huius argumentum. Describitur enim omnino *prima diei pars*, et *quae diluculo vel mane gerantur a rustico*, antequam ad opus rusticum procedat. Surgit mane Simulus, qui conductum agrum arare videtur, cum Cybale, Afra genere, forte libertina, et primo loco ea parat, quibus per diem illum vitam toleret, h. e. famem expleat. Igitur panem coquit, quod a v. 17 ad 52 procedit, inde, ut habeat, quo pro obsonio utatur, moretum sibi parat, h. edulium acribus herbis oleo acetoque confectum, quo stomachum vellicet. Itaque malim dicere *describi hoc carmine primam diei partem vitae rusticae*. Suspicor autem aut fragmentum nos tantum habere maioris carminis, quo totum opus diurnum exponebatur: nam sub f. in agrum ad arandum procedit Simulus; aut successisse plura Idyllia, quae ceteras rustici operis partes exsequerentur. Sufficit Idyllium hoc esse ex elegantissimis, quod maiori eclogarum Virgilianarum parti praeferam, in quibus sententiae ex Theocrito mutuatae annumerantur. Nisi forte huius poëmatii auctor et ipse e Graecis sua accepit. Certe Vossius in lib. de poëtis Gr. prodidit, in cod. Ambros. Moreto Virgilii esse adscripta verba: *Parthenius Moretum scripsit in Graeco, quem Virgilius imitatus est*. Quae res non improbabilis videri debet, cum poë-

tae ante et sub Augusteo saeculo in Graecis vertendis tantum studium consumserint. Si itaque a Marouiana oratione, quam in Bucolicis tenemus, aliena est indoles Moreti, hoc per se miratioueu non facit, si quidem ex Graeco tantum conversa haec sunt. Versatur autem poëta in eo poëtices genere, quod, rebus e vita humili et sordida petitis, ad animos teuendos omnium minime accommodatum esse, multi viri docti contenderunt. Alii hoc ipso se genere facile Homerici carminis laudes attingere posse putarunt. Prius illud iudicium recte se habere nullus dubito, si in orbe rerum vulgari aut in sordibus vitae, iisque rebus, quarum adspectus nauseam facit, descriptio versetur; aut si exspectatione eius, quid ex sigillatim descriptis rebus proventurum sit, animus non erigatur, aut si omnino arte et ingenio careat. Possunt tamen ex ea quoque vita, quam lubitu suo nemo vivere malit, cum dilectu, remotis molestiis et sordibus, multa poëtice reddi et ornari, ut placeant; modo ne tali carmini vim ac dignitatem carminis epici tribuere ausis, a qua illud longissime abesse necesse est. De quovis carmine statuendum est ex eius genere generisque natura et indole; potestque, recto cum iudicio, ex omni genere fructus aliquis seu ingenii et artis seu honestae voluptatis peti. Virgilio carmen hoc tributum esse iam antiquitus, ex eo constat, quod in Vita Virgilii illud commemoratur: etsi, cum tot seriorum hominum nugis illa interpolata sit, quid veteres Grammatici iudicaverint, difficulter inde eruitur. *A. Septimio Sereno*, poëtae Falisco, de quo qui scripserint recensuit Burmann. ad Anthol. Lat. lib. I ep. 27 adscribendum esse suspicabatur Scaliger, tum Barthius Advers. XXXV, 8 et al loc., quia opuscula ille rustica (et haec unica causa affertur) composuisse dicitur: nuper autem doctissimus editor Poëtarum minorum Wernsdorfius T. II sine haesitatione Sereno carmen hoc vindicavit, tamquam partem priorem *Opusculorum ruralium*: etsi haec lyrico carmine variis metris exarata fuisse memorantur; potuisse enim praemitti carmen hoc hexametrum. Ita ad Vespasiani tempora illud reiicitur. Monitum illud quoque a viris doctis est, scriptum iam a *Suevio* fuisse Idyllium Moretum, ex quo versiculos profert Macrob. II Sat. 14, sed admodum horridos, si cum nostro Moreto contendas.

Lectionem in antiquis edd. fere eodem modo corruptam vidi: etsi minus foedatum et interpolatum opus ad nos pervenit, quam cetera. Primum institutam recensionem novam deprehendi in Aldina 1517 Catalectorum: ea fundamentum facta correctioribus editioni-

bus; successere tamen aliae antiquam lectionem retinentes, etiam Scaligerana. Quandoquidem in hoc poëmatio non habebamus exemplar, quod ex condicto sequi necesse esset; in Heinsianis enim et Burmannianis non extat; liberum nobis relictum duximus, ut lectionem ipsi constitueremus, Aldina et Scaligerana emendatione pro fundo posita. Non erant ad manus editiones binae, quibus Moretum sigillatim prodiit, Colinaeana 1542, 8, cum Io. Ruellii scholiis, et Francofurtensis 1626, cum Taubmanni commentario; aliam cum notis Weitzii ad calcem Copae Francof. 1642, 8. inspexi; et veterem edit. Lips. Thanner 1519 cum Copa et aliis sub tit: *P. Virgilii Maronis, poëtarum Achillis, minutiora opuscula.* — (Aliam veterem editionem Moreti Coloniensem memorant Denis Supplem. p. 691 et Panzer Vol. I, p. 334, 433). Sed nec erat, quod multa inde sperari possent, quae non aliunde suppeterent, inprimis ex Barthio, qui in Adversar. XXXV, 8. IX, 16, nonnulla loca attigit. Post priorem meam editionem retractavit hoc carmen et docto commentario expolivit Wernsdorf. in Poët. min. T. II.

Moretum. Multa de etymo nominis comminiscuntur viri docti. Scaliger, a quo hoc carmen graecis versibus redditum est, P. Ronsardo inscriptum, a μυσωτὸν, μυττωτὸν, quod tritum, τρίμμα, est, ducit. Alii aliunde (cf. nunc Wernsdorf. l. c. p. 256). Nos illud monere satis habebimus, occurrere vocem apud Ovid. Fast. IV, 365. Fuit quoque exquisitior eius conficiendi ratio alia, quam apud Columell. XII, 57 videre licet. Laudant quoque Apicium viri docti lib. I, cap. 35.

P. VIRGILII MARONIS

MORETVM

Iam nox hibernas bis quinque peregerat horas,
Excubitorque diem cantu praedixerat ales:
Simulus exigui cultor quum rusticus agri,
Tristia venturae metuens ieiunia lucis,
Membra levat sensim, vili demissa grabato, 5
Sollicitaque manu tenebras explorat inertes,
Vestigatque focum! laesus quem denique sensit.
Parvulus exusto remanebat stipite fumus,
Et cinis obductae celabat lumina prunae.
Admovet his pronam, submissa fronte, lucernam, 10
Et producit acu stupas humore carentes,
Excitat et crebris languentem flatibus ignem.
Tandem concepto tenebrae fulgore recedunt;
Oppositaque manu lumen defendit ab aura,
Et reserat clausa, quae praevidet, ostia clavi. 15
Fusus erat terra frumenti pauper acervus;
Hinc sibi depromit, quantum mensura patebat,

2. Gallum gallinaceum ornant passim poëtae, et notum est illud Prudentii: *Ales diei nuntius*, ubi plura dant Intpp.

4. Docte: ne diem impastus exigeret, ne sine pane esset.

7. *laesus*: suaviter; offensa manu ad focum, vel cinere adusta.

10, 11. Lucernam olearem cogitare necesse est; eam admovet inclinato capite, submissa fronte. At Barthius XXXV, 8 *frontem lucernae* interpretatur.

Quae bis in octonas excurrit pondere libras.
Inde abit, adsistitque molae; parvaque tabella,
Quam fixam paries illos servabat in usus, 20
Lumina fida locat; geminos tunc veste lacertos
Liberat, et, cinctus villosae tergore caprae,
Praeverrit cauda silices gremiumque molarum.
Advocat inde manus operi, partitus utrinque:
Laeva ministerio, dextra est intenta labori; 25
Haec rotat assiduis gyris et concitat orbem.
Tunsa Ceres rapido silicum decurrit ab ictu.
Interdum fessae succedit laeva sorori,
Alternatque vices. Modo rustica carmina cantat,
Agrestique suum solatur voce laborem. 30
Interdum clamat Cybalen: erat unica custos,
Afra genus, tota patriam testante figura,

18. XVI libras pondo frumenti mensura capit: ergo in sequentem quoque unum et alterum diem fami prospicit. Nam demensum diurnum, quod servis Romae praebebatur, trium fere librarum erat, ut Opusc. T. I, p. 251 ex Catone de R. R. 56 docui: etsi ad illud exactum fuisse demensum coloni necesse non est. Sibi et servulae Cybalae simul victum parare putandus est Simulus.

23. *cauda*, peniculo, quo ad verrendas mensas et alia utebantur veteres. Docuit ad h. l. Scaliger. Describit autem hinc poëta molam manuariam, trusatilem seu versatilem, binis saxis asperis sibi ita impositis, ut, inferiore manente immobili, superius, quod vs. 26 *orbem* appellat, circumactum attritu grana frangeret. Successerat ea molae pristinae, quae mortarium erat, in quo pistillo frangebantur grana. *ministerium laevae* in congerendis et infundendis granis consistere videtur. Tum *Tunsa Ceres rapido silicum decurrit ab ictu*, v. 27, grana tunsa, adeoque farinam, in subiectum vas, quod eam excipit, decidere significat.

26. *orbem*, lapidem molarem.

32. Qui sequitur, praeclarus est locus de habitu corporum Afrorum: qui idem prorsus est qualem nunc cernimus: ut, naturam sibi per omnia saecula constare, dubitare non liceat. Similis Petronii locus c. 102, quem iam viri docti excitarunt, ad alios Africae tractus spectat, et de servis ex Aethiopia agit, similibus iis, quos negros appellamus: *Atramento.... mutemus colores a capillis usque ad ungues. Ita tanquam servi Aethiopes ... age numquid et labra possumus tumore teterrimo implere? Numquid et crines calamistro invertere? numquid et frontes vicatricibus scindere: numquid et crura in orbem pandere: numquid et talos ad terram deducere?*

Torta comam, labroque tumens, et fusca colorem;
Pectore lata, iacens mammis, conpressior alvo,
Cruribus exilis, spatiosa prodiga planta; 35
Continuis rimis calcanea scissa rigebant.
Hanc vocat, atque arsura focis inponere ligna
Imperat, et flamma gelidos adolere liquores.
Postquam inplevit opus iustum versatile finem:
Transfert inde manu fusas in cribra farinas 40
Et quatit. At remanent summo purgamina dorso;
Subsidit sincera foraminibusque liquatur
Emundata Ceres. Laevi tum protinus illam
Conponit tabula, et tepidas super ingerit undas.
Contrahit admistos nunc fontes atque farinas; 45
Transversat durata manu, liquidoque coacto
Interdum grumos spargit sale. Iamque subactum
Laevat opus, palmisque suum dilatat in orbem,
Et notat, inpressis aequo discrimine quadris.
Infert inde foco: Cybale mundaverat aptum 50

numquid barbam peregrina ratione figurare? Propria haec hominum istorum fuisse videntur. Alia loca a Iunio de pictura III, 8, 4, et Fea ad Winkelmann. Tom. I, p. 65 Wernsdorf. ad h. v. sunt congesta: sed ea diligentius sunt exquirenda et inter se comparanda; nam diversorum tractuum homines in iis occurrere videntur: scire velim an ex interioribus Africae locis. Certe inter Aegyptiorum corpora in monimentis vetustis expressa, diversae stirpis formas deprehendi, dudum animadverteram, et postea ab aliis quoque animadversum vidi. Habiti quoque alii in deliciis, alii ad ministeria urbana, v. II, 3, 55. Theophr. Charact. 21 et Casaub. nunc etiam in agro.

36. Etiam fissuras has et scissuras cutis in pedibus esse Aethiopibus proprias in tanto solis calore aëris-que siccitate et endemias, ex Blumenbachio coniunct. didici in lib. de generis humani varietate p. 96, ubi Hier. Mercurialis testis excitatur de decoratione c. 17.

39. *opus versatile*: quod versanda mola absolvitur. Mox cribratione opus esse videmus: adeoque cilicium cribrandae farinae idoneum non erat his molis manuariis attextum. Porro *liquatur* eleganter transfertur a liquidis ad farinam quasi liquando mundatam.

45 Repraesentanda hic est animo pistoria opera in subigenda farina. Panem autem hic videmus parari sine fermento, azymum; tum v. 49

Ante locum : testisque tegit; super aggerat ignes.
Dumque suas peragit Vulcanus testaque partes:
Simulus interea vacua non cessat in hora;
Verum aliam sibi quaerit opem; neu sola palato
Sit non grata Ceres, quas iungat, comparat escas. 55
Non illi suspensa focum carnaria iuxta,
Durati sale terga suis, truncique, vacabant:
Traiectus medium sparto sed caseus orbem,
Et vetus adstricti fascis pendebat anethi.
Ergo aliam molitur opem sibi providus heros. 60
Hortus erat iunctus casulae, quem vimina pauca
Et calamo recidiva levi munibat arundo;
Exiguus spatio, variis sed fertilis herbis.
Non illi deerat, quod pauperis exigit usus.
Interdum locuples a paupere plura petebat. 65
Nec sumtus erat illud opus. Sed regula curae:
Si quando vacuum casula pluviaeve tenebant,
Festave lux; si forte labor cessabat aratro:
Horti opus illud erat. Varias deponere plantas
Norat, et occultae conmittere semina terrae, 70
Vicinosque apte cura submittere rivos.
Hic olus, hic late fundentes brachia betae,

in quadras dissectum, quas Scaliger ad h. l. illustravit.

56. Cum homini nullum esset obsonium, nam in carnario non perna, sed caseus suspensus erat, adit hortum, et ex eo petit allium aliasque herbas, unde illud sibi paret. *Non illi vacabant*, otiose in penu reposita habebantur, pro simplici: non ei erant, *carnaria*, h. e. unci ferrei, *iuxta focum suspensa*, penduli ex tholo seu camera; per appositum dicta, *terga suis sale durati truncique*; sed casei ei in promtu erant iunco, tanquam filo, in fascem colligati.

61. Hortulus casae accubabat exiguus, pro saepe munitus iuncis arundinibusque in parva fossa aquam ex imbribus collectam servante prominentibus. *arundo recidiva*, iterum iterumque repullulans, si recisa fuerit.

67 sq. Memineris loci Georg. I, 259 sq. *frigidus agricolam*. et 268 *Quippe etiam festis*.

69. *Horti opus illud erat*: suaviter illud temporis intervallum addictum erat operae hortensi. Notabiles in sqq. plantae hortenses. *rumex*, lapathum silvestre, ap. Plin. XX, s. 85.

Fecundusque rumex, malvaeque, inulaeque virebant;
Hic siser, et capiti nomen debentia porra;
Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver, 75
Grataque nobilium requies lactuca ciborum,
Et gravis in latum demissa cucurbita ventrem.
Verum hic non domini, quis enim contractior illo?
Sed populi proventus erat; Nonisque diebus
Venales olerum fasces portabat in urbem; 80
Inde domum cervice levis, gravis aere, redibat;
Vix unquam urbani comitatus merce macelli.
Cepa rubens sectique famem domat area porri,
Quaeque trahunt acri vultus nasturtia morsu,
Intubaque et Venerem revocans eruca morantem. 85
Tum quoque tale aliquid meditans intraverat hortum.
Ac primum, leviter digitis tellure refossa,
Quatuor educit cum spissis allia fibris;
Inde comas apii graciles, rutamque rigentem,
Vellit, et exiguo coriandra trementia filo. 90
Haec ubi conlegit, laetum consedit ad ignem;
Et clara famulam poscit mortaria voce.
Singula tum capitum numeroso cortice nudat,
Et summis spoliat coriis, contemtaque passim

76. *Grataque nobilium requies lactuca ciborum.* Bene notat Scaliger, eo adeo, quo scriptum est hoc Idyllion aevo, adhuc lactucis clausisse coenas suas homines. Nam Martialis aetate aliter, ut ex noto epigrammate constat: *Claudere quae coenas lactuca solebat avorum, Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?*

77. Colum. X, 234: *Et tenero cucumis, fragilique cucurbita collo.*

78, 79. *proventus* h. l. ut Georg. II, 518 *proventus sulcorum*, ipsa illa olera quae educat Simulus. His ipse non utebatur, sed populo illa vendebat ad urbem deportata. *Contractus* h. l. parcus, modicus.

81. Reminiscitur unusquisque versum Eclogae: *Non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat.* confer Colum. X, 310. Mox 82 *merx urbani macelli* carnes in macello emtae.

83. *Cepa rubens*; Plin. XIX, 6, 32, *rufa acrior quam candida.* Tum *sectum porrum* est sectile; *area porri* autem de area horti porris consita accipienda.

Spargit humi atque abicit. Servatum gramine bulbum 95
Tingit aqua, lapidisque cavum demittit in orbem.
Hinc salis inspergit micas; sale durus adeso
Caseus adiicitur; dictas super ingerit herbas;
Et laeva vestem setosa sub inguina fulcit.
Dextera pistillo primum fragrantia mollit 100
Allia; tum pariter misto terit omnia succo.
It manus in gyrum; paullatim singula vires
Deperdunt proprias; color est e pluribus unus;
Nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant,
Nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis. 105
Saepe viri nares acer iaculatur apertas
Spiritus, et simo damnat sua prandia vultu.
Saepe manu summa lacrimantia lumina tergit;
Inmeritoque furens dicit convicia fumo.
Procedebat opus. Non iam salebrosus, ut ante, 110
Sed gravior lentos ibat pistillus in orbes.
Ergo Palladii guttas instillat olivi,
Exiguique super vires infundit aceti,
Atque iterum conmiscet opus, mistumque retractat.
Tum demum digitis mortaria tota duobus 115
Circuit, inque globum distantia contrahit unum:
Constet ut effecti species nomenque moreti.
Ernit interea Cybale quoque sedula panem;
Quem laetus recipit manibus, pulsoque timore

96. Nunc de mortario agitur: quod cum mola superius commemorata male permiscent Inipp.

109. *fumo*. Aut fumo ex igni, aut allio graveolenti: ut *fumus* sit odor ille ex allio diffusus vehemens, δριμύς, ut Scaliger. Repetitum tamen *saepe* videtur postulare prius: quod et Wernsdorf. sequitur.

117. *Constet ut effecti species nomenque moreti*. ut vere possit *moreti* loco et nomine haberi, quippe ad eum modum confectum et absolutum, quo moretum vulgo parari solebat.

Iam famis, inque diem securus Simulus illam, 120
Ambit crura ocreis paribus, tectusque galero
Sub iuga parentes cogit lorata iuvencos,
Atque agit in segetes, et terrae condit aratrum.

121. Carminis lepos usque ad extremum servatus delectat; *ocreae* sunt perones.

INDEX RERVM

QVAE

IN HOC TERTIO VOLVMINE

CONTINENTVR.

Aeneidos lib. VI	pag.	5
lib. VII	»	81
lib. VIII	»	145
lib. IX	»	199
lib. X	»	253
lib. XI	»	321
lib. XII	»	381
Prooemium in Culicem	»	449
Culex	»	457
Prooemium in Cirin	»	493
Ciris	»	500
Prooemium in Catalecta	»	535
Catalecta	»	537
Prooemium in Copam	»	561
Copa	»	563
Prooemium in Moretum	»	571
Moretum	»	575

FINIS VOLVMINIS TERTII

Facultate obtenta.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google